BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8. A
19 — K
58

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

10142

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EPVLVM EVCHARISTICVM,

SIVE

SERMONES ET DISCVRSVS REALES DE SACROSANCTISSIMA EVCHARISTIA, SEDECIM FERCVLIS OMNIbus Chriſtianis apparatum, & propoſitum

A

R. P. CLAVDIO A IESV CARMElita excalceato, Sacræ Theologiæ Lectore.

CVM PRIVILEGIO S. CÆS. MAIEST. atque permiſſu Superiorum.



Impenſis Ioannis Theobaldi Schönwetteri
Mogunt. 1630.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE DOMINO AC D. ANSELMO CASIMIRO, SANCTÆ MOguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellario: Principi Electori:

ACCLAMATIO TRIVMPHALIS.

SEmper animus mihi fuit I. & R. Princeps: ſanctæ Moguntinæ Sedis Præſuli, aliquod laboris ac ſtudii mei ſymbolum, in debitum obſequii cultum offerre: adueni non exiguo terrarum tractu, ſolo natiuarum atque ſupernaturalium Prædeceſſoris tui odore tractus: quærebam illum inter viuos, quem iam terra funereo hiatu abſorbſerat cum mortuis ſepeliendum: egregiæ animi dotes, quæ illum apud omnes non parum commendabant, ſuauiſſimum mihi ſpirabant odorem, nec tamen reperire poteram, vnde procederent: flos quem immitis Atropos ſuis forficibus præſciderat, etiam ſine vegetante ſucco,

viuidam ſuauitatem efflabat, adeo vt anxius inter tot perplexitates, ſortem meam lugere decernerem: cũ ecce ſubito ſacroſancta Moguntina Eccleſia, noua me lætitia perfudit, tuã I. ac R.C. oculis meis obiiciẽs, quid hæres? inquiebat illa, Georgiũ Fridericũ quæris, cuius te virtutes delectant? periit fateor, ſed in ſuo ſucceſſore breui reuocatus ad vitam; parũ eſt de corpore, dummodo animus ſuis decoratus virtutibus niteſcat, corpus periit, ſed egregiæ dotes, quæ illius animum exornabant, in ſucceſſore reniteſcunt: non quæris quod terreſtre, quod periturum, ſed quod immortale, quod Diuinũ: vtrumq; habes? eædem n. Virtutes, eadẽ pietas, eadem animi magnitudo, cõſtantia eadem, eadem æquitas, in Anſelmo Caſimiro reſplendent: anxietatem exue, quem enim quæris, viuit, nec ſepulchrali cinere virtus immortalis poteſt operiri: viuit inquam, ſed in adeo generoſo ſubiecto, vt eumdem eſſe Fridericum dicas, quaſi virtutes noua metempſychoſi, ab vnius animo ſeſe in alterius ſinũ effuderint, age quod tibi cordi eſt, ac defunctum in viuente venerare, eædem manus, quæ antea, tuũ obſequium ſuſcipient. Hac ego percunctatione non mediocriter delectatus, quid aliud præſtare poteram, quam ad tuam J. ac R. C. celer accedere? debitam mei voti ſoluturus:

turus:

Digitized by Google

turus obligationem? en venerabundus accedo, hocque Euchariſticum Epulum, potentiſsimis iam apparatum Principibus, tuæ J. ac R. C. offero: tuebitur illud Maieſtas Principalis, quam in te omnes admirantur; ab Zoilorum obgannientium dicteriis: & pietas, qua totum vitæ tuæ curriculum decoraſti, omnes ad eius lectionem inuitabit: ergo ſuſcipe quod tuum eſt, quia tibi & Friderico Anteceſſori tuo dedicatum: ſeruiat illi in nænias funebres, quibus illi parentamus, tibi vero, in acclamationem triumphalem, qua fœlicitatem optamus, Vale.

Tuæ R. & I. C. obſeruantiſsimus Cliens

Frater Claudius à IESV Diſc.

INDEX FERCVLORVM.

1. Ferculum Gratiæ.
2. Fidei.
3. Spei.
4. Amoris.
5. Vitæ.
6. Transformans.
7. Gloriæ.
8. Puritatis.
9. Suauitatis.
10. Pasſionis.
11. Fortitudinis.
12. Iudicii.
13. Sapientiæ.
14. Immortalitatis.
15. Perſeuerantiæ.
16. Morientium.

IESVS

Digitized by Google

IESVS MARIA.

EGo Frater Hilarius à S. Auguſtino Carmelitarum Excalceatorum per Inferiorem Germaniam Vicarius Prouincialis, necnon Louanienſis Seminarii Prior, poteſtate ad id mihi facta à R. Admodum Patre Noſtro F. Matthia à S. Franciſco Præpoſito Generali, facultatem concedo vt Epulum Euchariſticum à P. Claudio à Ieſu Ordinis Noſtri Sacerdote conſcriptum, atque à Patribus ad id deputatis lectum & approbatum, Typis mandetur Moguntiæ vel Francofurti à Bibliopola, quem ad id muneris P. Philipus à S. Catharina ſelegerit, in quorum fidem pręſentes dedi manu mea ſubſcriptas, Bruxellæ in noſtro Conuentu S. Alberti, 1. Maii 1629.

F. Hilarius à S. Auguſtino
Vicarius Prouincialis.

Digitized by Google

EGo Frater Hilarius à S. Auguſtino, Carmelitarum Excalceatorum per Inferiorem Germaniam Vicarius Prouincialis, necnon Louanienſis Seminarii Prior, iuxta Priuilegiū Cæſareum Ordini noſtro à Ferdinando Secundo Auguſto anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſeptimo indultum, facultatem concedo illi Bibliopolæ, quem P. Philippus à S. Catharina Moguntiæ vel Francofurti ſelegerit, typis mandandi Epulum Euchariſticum à Patre Claudio à IESV ordinis noſtri ſacerdote conſcriptum, idque ad ſexennium, facta cuilibet alteri prohibitione, ne id præſumere audeat, ſub pœnis in originali contentis: Datum Bruxellæ in noſtro Conuentu S. Alberti, 1. die Maii, 1629.

LICENTIA IMPRIMENDI, D. SCHONVVETTERO DATA.

EGo frater Philippus à S. Catharina, de licentia mihi conceſſa à R. admodum Patre noſtro F. Hilario à S. Auguſtino Vicario Prouinciali, facultatē conceſſi D. Ioanni Theobaldo Schonwettero Bibliopolæ Catholico, libri, cuius titulus eſt Epulum Euchariſticum, à quodam ordinis noſtri Sacerdote conſcriptum, imprimendi, eamque facultatem ad omnes quos Belgica Prouincia, typis mandari voluerit, extendo. Datum Francofurti, 16. Iulii. 1629.

F. Philippus à S. Catharina.

EPV-

Digitized by Google

EPVLVM
EVCHARISTICVM,
SEXDECIM FERCVLIS DISTINCTVM;
AVLÆQVE
Bruxellenſi Apparatum.

FERCVLVM GRATIÆ.

Diſcurſus Primus.

SVmma admiratione dignus fuit ille fons, de quo Geneſis 3. *& fons egrediebatur de loco voluptatis*: vtpote qui fœcunda adeo ſcaturigine pullularet, quod quatuor illis fluminibus, quæ orbem vniuerſum alluunt, exhiberet ortum, ac diſtributus in quatuor capita, nunquam aluum maternam aquoſo ſemine orbaret, ſed & ſibi retineret aquas, & libens aliis eaſdem communicaret: Id ſane ingenue fatear, Sanctorum omnium animos amœniſſimos quoſdam hortos eſſe, ſed non tantæ capacitatis, quod 1.

cœleſtis fontis exuberantem copiam capere poſſint;alluantur riuulis,flumina excipiant,non abnuo: effluat in animum Petri vaſtus ille torrens,quo ei cœlorum claues tradantur? Sapientiæ riuus Doctoris gentium animum alluat, quo omnes inebriet? Flumen fortitudinis natiuo quodam impetu in Beatum Laurentii cor feratur? nec reſiſto: cœleſtis enim ille fons in quatuor capita diuiditur,quo ſimiles plantas ſuo rore fœcundet: Sed vna eſt delitiarum Dei paradiſus, vna Virgo Deipara, quæ & ipſum ſcaturientem omnis gratiæ fontem fœlici clauſit vtero, & omnes cœleſtium donorum riuulos, ſuo ſinu excepit:ita me docuit Petrus Cellenſis,dũ ait: *quia igitur ſimul collecta gratiæ plenitudo, nullatenus creaturæ humanæ capacitate põt apprehendi,in quatuor capita dicitur diuidi: priuilegio tamẽ filii ſui,ſupra totius creaturæ meritum mater Dei,aſperſione Spiritus ſancti, tota Deitatis gratia eſt ſuperfuſa:* ideo paſſim à Patribus fontis nomine nuncupatur, quia diuinorum chariſmatum in ſe ſenſit aquas ſcaturire, ſed ea copia,qua non eas diuiſim,quemadmodum alii, exciperet, ſed ipſiſſimum fontem omni gratiarum exundantem plenitudine toto orbi propinaret: at vero quorſum hæc? quid opus fuit teneram virginem tanta cœleſtium imbrium copia irrorari? reſpondet optime Bernardus, *vt plena eſſet ſibi, & ſuperplena nobis*: decuit eam Parentis æterni filium paritura eſſet,talibus gratiarum donis ornari,quæ tanta dignitas poſtulabat, & quia primigenium peccatum ingentem omnis boni vacuitatem in mundo effecerat, non aliter potuit commodius repleri,quam ſi generoſum diuinitatis muſtum nobis in ſacratiſſimæ filii Dei humanitatis poculo Beata Virgo propinaret, vt quem in ſe fontem exceperat, eumdem nos etiam integrum hauriremus, & cordium vacuitas tanta gratiæ ſoliditate repleretur: ideo pulchre idem Bernardus contemplatur omnes creaturas hoc gratiæ vacuum paſſas ad Beatiſſimam Virginem tanquam ad eam quæ viuidum omnis boni fontem orbi vniuerſo paritura erat, aſpirantes:

Petru Cellenſis lib. de panibus cap. 11.

Bernard.

Bernard. Serm. 2. de Aduen. Dom.

rantes: ait enim, *ad beatam Virginem ſicut ad medium, ſicut ad arcanum Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cœlo ſunt, & qui in inferno habitant, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur:* merito aſpirat creatura omnis ad Matrem Dei, à cuius vtero fœcundiſſimam omnium chariſmatum ſcaturiginem erat habitura; quod & factum eſt cum inſtructo illo poſtremo epulo, quod Seruator noſter cum diſcipulis habuit, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem reliquit in potum, vt vere menſa hæc gratiæ ferculo inſtrueretur, quod Beata Virgo nouem, in vteri ſui fornace, menſibus coxerat, vt omnium fidelium mentes cœleſtis gratiæ pabulo ſatiaret: Tu vero quę prima omniū ferculi huius voluptatem ſenſiſti, & experta es copiā, lucem impetra diuini illius Spiritus qui lumen eſt, vt ea illuſtratus intellectus aliquid promat, quod ſi non dignum tanto myſterio, ſaltem à veræ ſapientiæ tramite non ſit alienum.

Pulchre S. Clemens Romanus, filium Dei in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento realiter exiſtentem demiratus exclamat: *O abſconditum myſterium, ô ſtupendum ſuper omnia miraculum, abſtruſum & impenetrabile ſacramentum:* non tamen facile capio, quorſum denſa adeo obſcuritatis nube, cenſeat illud obuolutum, cum pro indubitato ſit apud bene ſenſatos quid contineat num Seruator ipſe nubem omnem abſterſit, cum dixit: *hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei?* ecce latens myſterium reſerat Chriſtus, ac ſubducto velo propalat quod claudit: Clemens tamen omnia abſcondita, omnia in illo meditatur abſtruſa? quî hoc? accipite myſterium? duplex Trinitas omni creaturæ proponitur adoranda; Vna eſt perſonarum in vnitate ſubſtantiæ, altera è conuerſo ſubſtantiarum in vnitate perſonæ: illa eſt Trinitas Auguſtiſſima quam credimus in Diuinis, hæc vero quā in Seruatore noſtro veneramur, anima ſcilicet, corpus, & Diuinitas, in perſona Verbi: hoc fuit myſterium abſconditum Clementi, hoc abſtruſum

Clemens Romanus lib. de vener. Sanct.

& impenetrabile ſacramentum, quod duplicem homines Trinitatem credere tenerentur, alteram quidem in perſonarum pluralitate, alteram autem, in ſubſtantiarum multiplicitate: adeo vt auſim affirmare cum Ruperto, Chriſtum Dominum auguſtiſſimum eſſe templum, ad cuius exemplar Moyſes tabernaculum erexit, & Pacificus ille Salomon ingentem templi ſui molem exædificauit: *exemplar cæleſte ait ille, ſcilicet magnum Sacramentum templi non manufacti, per Spiritum ſanctum de vtero Virginis conſtruendi, id eſt, corporis ſancti, ſicut & ipſe dilectus teſtatur dicendo Iudæis, ſoluite templum hoc*, & certe quemadmodum in illo Salomonico templo tria viſu digniſſima reperiebantur, videlicet atrium, vbi holocauſtorum altaria, Sancta vbi mare æneum, & quo ſolis Leuitis patebat aditus, ac Sancta Sanctorum, vbi propitiatorium, ita in templo filii Dei corpus habes pro atrio, animam quaſi ſancta, & quaſi Sancta Sanctorum, Diuinitatem, & hæc Trinitas eſt, quam in hoc Sacratiſſimo templo & credere debemus & venerari.

Rupertus lib. 5. in Cant.

3. Quod atrium templi optime ſignificet Virgineum corpus Chriſti, teſtatur Dauid cum ait, *beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti inhabitabit in atriis tuis:* quærit Auguſtinus quis ille ſit adeo beatus, quem elegit & aſſumpſit, & reſpondet eius eſſe corpus ſacroſanctum, quod tanquam atrium ſuæ vniuit perſonæ, quo ad Sancta Sanctorum Diuinitatis, aditus pateret: *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti:* ait ille, *id eſt, ille homo quo indutus es, qui cæpit ex tempore, natus ex fœmina, templum quodammodo illius eſt, qui ſemper in æternum eſt, & in æternum fuit:* non dicit corpus Chriſti abſolute eſſe templum Diuinitatis eiuſdem, *ſed templum quodammodo*; hoc eſt partem templi, atrium videlicet, quia ſicut per atrium ingrediebantur Iudæi templum, & ad ipſum vſque propitiatorium penetrabant, ita & nos auguſtiſſimum Verbi Incarnati templum ingredimur per eius carnem tanquam per atrium & ad animam vſq;, ac Sacratiſſimam Diuinitatem quæ Sanctuarium eſt, penetramus: nec vobis ve-

Pſal. 64.

Auguſt. enarr. in Pſal. 64.

Digitized by Google

bis veniat in ſuſpicionem huic atrio ſua altaria defuiſſe: quemadmodum enim in illo Iudaico viſebantur aræ, in quibus holocauſta & victimæ mactabantur, ſic & in pretioſæ Chriſti carnis atrio, fuit altare, quin imo & ipſa, altare fuit, in quo noſtrûm omnium ſcelera iugulata, ſempiterna ſunt obliuione ſepulta: Subtilis Rupertus, rationem diſquirens, cur feria quinta & ſexta maioris hebdomadæ ſuis ornamentis nudentur altaria, & quaſi omni nuptiali ornamento ſpoliata, ſui conditoris celebrent exequias, ait id in memoriam fieri illius Sacratiſſimi altaris, quod in monte Moria veſtimentis exutum, nudum apparuit: *cur altare nudetur ſcire volentibus, facile liquet, ſi prius animaduerterint quid ipſum altare ſignificet, ſignificat autem Chriſtum*; ita ille: vnde patet corpus Chriſti verum altare extitiſſe, quod orbatum indumentis victimam obtulit Deo Patri pro redemptione generis humani: tum ea qua ſolet elegantia, oſtendit quamlibet eius partem fuiſſe denudatam, *illa facies eius, & oculi, ex quibus, vt ait Hieronymus, igneum quiddam & ſydereum radiabat, nunc deſpiciebatur, alapis cædebatur, velabatur, conſpuebatur:* purpureæ eius genæ, nebulonum alapis, liuorem induebant, Sacratiſſimas manus ſolis miraculis patrandis, ac beneficiis erogandis occupatas, immanes terebrabant claui: & vt vno verbo omnia claudam, pretioſum hoc altare adeo denudatum fuit, vt omni diuinitatis gloria fuerit ſpoliatum, *cunctis amaritudinibus inebriatus*, ait Rupertus, *ſoporatus eſt ſomno mortis, & in cunctis à Diuinitatis ſuæ gloria nudatus ad tempus apparuit*, en tibi altare myſticum in hoc atrio, ſed longe nobilius ac Deo acceptius legali illo Moyſi aut Salomonis, vtpote quod Diuinam victimam toti naturæ proficuam obtulerit.

Rupertus lib. 5. de Diuin. offic. cap. 30.

Templum ſiue Sancta qui proprius erat Leuitarum locus, in quo mare æneum viſebatur, non improprie, Chriſti Domini animæ imaginem exprimit; ſicut enim illud, mare ſemper excepit, ita & Seruatoris noſtri anima nuſquam mari 4.

fuit orbata: Auguſtinus vocat perennem felicitatem fontem, torrentem, mare, quo beatorum animi inebriantur & abſorbentur, *voluptas illa quæ eſt? Quaſi torrens inebrians ſitientes*; hoc eſt mare, quod ſemper illud templum oppleuit; anima Chriſti à primo ſuæ conceptionis inſtanti in infinitum cœleſtis gloriæ oceanum fuit abſorpta, nec tamen atrium, id eſt, corpus eius, vel lenem eiuſdem beatitudinis ſtillam guſtauit, dum vixit, vt poſſet altaris ſubire locum, quod ſpoliaretur, denudaretur, & hoſtiam offerret Deo Patri pro nobis: ſed Dauid alteram ſuggerit rationem: ait enim Deo immortali *quoniam apud te eſt fons vitæ.* vbi Auguſt. *quis eſt fons vitæ niſi Chriſtus*? Veriſſimum eſt vitæ atque beatitudinis fontem in Chriſti anima à primo conceptu ſcaturiiſſe, de eo tamen non fuit licitum eiuſdem corpori vel tantillum guſtare, quia peccati ſpeciē pręferebat: *factus pro nobis maledictum*; ait Paulus: dum paſtor aquam hauriens ex limpidiſſimo fonte, ſerpentem animaduertit ad illum accurrentem vt ſitim reſtinguat, eum abigit, ne letifero infuſo veneno totus fons inficiatur: ita plane anima Chriſti quæ ſuauiſſimis hauſtibus fontem gloriæ epotabat, animaduerſum corpus eiuſdem, quod peccati imaginem, quantum ad pœnam aſſumpſerat, ſeueriſſime abegit, ne vel tantillum de hoc beatifico poculo aut verius dicam mari ebiberet, vſque dum eruta ſerpentis cute per mortem, beatitudinis Oceanus non ſolum templum ſed & atrium ipſum æterna alluuione impleuit; vnde quidam Doctor grauis optime dixit, *& corpore orbato gloria, & lætitia ad noſtram proſequendam ſalutem perrexit*; vt ſi antiquitus templi Salomonici atrium, æneum mare non caperet, ita & corpus Chriſti quandiu vixit, eodem priuaretur.

Auguſt. in Pſal. 35.

Auguſt.

D. Garcia in ſua noui hominis inſtitutione.

5. Iam vero ſi pertranſitis atrio & templo, Sancta Sanctorum fuerimus ingreſſi, quid niſi ineffabile, niſi demirandum, niſi vſque ad extaſim & ſtuporem magnum reperturi fuerimus? & quidem dum illud à Domino Deo Moyſi demandatum

tum aſpicio, *facieſque propitiatorium de auro mundiſſimo*; ingenue dixerim non potuiſſe melius Verbi incarnati diuinitatem exprimi, illa enim fuit aurum puriſſimum ſine vlla excrementorum admixtione, quo factum eſt vt filius Deus, fuerit toti mundo propitiatorium, quod eleganter proſequitur Rupertus, dum ait, *de auro mundiſſimo: aurum diuinæ in Chriſto ſubſtantiæ ſignificat pretium: ſignanter & expreſſius dixit mundiſſimo, quia videlicet ex eo, quod Deus eſt ab omni ſorde mundiſſimus, ex eo inquam propitiatorium nobis factus eſt Chriſtus Dei Filius*; illud eſt diuinum propitiatorium, quod Cherubini demirantur, ideo ſacer textus apte notat, hos Spiritus ſeſe mutuo intueri, quemadmodum ii qui ad aſpectum rei inſolitæ toti ſtupefacti, muteſcunt, & mutuo aſpectu ſuæ admirationis magnitudinem ſatis produnt: idipſum accidit Cherubinis, qui dum propitiatorium, quod diuinitatis præſe ferebat imaginem; aſpicerent, in ſtuporem acti, ſuos obtutus, aſpectu reciproco in ſe deflectebant, tanti ſacramenti magnitudinem prodentes: & Hieronymus, ait ſe nunquam templum ingredi ſolitum, quin totus ad Diuinitatis præſentiam expaueſceret, *quod ſi iratus fuero, aut me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas martyrum intrare non audeo: ita animo & corpore contremiſco*; eadē admiratione correpti hi Spiritus ad aſpectum propitiatorii ſtupent, contremiſcunt; idem ait facturos aliquando fideles diuinus vates, cum ait *pauebunt ad bonum eius*; Septuaginta legunt *ſtupebunt*: hoc eſt, veniet dies cum orbis vniuerſus in ſtuporem rapietur, ac totus expaueſcet, dum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Diuinitatem, animam, & corpus filii Dei venerabitur: illud enim *bonum* Euchariſtiam ſignificat, teſte Zacharia, *quid bonum eius niſi frumentum electorum?* quod Patres communiter de Sacramento altaris intelligunt: *pauebunt* ergo id eſt, *ſtupebunt ad bonum eius:* quaſi diceret, mirabuntur vniuerſi fideles quod in exigua hoſtia detur templum auguſtum filii Dei, & in eo atrium, Sancta, & Sancta Sanctorum, hoc eſt,

Rup. lib. 4. in Exod. cap. 6.

Hieron.

Zach.

hoc eſt, corpus, anima, & diuinitas eius. Cogitate ergo num Venerabile hoc altaris Sacramentum, vere ſit Ferculum Gratiæ quod communicantium animas, omni repleat Cœleſtium chariſmatum copia: hoc exacte oſtendere prima diſcurſus huius parte, apud me ſtatui: quantam ad ſui ſuſceptionem diſpoſitionem requirat, in altera monſtraturus.

PRIOR PARS.

6. DAuid filium Dei ex ſuo ſemine naſciturum demiratus, ait illi, *tu es Sacerdos in æternum:* quod Paulus animaduertens, dixit, ſeruatorem mundi futurum ſacerdotem non tantum quia filius Dei naturalis, ſed etiam quia ſemel mortuus pro nobis extra portam, ſecundum cæremoniam Aaronis, hoc eſt, per ſacrificium corporis & ſanguinis eius effuſionem, voluit translato ſacerdotio inſtituere purum ſacrificium corporis ſui in Euchariſtia ſecundum Ordinem Melchiſedech, cum itaque hoc myſticum ſacrificium non ſemel tantum perfectum ſit, ſicuti cruentum, *quia ſemel mortuus eſt pro peccatis noſtris:* ſed quot hoſtiæ in altari vſque ad ſæculi conſummationem offerentur, tot etiam ſacrificia fient, ideo eius ſacerdotium eſt æternum, vnde Apoſtolus: *hic autem eo quod maneat*
Hæbr. c. 7. *in æternum, ſempiternum habet ſacrificium*: In illo Sacrificio cruento, quod Iudæa vniuerſa in monte Moria intuita eſt, quicquid meritorum & gratiarum, quicquid auxiliorum neceſſum fuit pro ſalute generis humani cum ſanguine agni effuſum eſt, ita vt tot chariſmatum fluuius continuo effluat impetu vt omnibus proſit: ſed vbi ingenioſus Amor animaduertit, multos forſan non ita facile ex hoc flumine aliquid hauſturos, ſtitit ingens illud gratiarum omnium profluuium, ac in Euchariſticum calicem concluſit, vt quantumlibet magnus peccator Chriſti corpus comedens, ac bibens, ſanguinem ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſibi incorporaret, & appli-

Digitized by Google

applicaret, ac vnica vice omnia Seruatoris merita & gratias deglutiret, in amœniſſimo principis horto, fons ſcaturiens in multos ſciſſus riuulos non niſi cum labore ingenti, ſufficientes aquas dabit hortulano: quid ille? omnes riuulorum aditus præcludere, aquam in ipſa ſcaturigine ſiſtere, vt effecta copioſior faciliorem hauſtum concedat, volens Chriſtus animarum ſordes abluere, ſui ſanguinis fluuium effudit, vnde Ioan. *de latere eius exiuit ſanguis & aqua*; ſed quia vidit omniũ Chariſmatum ac gratiarũ quas purpurea eius vnda vehebat, copiam difficiliorem fore applicationem per corporalis pœnitentiæ exercitium; ſtent ait hæc omnia in ſuo fonte, in filii Dei corpore ſacroſancto claudantur, ac propinentur homini ſub accidentibus panis & vini, vt in vnico bolo corporis mei, & hauſtu ſanguinis, integrum gratiarum ac meritorum meorum fluuium ſorbeat: hanc mihi cogitationem ingeſſit Euſebius Emyſſ. cum ait *vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel, offerebatur, & quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua etiam eſſet redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, præſens eſſet ſemper in gratia.* Hæc ille. Euſebius Emyſſ. homil. 5. de baptiſmo catechu.

7. Idipſum non inelegantiori modo indicauit Apoſtolus dicens, *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*; quaſi diceret filium Dei in Cruce exiſtentem brachiis expanſis, conditionem aſſumpſiſſe eorum qui ex puteo aquas hauriunt, patebat à dextris puteus fœtens peccatorum totius generis humani, à ſiniſtris autem puteus meritorum Chriſti, adeo vt cum laboraret ipſe toto corpore, & in aëre ſacratiſſimum eius corpus libraretur, fœtentes peccatorum noſtrorum aquas hauriebat, & in ſui ſanguinis ac meritorum effundebat puteum, vt in eo decoctæ deperirent, & totius mundi peccata delerentur, *ad multorum exhaurienda peccata*: at vero quia tantum laboris expertus fuerat in hoc exhauriendo puteo, voluit vt gratiarum ac meritorum ſuorum aquæ faciliori

modo nobis applicarentur, ac peccata abſtergerent, quem in finem Sacramentum altaris inſtituit, in quod tanquam in exundantem puteum ſua merita effudit & gratias; vt qui digne hoc Sacramentum exciperet vnico hauſtu, puteum integrum donorum cœleſtium abſorberet, hoc belle innuit Sponſus, dum Eccleſiam alloquens, in qua puteus eſt meritorum Christi ait, *puteus aquarum viuentium*, quod expendens Nyſſenus fatur: *hoc eſt omnium maxime admirabile*, *nam cum omnes putei aquam ſimul habeant conſiſtentem, ſola Sponſa aquam in ſe habet permeantem, adeo vt putei profundum, habeat fluuii perennem motionem*; hoc eſt diſcrimen eius putei quem in Euchariſtia Seruator inſtituit, à puteis mundialibus, iſti enim aquis ſcatent ſed fœtentibus, ſed mortuis, Euchariſticus autem puteus, aquas viuidas ſcaturit, quia in illum viuidus gratiarum ac meritorum Chriſti fons effuſus eſt, nec periculum apparet, aquas in eo aliquando defecturas, ſed abundabit ſemper & ſuperabundabit, vt fideles Euchariſticum ferculum ſumentes; omnem cœleſtium donorum ſumant in eo abundantiam.

Cant. 4
Nyſſenus hic.

8. Sed accipe quod te delectet, aiebat quondam illa Cant. 1. *introduxit me Rex in cellaria ſua*, *exultabimus & lætabimur in te*: multum hilarem ſeſe exhibet caſtiſſima ſponſa, quod ab Sponſo regio in cellarium deducta vini præſtantiſſimi deliciis fuerit recreata, ne dicam inebriata; Ambroſius quærit quodnam ſit hoc cellarium, quidue in eo Sponſæ contigerit, tum ſtabilit nihil aliud eſſe quam Euchariſtiæ Sacramentum, in quo omnium gratiarum vina, ac Spiritus ſancti donorum cibi continentur: *introduxit me Rex in promptuarium ſuum & in cellarium ſuum, vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella ſuauia, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ, vbi plurimis epulis tuum prandium condiatur*; hæc ille. Iam vero ingens me ſubit admiratio, quod cum ſponſus eſſet Rex, ſi ſolemne epulum ſponſæ inſtruere habuit in animo, cur id in aula regia non præſtitit? cur non

Cant. 1.
Ambr. lib. 5. de ſacram. ca. 2.

non in hortis amœniſſimis, vbi garrientium auium præludia, fontium murmurantium ſuauitatem non parum exornant? quorſum in cellario? quorſum inter ebullientis muſti dolia copioſa? Dabo ego rationem: Voluit ſponſus vnica vice ad ſummum perfectionis ac ſanctimoniæ apicem ſponſam adducere, optauit illam vnico bolo omnes gratias, ac virtutes omnes deglutire, quo digna fieret tanto Principe. Aulam ergo regiam, id eſt, Eccleſiam erigit, ac mediis Sacramentis ſuas illi gratias ac dona communicat; ſed non adeo copioſe ditabatur ſicut optaſſet affectus; aliud opus moliar inquit; altaris Sacramentum inſtituam, in eo merita mea omnia claudam bona libamina, bonos odores, mella ſuauia, & quicquid ſanctum ſydera aſpiciunt effundam, vt ſponſa, gratiam non ebibat pedetentim ac repetitis vicibus, ſed vnica vice, deglutiens ipſum cellarium vno impetu, & in eo quicquid gratiarum in cœlo eſt, *introduxit me Rex in cellaria ſua.* Pulchre Philo; *promptuarium Chriſti, eſt corpus illud, in quo ſibi domicilium fabricauit*; ô vere dignum amoris diuini inuentum vt ſponſam efficeret ſemel ſanctam, corpus & ſanguinem, cum omnibus meritis, ac chariſmatibus ſuis in Euchariſtia, tanquam in cellario concluſit, vt quiſquis illud ſumeret, ea etiam omnia quæ in ipſo comprehenduntur ſorberet: & certe licet alia ſacramenta gratiam & conferant & augeant *ex opere operato*, hoc tamen aliquid ſibi peculiare vendicat, cætera enim per ſe primo non ordinantur ad nutrimentum aut incrementum charitatis, propter ſolam perfectionem ipſius charitatis, ſed directe tantum ordinantur ad effectus aliquos particulares, propter quos ſpecifica aliqua auxilia & gratiæ augmentum conferunt, quod videre eſt in confirmatione, quæ per ſe primo ordinatur ad conferenda homini auxilia neceſſaria, vt oblata occaſione fidem profiteatur; & extrema vnctione quæ dat gratiã ad bene moriendum, & ſic de reliquis; at vero Euchariſtia per ſe primo tendit ad perfectionem chari-

Philo Carpath. hic.

tatis, vt arctius Deo copulemur; vnde fit vt actualiter in ſe comprehendat, quod alia Sacramenta non faciunt, corpus ſcilicet & ſanguinem filii Dei, quæ duæ ſunt ſcaturigines omnium gratiarum ac totius ſanctimoniæ, ad quam poſſunt animi peruenire.

9. Theſin hanc Propheta Ioel apte confirmat, dum ait, *filii Sion exultate & lætamini in Domino veſtro, qui dedit nobis doctrinam Iuſtitiæ*, Septuaginta legunt ad noſtrum propoſitum accommodatius *eſcam Iuſtitiæ*: nec velim per hanc Iuſtitiam, illam virtutem moralem intelligi, quæ conſiſtit in dando cuique quod ſuum eſt: ſed virtutum omnium collectionem, ſicuti vocamus aliquem iuſtum, qui habet virtutes omnes; hoc ſuppoſito, quæro cur Ioel altaris Sacramentum vocet *eſcam Iuſtitiæ:* hoc eſt, eſcam, in qua virtutum omnium collectio & vnio reperitur: reſpondet alia lectio: *ſtillatorem Iuſtitiæ:* Chimiſta ſiue ſtillator ſanctimoniæ & gratiæ; quod vt ſuauius capiatur notandum occurrit illud Cant. *comedi fauum meum, cum melle meo*; quod multi ex Patribus intelligunt de Euchariſtia: Ita Amb. Rup. Philo, Paſchaſ. Abbas Abſalon, & alii: ſi ergo altaris Sacramentum ſit mel, qua ratione compoſitum eſt? reſpondet apte Ambr. vbi ſupra: *quod mel diuerſarum virtutum concretum floribus*: mel eſt, cuius confectionem odoriferi virtutum omnium flores ingredientur: quod dupliciter oſtendo: vidiſtis vnquam Chimiſtam, ſeu ſtillatorem, qui in vitreo vaſe Cinnamomum, flores, bonos odores, diſtillat, vſque ad quintam eſſentiam, ex quantitate non modica vix quicquam eſt reſidui, quia omnia vi ignis adeo ſunt attenuata & conſumpta, quod non niſi ipſa eſſentia ſuperſit quæ facile infirmo porrigi poteſt ad recuperandam ſoſpitatem: Idem videtur egiſſe Verbum Dei, qui in vltima cœna Chymiſtæ ſeu diſtillatoris aſſumpſit officium, *ſtillatorum iuſtitiæ:* adeo enim ſapienter, ardentiſſimo amoris ſui igne, charitatis aurum, flores gratiarum, balſamum Spiritus ſancti, ac limpidiſſimas ſapien-

Iocl. cap. 2.
Cant. 5.
Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 2. & 3.
Rup. Philo. hic.
Paſchaſ.
Abbas Abſalon Serm. 7. in Natiu.

Sapientiæ aquas diſtillauit, vt hæc omnia reddiderit potabilia in Euchariſtia, vt digne communicans, facile omnium gratiarum quintam eſſentiam ſumeret; quid ergo dubia hæres ò anima? obedientiam quæris? poculum ſume Euchariſticum? ibi virtutem hanc habes diſtillatam, *ſanguis meus vere eſt potus*; ad puritatem aſpiras? eius habes quintam eſſentiam in corpore Domini, *hoc eſt corpus meum*, vis denique breuiſſimo tempore ad perfectionis culmen euehi, id præſtabit hoc ferculum gratiæ, in quo diuinus ſtillator ſua merita & chariſmata concluſit, *ſtillatorem iuſtitiæ*, vt vere dixerit Ambr. Euchariſtiam idem eſſe *quod mel diuerſarum virtutum concretum floribus.*

Alteram mihi rationem ſubminiſtrat Regius Vates, cum ait, *bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me*: Hebræus legit; *bonum guſtum diſciplinæ doce me.* Sed Auguſt. aliter, *ſuauitatem & eruditionem & ſcientiam doce me*: ſed quî fieri poterit Sancte Doctor quod te Deus ſuauitatem & eruditionem doceat? Dicam ſi potero: Docebit vir litteratus filium Principis, quem natiua indoles plus ad arma trahit quam ad ſtudia, quo ſe vertat ignorat doctor, vt ſenſim ad amorem ſapientiæ nobilem iuuenis affectum poſſit allicere, aliquid tandem noui aggreditur, omnes alphabeti characteres iubet ex ſaccaro confici, tum conuerſus ad Principem, capiat Dominatio veſtra hunc characterem, vocatur O. hæc littera ita perfecte ſphærica, eſt O. illam comedat, ac meminerit nominis; alteram porrigit quę vocatur M. ac ſic de reliquis, & ſic cum ſuauitate animus principis litterarum omnium notitiam imbibit, q̃ vis nulla obtinuiſſet: Idem dixerim de Doctore Noſtro Diuino: qui vbi teporē hominis in virtute cōparanda animaduertit, & q̃ poſt mille labores exantlatos vix quicquam proficiat, quot diſciplinis opus ad mortificationē comparandā! quot ieiuniis ad acquirendā temperantiā! quandoquidē ita ſe res habet, ait Doctor cœleſtis in vltima Cœna, volo hominē vnica vice vir- Pſal. 118.

B 3 tutes

tutes omnes comparare, quod vt facilius obtineam, illas bolo Euchariſtico concludã, & quaſi ſaccaro ſuauiſſimo liniam, vt cum eas in illo comederit, ſuauiſſime ac facillime omnes acquirat, id optabat Dauid, ad id ſuſpirabat inquiens *bonum guſtum diſciplinæ doce me*: quaſi diceret, Domine Deus quis mihi tribueret, vt optatiſſimum illud gratiæ tempus intuerer, quo virtutes omnes in ſaccaro Euchariſtico præbebis homini comedendas, fœlicem me, ſi eas guſtare vel primoribus labiis poſſem, tot enim ſudoribus, tanta animi contentione mihi opus eſt vt illas comparem, quod vix ſubſiſtere concedatur; ieiuniis carnes tero, & vix leuis temperantiæ aura mihi aſpirat, diſciplinis atque ciliciis reluctantem hominem ſenſitiuum aggredior, nec pœnitudinis veræ gratiam poſſum comparare, tu Deus meus in Euchariſtica hoſtia quaſi in ſaccaro virtutes omnes concluſiſti, vt tui cum ſuauitate ſancti fiant, liceat, liceat ſaltem deſiderio ſi non re, affectu ſaltem ſi non effectu, illam prægustare vt ſanctus fiam: ideo Auguſt. dicit:
Auguſt. in Pſal. 118. *quomodo dicit ſuauitatem doce me? niſi vt ei gratia Dei magis magiſque abundet, vel innoteſcat dulcedine bonitatis*: hoc eſt, rogat Dauid ſibi gratias & virtutes conferri, ſed cum ſuauitate cum ſaccaro, quod fit in altari, vbi Deus quaſi in bolo mellito virtutum omnium chariſmata concluſit, vt qui eo digne reficeretur; ſuauiter & vnica vice ſanctus euaderet.

10. Concludat Euangelica Aquila præſentem materiam,
Ioan. c. 10. cum in perſona Chriſti ait *ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant*: non me fugit hanc eſſe Theodoreti mentem, filium Dei vitam gratiæ humano generi inſpiraſſe in ſua Incarnatione, ſed eiuſdem vitæ dediſſe abundantiam in huius inſtitutione Sacramenti, quod non nego: liceat tamen mi-
Rup lib. 9. in Ioan. hi Ruperti Abbatis mentem ſequi, qui vitas vtraſque ſpeculatus quas Deus Patribus conceſſit in veteri teſtamento, & quas in nouo largitus eſt fidelibus, inquit, *ego veni vt vitam habeant cõtinuo ſubiunxit & abundantius habeant, quia videlicet vitam*

tam quam habebant in ſpe, dedit vt haberent in re: non erant ignari Patres antiqui promiſſorum futuri Meſſiæ, quæ à Deo acceperant, quod videlicet reſeraturus eſſet aditum paradiſi, quem Cherubim verſatili gladio occluſerat, ideo in hæc promiſſa credebant, ac fœlicem eorundem ſperabant euentum, qua fide & ſpe iuſtificabantur, ac gratiæ vitam obtinebant, vt ait Apoſtolus *per fidem iuſtificati ſunt*: non abſimiles mihi videntur cuidam viatori terras ignotas peragranti, & aſpiranti ad patrium ſolum, ſed heu præcluſus aditus omnem gaudii occaſionem amputat, quia introitum omnem miles infidelis occludit, meminit tamen ſibi à rege promiſſum non multo poſt ſe miſſo copioſo exercitu fugaturum hoſtem, ac vias liberas redditurum, credit ille promiſſis regiis, ſperat ea aliquando ſuum effectum habitura, hac fide animatur, hæc illi ſpes addit animos, ad viæ difficultates leniendas: eiuſmodi fuit Patrum antiquorum conditio, vt inquit Apoſtolus: *iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis promiſſionibus, ſed à longe aſpicientes & ſalutantes eas, & confitentes quia aduenæ & peregrini ſunt ſuper terram*; addit Rup. viatores erant ad æternam vitam aſpirantes, ſed tamen præcluſus ad illam aditus prohibebat acceſſum, nihilominus promiſſa illis facta quod adeſſet Meſſias qui introitum aperiret, addebant animos, atque hæc ſpes & fides peregrinationis moleſtias quaſi nouo melle condiebat, vt ea iuſtificati, & gratiæ vita vegetati Diuino numini inſeruirent: & hæc vita eſt quam habuit lex Moſaica: vbi autem Verbum Dei caro factum eſt, illam abundantius homini communicauit, conceſſit enim auxilia, ſacramenta ac media ſupernaturalia ad eam copioſius acquirendam, virtute pretioſi ſanguinis ſui. Hæc eſt expoſitio quæ huic loco Ioannis poteſt aſſignari, Rupertus tamen loco ſuperius citato alteram ſuggerit noſtro propoſito magis accommodam, *vitam quam habebant in ſpe dedit vt haberent in re*: Verbum Dei moriens, omnibus viam aperuit ad vitam immortalem, quia ſua paſſio-

Ad Hebr. cap. 11.

paſſione ius dedit omnibus Iuſtis ad cœlum ſibi vendicandum; hanc autem vitam ſolum dedit in ſpe, vt ait Rupertus, neque enim hominem in actuali vitæ immortalis poſſeſſione conſtituebat, *ego veni vt vitam habeant*; quando ergo eam abundantius dedit? quando actualiter poſſeſſores effecit gloriæ? id ſane fuit in inſtitutione venerabilis Sacramenti, in quo beatitudinis vniuerſæ complementum concluſit, atrium videlicet, id eſt, carnem, ſancta, hoc eſt, animam, & Sancta Sanctorũ quod eius ſignificat Diuinitatem, quæ omnia beatum hominem conſtituunt, vt qui digne templum hoc ſuſciperet, in actualem quamuis velatam gloriæ poſſeſſionem admitteretur, ſimulque actualiter beatus fieret, & Sanctus, quod ſolum erat in ſpe, *vitam quam habebant in ſpe, dedit vt haberent in re:* aut vt ait Ioannes, *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*; habeant in paſſione, *ſed abundantius habeant* in Sacramento altaris modo explicato, vt iam fateantur omnes illud eſſe gratiæ ferculum, quod omni cœleſtium chariſmatum copia, vno momento ditat animum & impinguat.

PARS ALTERA.

II. Clemens Rom. vbi ſupra.

IAm ſatis patet, quam vere Clemens Romanus exclamarit, *O abſconditum myſterium, ò ſtupendum ſuper omnia miraculum abſtruſum & impenetrabile ſacramentum*; cum in eo tanta gratiarum ac vitæ lateat abundantia, vt Deus conferat animabus virtutes omnes, ac Spiritus ſancti dona diſtillata, vt ſuauiter & feſtinanter eas ſanctas efficiat, & ad culmen euehat perfectionis: O ingenioſum amorem, ò fortem ac ſapientem qui potuit adeo grande prodigium efficere, vt in Euchariſtico bolo Templum integrum Seruatoris ſorberemus, quod & mirantur Cherubim, & Seraphim venerantur. At vero ſuſpicabitur quiſpiam, has gratiarum copias omnibus paſſim conferri, forſitan indifferenter quoſque ad hæc munera admitti

mitti exiſtimabit? quin imo iis ſolummodo ea conferuntur, qui ad eius ſe ſuſceptionem debita diſpoſitione compararint. Notat Abulenſis, antequam manna plueret filiis Iſrael, Deum ſemper præmiſiſſe ventum gracilem, qui terram exſiccatam mundaret, vt melius diſponeretur terreũ hoc elementum, ad Angelorum panẽ excipiendum: Sed quorſum hæc, niſi vt inſtruamur quod ad dignam manna Euchariſtici ſuſceptionem, diligens præmitti debeat diſpoſitio? Doceat vos, fideles animæ lectionem hanc, ipſum cœlum, quod antequam Seruatoris in glorioſa eius aſcenſione humanitatem exciperet, pluſquam trig nta antea annis ſeſe diſpoſuit, naſcitur paruulus in Bethlehem, eoque ſtatim ſtella accurrit, feſtinat recens nato ſuo conditori ſua præbere obſequia, nec eo contenta, ipſis etiam regibus ducatum præſtat, ſuæ humilitatis officia eidem puerulo præbituris: quid portendere videtur hæc ſtella? cœli qui eum iam ætatis maturæ excepturi erant, ſuam venerationem eidem paruulo feſtinant impendere, ſuumque ad illum legatum mittunt, quo ſe fœlicius ad eius ſuſceptionem d ſponent, hæc eſt Diui Athanaſii mens, cum ait, *quid cum ad eum partum cum in lucem ederetur, per ſtellam reſpiciebat cœlum, quaſi ante tempus maturaret complecti eum qui in ſpelunca latebat, ſed & diſpoſitionis oportunitatem obſeruari oportebat*: quid pulchrius? etſi cœleſtes homines eſſemus, etſi tot virtutibus micarent animi, quot ſydera cœlos exornant, etſi ſphærarum cœleſtium munditiem noſtra æmularetur puritas, nuſquam tamen ad altare Euchariſticum accedendum eſſet niſi prius animabus diligenter diſpoſitis, ad cœlorum exemplum, cũ feruenti affectu eius ſuſcipiendi, ac nexu indiſſolubili eidem adhærendi.

Abulenſis in cap. 16. Exodi.

Athan. Oration in aſcenſ.

Nemini venire poteſt in dubium cœlum ante terram non fuiſſe conditum, ideo dicitur in Geneſi, *in principio creauit Deus cœlum & terram*; cœlum præcedit, firmamentum enim die ſecundo, terra autem tertio lucem adſpexit, ſed me tra-

Geneſ. c. 1.

C hit

hit in ſtuporem, quod hebes terra quæ poſtremo condita fuerat, proruperit in flores, maturuerit in fructus, & in virorem pullularit, antequam cœlum veſtirent aſtra, ornarent ſtellæ, ac planetæ illuſtrarent: *& protulit terra herbam virentem*; quod fuit die tertio, quarto autem primum cœli ſtellis radiarunt, *fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem*, quod contigit die quarto: Iam vero non poſſum ſatis admirari terram loco vltimo conditam, prius tamen fuiſſe ornatam, bonus ordo num id videbatur expetere, vt firmamentum quod prius eſſe induerat, ſuſciperet etiam prius ornatum? quid ergo terra nimium celer pullulans flores, naturæ ordinem interturbauit? Anaſtaſius Synaita pulchre reſpondet; terram ideo cœlos præueniſſe, quod cum Seruatorem mundi exceptura eſſet in Incarnatione, priuſquam cœli ipſum ſuſciperent, quod accidit tantum in eius aſcenſione, feſtinauerit decentem cultum induere, vt ad eius ſuſceptionem ſeſe diſponeret, *ante Deus ornauit terram, quam cœlum, tanquam ſi terra ante cœlum, ditata ſit Chriſti myſterio & aduentu*; ait ille: quid ergo fidelibus erit factitandum, eamdem carnem ſub Euchariſtico velo ſuſcepturis? terra ſeſe plus quam quater millibus annorum ad eius diſpoſuit aduentum, tu vero, ſaltem octo ante diebus idem non facies? ò quos tibi virtutum flores, quos bonorum operum fructus, quam omnis ſanctimoniæ amœnitatem, deberes comparare, vt decenti ornatus cultu, tuum exciperes Seruatorem? terreum hoc imitare elementum, communionis diem præueni, vt te digne diſponas. Inter cætera quæ contigerunt in vltima cœna notat Matthæus diſcipulos Chriſtum rogaſſe, *vbi vis paremus tibi paſcha:* quod examinans Chryſoſtomus, notat diſcrimen quod inter Diſcipulos & proditorem intercedebat, cum enim infœlix ille omnem cogitatum in prodendo magiſtro occuparet, cæteri de eo colendo ſolliciti, de paſchate cogitant, & de neceſſariis pro eius celebratione prouidendis, ſunt anxii; *tunc aduenerunt diſcipuli, tunc hæc gerebantur, quando Iudas de proditione tractabat, proxi-*

Anaſtaſ. Synaita lib. 4. in Exam.

13. Matt. c. 26.

Chryſoſt.

proximant diſcipuli eius & dicunt, vbi vis paremus tibi paſcha; vide diſcipulos, vide diſcipulum; iſti ſunt de præparatione ſolliciti, ille Dominici ſanguinis mercator exiſtit; ita Chryſoſtomus; quod & etiamnum contingit, idem enim diſcrimen videre eſt, inter iuſtos & peccatores, iſti nihil aliud habere videntur in ſomniis quam diuinæ maieſtatis offenſam, de ſolis prauis deſideriis ſatiandis, de omni ſequendo appetitus ductu videntur cogitare: illi vero tanquam veri diſcipuli Ieſu, parandis ad dignam paſchalis agni comeſtionem neceſſariis intenti, omni ſe ornatu excolunt, quo ſuum Seruatorem excipiant, eo omnis tendit cogitatio, vt virtutibus ornent animum, ne veſte nuptiali ſpoliati Euchariſticæ menſæ aſſidentes, in exteriores tenebras amandentur, ac illud Matthæi audiant, *quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* poterat Rex exprobrare, cur ſordidus ac fœtens gloriæ epulo aſſidere auſus es cum beatis, cur ferculo Diuino manum ſcabioſam applicare, cur edere, cur ſedere cum aliis? nullius tamen horum meminit, quaſi nihili æſtimarentur, in comparatione eius quod auſu temerario aggreſſus eſt, videlicet ingredi ſine ornatu decenti, non præmiſſa ad introitum diſpoſitione, ita Chryſoſt. *non dixit quare diſcubuiſti? ſed ante reclinationem & ingreſſum, ſemetipſum indignum eſſe fatetur, non enim dixit quare recubuiſti, ſed cur intraſti?* res mira, quod non ita attendatur ſi quis huic aſſidens menſæ flagitium admittat, quam ſi ad illam, imparatus præſumpſerit introitum; quid ergo aliud inde hauries documenti, niſi quod præmiſſo diligenti examine ad cœleſtem hanc menſam non debes accedere? attende iam quam periculoſum tibi ſit ex conſuetudine, ſine vllo deuotionis ac pietatis affectu, ſine præuia diſpoſitione hoc gratiæ ferculum mandere; ò quam timendum eſt, ne vbi gratia reficiendus eſſes, horrendam hanc aduerſum te Rex vocem promat, *quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem:* perennemque mortem reperias in eo quod inſtitutum eſt ad vitam.

Matth. cap. 22

Chryſoſt. hom. 61. ad pop. Antioch.

tam. Eia age, Euangelicam potius imitare pœnitentem, quæ ſuo Seruatori fieri proxima cupiens, ad eum vix audet accedere, retro ſtat, pedibus eius aduoluitur, ac tota effuſa in lachrymas ſui criminis obtinet medicinam, quod contemplatus S. Paulinus ait his obſequiis beatam pœnitentem ſeſe diſponere voluiſſe ad Chriſti Domini ſuſceptionem, quam iam ex tunc odorabatur, nec dum ſe Ieſus ſpeciebus Sacramentalibus contexerat, necdum fuerat Euchariſtia inſtituta, cum Sancta hæc mulier eam odorata ad eius ſe ſuſceptionem præparat, humilitate, reuerentia, & fletibus, de ea ſic Paulinus: *quæ ipſum vinum viuificumque panem manibus & ore præſumpſit, ſanguinem quoque calicis, antequam fieret calix ſanguinis, oſculis ſugentibus prælibauit:* peccatricem hanc tibi aſſume in ſpeculum quiſquis appetis fructuoſe communicare Chriſto; humilitatis, ac contritionis crebris actibus te ad id diſpone, & feruido ignitus charitatis igne exclama, ô bone Ieſu tu templum es auguſtiſſimum, in quo Diuinitatem, animam, & carnem tuam veneramur, tu templum quod Angelici Spiritus ſumma admiratione colunt, fac obſecro vt iiſdem quibus ipſi affectibus templo huic appropinquemus, ac pari puritate? ô Ieſu tu fons ac ſcaturigo omnium gratiarum, tu vaſtus Oceanus meritorum omnium, tu denique cellarium Sancti Spiritus muſto exuberans, fac quæſo vt eadem qua ſponſa ſanctiſſima diſpoſitione cellarium hoc ingrediamur, vt pari deuotione animi qua ſancti diligentes te, hoc gratiarum omnium pelago abſorbeamur, ac denique in hoc fonte viuidas cœleſtium chariſmatum aquas hauriamus, quæ omnem terrenorum ſenſum extinguentes, ad ſola æterna faciant aſpirare.

S. Paulinus. Epiſt. 4.

FER-

FERCVLVM FIDEI.

Diſcurſus Secundus.

INter exſtaticas viſiones, quas Propheta Zacharias paſſus eſt, non infima videtur ea quam cap. 4. recenſet, *vidi & ecce candelabrum aureum totum*; non neſcio communiori Patrum ſenſu per hoc Candelabrum Verbum incarnatum ſignificari, quod adeo reſplenduit vt non ſolum ſplendidiora ſydera, ab eo ſui luminis mutuentur incrementum, ſed & quod Diuinius eſt lumen ſit, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ſed quia ad alia feſtinat animus, libens hæc Patribus relinquo, vt Anaſtaſii Nyſſeni ductum ſequar, ait enim ille: *quod eſt ergo candelabrum? Sancta Maria, cur autem candelabrum? quia materiæ expertem lucem geſtauit Deum incarnatum, cur autem totum aureum? quoniam poſt partum manſit Virgo.* Ecce tibi Beatiſſimam Virginem, quam in candelabro illo Propheta intuitus eſt, quid enim magis aureum quam puritas eius Virginea, quæ materna fœcunditate non eſt violata? aurum patitur flammas, nec earum vi abſumitur, ſic fœcunditas materna, quæ in omnibus aureum virginitatis candorem corrodit, illæſam Deiparæ integritatem reliquit, quia auri inſtar nullius flammæ horreſcit voracitatem: candelabrum ergo aureum eſt, quod lucis æternæ facē oſtentauit orbi cuius ſplendore cuncta ſunt illuſtrata: pulchre Epiphanius, hoc alloquitur candelabrum, *ô candelabrum Virgineum quod illuſtrauit tenebris inuolutos, ô candelabrum Virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem, ô candelabrum virgineum repellens tenebras & lucem ſplendere faciens: ô candelabrum Virgineum quod ignem & oleum inſeparabile ad illuminandum intulit*; quid pulchrius? ſplendebat diuina lux in ſinu Patris, & quaſi diuina

Marginal notes: I. Zach. c. 4. — Ioan. cap. 1. — Anaſt. Nyſſeni quæſt. 53. in ſcript. — Epiphan. Serm. de laudib. Virg.

[library stamp]

Digitized by Google

uina obnubilata caligine, ſuo ſplendore terras priuabat; cum vix adſpexit candelabrum hoc Virgineum & ad illud deſcendit, quia vero lux non poteſt candelabro inhærere niſi in face, ideo Diuina lux faci humanitatis noſtræ iuncta, reſplenduit in candelabro materno, vt orbem illuſtraret vniuerſum; & qui eius lumine perfundi voluerit ad candelabrum accurrat neceſſum eſt; quia ergo Diuinæ huius facis cupido me tenet, ac eius ſplendore illuſtrari debeo, quo propoſiti mei partes tuear pro virili, ad te recurro Virgineum candelabrum, *quod* vt Epiphanii verbis vtar, *ab altiſſimo throno accepiſti ter lucidum ignem, vnum inextinguibilem, conſubſtantialem & ad illuſtrandam terram reſplenduit*; tu mihi Diuinæ facis lumen impetra, quo eius encomia valeam celebrare.

2. Nihil acceptabilius filio Dei humanã poſſunt corda præſtare, quam ſi intellectus ſuos carceri mancipent, ac ſub
Apoſt. 2. Corinth. cap.10. ſuaui fidei iugo ſua colla ſubmittant; id Paulus agnouit inquiens *captiuantes intellectum in obſequium fidei*; & Lucæ cap.14.
Luc.ca.14. *homo quidam fecit cœnam magnam:* quod de Euchariſtica cœna debet intelligi, cœna enim reuera eſt quæ tempore nocturno plerumque fit, quia nocte cœnare apud homines in conſuetudine eſt, ideo ad hanc cœnam fax fidei admouenda, ne
1.Petri.c.1. quis epuletur in obſcuris, ad quod alludens Petrus ait *propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ:* qui ſunt hi lumbi mentis quos præcingere oportet? reſpondet Lucas *ſint lumbi veſtri*
Luc.12. Gregorius. *præcincti:* quod expendens Gregorius ait, *tunc lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per abſtinentiam coarctamus*; vult ergo Petrus innuere quoſdam eſſe intellectus luxuriantes quos nulla poſſunt fræna cohibere, qui circa myſteria fidei diſcurrentes ad placitum in mille ratiocinationes incidant quæ quaſi luxuriantis ingenii teſtimonia perhibent, præcingendi tamen ſunt lumbi mentis, ac carcere mancipanda ratio, ne iterum contingat luxuriari: hoc argute oſtendit Ru-
Rupert.lib. 7.de glor. Trinit. c.8. pertus, cum mulieris illius fortis quam Salomon deſcripſit,

pro-

proprietates enumerat ſed illam præſertim qua dicitur, *ſyndonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*; per hanc mulierem intelligit fidem, per Chananæum autem, ignobilem virum & contemptibilem; Cham fuit filius Nöe, qui Patris ſubiit maledictum, ac fratrum ſuorum effectus eſt ſeruus; & quæ ab eos gens duxit originem, in eamdem quoque tracta eſt calamitatem, vt habetur Leuit. cap. 20. ab Iſraelitis enim penitus deleta eſt: *Chananæus quippe contemptibilis, imo & execratus Deo fuit, cum adhuc eſſet in lumbis Patris ſui Cham, dicente Nöe maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*: gentes & idololatræ à quibus fideles omnes ortum trahunt, non abſimiles fuerunt iſti Chanaan, luxuriantibus quippe ingeniis, mille chimæras, ac phantaſmata ſibi de Diuinitate effinxerunt, iudicabat alius colendum Solem pro Deo, alter quatuor elementis Diuinos deferre non verebatur honores, ille fœdiſſima etiam animalia pro Deo habebat, quid amplius? vix vllus reperiebatur qui ſibi ad libitum non effingeret Diuinitatem, ſed mulier fortis, Sancta fides Chananæi huius miſerta, intellectum præcingere voluit, ideo Diuini verbi atq; authoritatis, quibus fides noſtra tanquam fundamento innititur, cingulũ præbuit, *& cingulum tradidit Chananæo* quo præcincta mortaliũ ingenia non amplius ad vanitates diffluerent, ſed in vera Diuinitatis agnitione ſolidarentur: præſtat id ipſum audire à Ruperto: *E contra fides valde potens, & valde nobilis, quæ Chananæo tali homini, vel cuilibet ſimili huic ſecundum ignobilitatem ſæculi cingulum tradere potuit, vt præcinctus ambulet, ob meritum fidei quam ſuſcepit*; hoc eſt, quod Petrus loco citato intellexit, *propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ:* quaſi diceret, oues qui luxuriantia habetis ingenia, accipite fidei cingulum, eoque ingeniorum veſtrorum lumbos præcingite, ne illa contingat amplius luxuriari, ſed ſimpliciter credant, fideique iugo ſua colla ſubmittant.

3. Dauid alterius mihi rationis pondus ſuggerit, cum ven- Pſal. 104.

ditio-

Digitized by Google

Pſal.104. ditionem Ioſephi à filiis Iacob examinans ait, *in ſeruum venundatus eſt Ioſeph*, Ioſeph factus eſt mancipium fratrum inuidiâ: dum aliquis amiſſa libertate alterius ingreditur ſeruitutem, duo ſatis aduerſa ſubit, alterum, quod ſtatim compedes ei adduntur, ne fugâ ſuæ libertati conſulat: alterum quod relicto natali ſolo, ad exteras nationes deducitur, vbi nec vllum nouit, nec linguam intelligit; vtrumque contigit Ioſeph Patriachæ, ait Dauid, *humiliauerunt in compedibus pedes eius*; & in Ægyptum deductus eſt venuſtus adoleſcens, vbi barbarorum ignarus linguæ ſeruiebat, *Ioſeph cum intraret in terram Ægypti, linguam quam non nouerat, audiuit*; fides ergo & cœleſtis doctrina vbi primum intellectum hominis arripiunt, illum carceri tradunt, premunt compedibus, & ſub iugo Eccleſ.c.21 ſuo faciunt captiuum, ita Eccleſiaſticus, *compedes in pedibus ſtulto Doctrina*; neque his contentæ linguis adeo nouis & inauditis loquuntur, vt minime percipiantur, hoc eſt, myſteria adeo abſcondita credenda proponunt, vt natiuam intellectus vim longe ſuperent; quæ lingua difficilior intellectu myſterio Trinitatis? quis filii Dei Incarnationem, mortem, & reſurrectionem cogitatione non dicam aſſequi, ſed ne vel tantillum apprehendere poſſit? quid magis à natiua ratione alienum quam realis præſentia corporis filii Dei in Euchariſtia? hæ omnes linguæ ſunt quas nemo naturaliter nouit, & tamen ad ea ſibi in animum inducenda fides adigit, vt certius credantur, quam ſi natiuo lumine apprehenderentur, quod vt præſtet compedes iniicit intellectui, illum carceri mancipat, ac efficit captiuum, ſicut contigit Ioſepho: id me docuit S. Drogo Epiſcop Hoſtienſis, cum ait, *hilaris pupilla lucide ſpeculatur, fides eſt pupilla oculi tui, quomodo pupilla oculi eſt ſubtiliſſima, niſi impigre ac ſollicite cuſtodiatur à palpebris, leuiſſimi ac tenuiſſimi pulueris tactu cõfunditur, ſic acies fidei niſi peruigilem ſemper habeat cuſtodiam, nihil citius conturbatur*: elegans ſane comparatio: pupillam palpebræ cuſtodiunt & quaſi tenent in carcere, ne

S.Drogo. lib de Sacram. Domin. paſſionis.

re, ne ab extrinſeco puluis adueniens lædat obtutum; ita & fides intellectum tenet in cuſtodia, ne aliunde ſpecies aduenientes rationem confundant ac infuſum fidei lumen reſtinguant; niſi enim hac cuſtodia ſiue carcere ſemper claudatur, grande ſubeſt periculum, ne amicus natiuæ libertatis, fidei iugum excutiat, ac totus luxurians dicat cum illo *non ſeruiam.*

Sed iam adeſt ſponſa ſuum ſymbolum additura, ait enim: *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Origenes legit *alligamentum guttæ*; quaſi diceret, ſponſus meus cathena eſt, atque alligamentum myrrhæ, quo mea vbera præcingo: Philo Carpathius per has ſponſæ mammas vniuerſam ſcripturam ſacram intelligit, nouo & veteri teſtamento ſicut lac vtroque vbere, comprehenſam, hæc ergo teſtamenta, cordi ſponſæ alligantur, quia voluntatem eius atque intellectum captiuant, vt credat quicquid ipſis continetur. Audiamus Origenem: *ſi ad vnamquamque animam hæc referuntur, alligatura guttæ, dogmatum continentiæ conſtrictio, ac Diuinarum ſententiarum nodoſitas intelligitur*: ecce tibi fidem cœleſtium ſententiarum nodoſitate intellectus humanos alligantem, ne in varia diffluant, ſed Diuinitus conſtricti perenniter inhæreant fidei, quod ſi alicubi neceſſum fuit, nemo neget id in auguſtiſſimo Euchariſtico Sacramento opus fuiſſe, quod nuſquam ſibi perſuaderet ratio, niſi eam fidei cuſtodiæ manciparet, ac Diuinarum ſcripturarum vinculis alligatam, faceret præbere aſſenſum: Et profecto ſi fidem ſolo rationis intuitu attendamus, comperiemus omnino, magis arduum eſſe homini, rationem atque intellectum ſubmittere fidei huius Sacramenti, quam mori: Ioannes refert Chriſtum Dominum aliquando dixiſſe diſcipulis, *caro mea vere eſt cibus*; quod ita inſolitum ac difficile viſum eſt quibuſdam, vt palam reſponderint, *durus eſt hic ſermo*, ac impoſſibile iudicantes aliqui, ſe Magiſtri carnes poſſe comedere, æternum

[Margin notes: 4. Cant. c. 1. — Philo Carpath. — Origen. hom. 2. ex quatuor in Cant. — Ioan. c. 6.]

ternum cum eo fecere diuortium: *& ex hoc multi diſcipuli eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant*; ita vt ſuos non voluerint intellectus ſub fidei iugo captiuare; cum tamen iidem diſcipuli mitterentur ad nuntiandum Chriſti Euangelium, &
Luc. c. 12. à Chriſto diceretur, *mitto vos ſicut agnos inter lupos*, libenter non veriti mortis periculum, munus illud prædicationis ſuſceperunt; vnde colligo, minus ipſis durum viſum fuiſſe ſubire mortem, quam fidei huius Sacramenti, ſuam ſubmittere rationem; quod etiamnum multis accidit, præſertim Nouatoribus, qui luxuriantium paſſim mentium lumbos nullo fidei volunt cingulo præcingere; non ita apud fideles agitur, qui libenter huius Sacramenti iugo ſua colla ſupponunt; dicam ergo quid Sancta fides in eius inſtitutione præſtiterit, poſt, de ſimplicitate ac certitudine cum qua ad illud accedendum, acturus.

PARS PRIOR.

5. Quemadmodum prioribus ſæculis fortiſſimus ille mortalium Samſon, in ſolemni epulo difficilem quæſtionem, aut vt verius dicam obſcurum ænigma propoſuit, promiſſo ei præ-
Oſeas c. 14. mio qui eius dare poſſet ſolutionem, ita Oſeas longo poſt temporis tractu, in Euchariſticum epulum ſuos defigens obtutus, ſuum ænigma propoſuit in hanc formam, *germinabunt*
Hierony. *ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani, viuent tritico.* Hieronymus lectionem ſeptuaginta duorum interpretum ſequutus ait legendum, *frumento inebriabuntur*, ô myſterium abſconditum, ô abſtruſum ænigma, vbinam gentium frumenta inebriant? ſolemne eſt generoſa vina parere ebrietatem, ſed quando frumenta idipſum præſtitere? Cereuiſia ex frumento confecta vegetiores ſoluit animos, & ad ſtupiditatem vſque hebefacit, ſed purum frumentum quando eamdem vim exeruiſſe compertum eſt? *frumento inebriabuntur*; hoc para-

paradoxum, hoc ænigma eſt: qui ergo latens in hoc ænigmate Sacramentum velit capere, verba ſunt altius penetranda, vt bene monuit doctus Turrianus, cum ait, *ideo ſic aptantur verba, non ad occultandam veritatem, ſed ad excitandam mentem, vt optime notauit Origenes libro quarto periarchon*; ſæpiſſime Prophetæ ſancti grauia myſteria verbis obſcuriſſimis inuoluunt, non quo veritatis lumen occultent, nihil enim magis ipſis in votis eſt, quam vt eius luce perfundamur, ſed vt intellectus excitent ad eam diſquirendam: Oportet ergo vt ſenſum anagogicum ſequuti, per hoc frumentum inebrians, myſticum illud intelligamus, q; in Euchariſtia cõſecratur, ideo Propheta non ignaros & neſcios, ſed ſapientes ad ſui inuitat ænigmatis ſolutionem, *quis ſapiens & intelliget iſta? & intelligens, & ſciet hæc?* cauendumq; in primis, ne vlli veniat in dubium, nullum ſub eo myſterium latere, *quia os Domini pariter loquutum eſt, niſi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Habes iam ænigmatis propoſitionem, reſtat vt ſolutionem inquiramus, ad quam nos inuitat Nazianzenus dicens, *menſam hanc tibi offero, ad quam communiter accedimus, ſalutiſque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te deprecationem obeo, quod ſi in hac vita fieri non poteſt, vt perfectam rerum cognitionem aſſequamur, id quod reſtat honore affice*: per hoc nomen *typos*, quo etiam vtitur Tertull. intelligit ſpecies viſibiles Sacramenti, quæ ſigna ſunt non rei abſentis, quod volunt hæretici, ſed corporis & ſanguinis filii Dei realiter in Euchariſtia præſentis. Iam ergo ſolutionem auſpicemur: *frumento inebriabuntur.*

Turrianus cap. 33 de sacra m. Euchar.

Nazian. Orat. 17. & 29.

Tertull. lib. 4. cont. Marcion.

S. Ioannes Damaſcenus magnum lumen ingeret ad id præſtandum, ait enim huius ænigmatis ſolutionem dependere ab altero opere, quod patrauit Spiritus Sanctus, ait ergo eamdem omnipotentis manum quæ vnico *fiat* Diuinum Incarnationis Verbi opus peregit, etiam per verba conſecrationis rite ab ſacerdote prolata eiuſdem incarnationis reno- 6.

uationem in Euchariſtiæ Sacramento peragere, & ex his duobus Sacramentis tanquam ex fœcundiſſimis ſcaturiginibus, quicquid gratiarum ac beneficiorum homini à Deo collatum eſt, pullulauit: q; ſi difficultatis aliquid alterum eorum comprehendat, aliud ſua etiam patitur difficilia, & à potenti adeo manu procedunt, cui nihil arduum, ſed cum libet, omni naturæ lege ſup preſſa, etiam à natura aliena operatur, *tu quæris*, ait Damaſcenus, *quando panis fiat corpus Chriſti; & ego dico tibi Spiritus Sanctus ſuperueniet & ipſe faciet hæc quæ ſupra naturam ſunt, & ſupra intelligentiam*; idipſum doctor Angelicus dixit, cum Spiritum ſanctum, *artificem mundum & ſubtilem* vocitauit: & reuera mundus artifex fuit in opere incarnationis, ſed in Inſtitutione Euchariſtiæ ſubtilis, vis agnoſcere ſubtilitatem? dum artifex ſuæ artis præſtantiam aliquo opere vult teſtari, relinquit ordinaria, & in vngue totam gigantis ſtaturam effigiabit: ita artifex Spiritus ſub tenuiſſima hoſtiæ particula, integrum corpus illius conſtituit, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, *ſic ad demonſtrandam ſapientiam Spiritus ſancti*: ait S. Thomas *ſub minima ſpecie Sacramenti facit eſſe facile totum Chriſti corpus, hinc Spiritus Sanctus dicitur ſubtilis*: hanc eamdem Diuini huius artificis ſubtilitatem aliter oſtendo: Plinius loquens de ingenioſiſſimo illo Parrhaſio, ait artem ac ſubtilitatem artificis ſeſe in eo prodere, quod extremam manum inducat imagini, & certe artificioſiſſimũ eſt, ita in plano effigiare corpus, vt tamen eleuatum appareat, neque tamen in hoc artis perfectio conſiſtit, ſed in extrema linea ducenda, in vltima admouenda manu: ratio eſt ait Plinius, *ambire enim ſe debet extremitas ipſa, & ſic deſinere, vt quæ occultat, etiam oſtentet*; hoc eſt, vmbras ac poſtrema lineamenta ita ſubtiliter ducenda eſſe, vt licet medietas vultus aut corporis tantum appareat, altera tamen pars facile coniiciatur: Idem in Incarnationis opere egit artifex Spiritus, vt ait S. Lucas *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*: vides vmbras?

Damaſcen.

S. Thom.

Plinius lib. 35. cap. 10.

Luc. cap. 1.

vmbras? ſed Theophilactus ex Græco legit, *extrema picturæ lineamenta ducet:* iam aduertis extremam manum? tali enim artificio operatus eſt incarnationem verbi, vt non ſolum quod erat hominis in Chriſto appareret, ſed etiam quod Dei: vbi enim nat..s videtur ex muliere, Adami filia, in carne vero, ſtatim agnoſcitur homo: at vero ſi extrema lineamenta ſpectentur, ſi poſtremi attendantur penicilli ductus, ſi anim-aduertatur natus ex virgine, ſine ſemine virili, ac ſolo opere Spiritus Sancti, illico agnoſcitur Deus, quaſi tabella integra appareret, & licet ſolummodo medietas extrinſecus appareat, videlicet humanitas eius, quia tamen poſtrema lineamenta adeo ſubtiliter ducta ſunt, facile integer agnoſcitur, & creditur Deus, vt bene dicat Iſidorus, *omnia quæ ſiunt & facta ſunt, mira valde ſunt, ſed aſſiduitate viluerunt, idcirco ſic Diuina ſcrutare opera vt ſemper ea immenſa cogites*; Credidit huic Iſidori monito Centurio, videns enim Ieſum in Cruce, etſi ſola hominis infirmitas appareret, quia tamen vmbræ ac extrema lineamenta manu ſpiritus adeo ſubtiliter ducta erant, agnouit & Diuinitatem latentem ſub externa infirmitate, ac elata voce faſſus eſt, *vere filius Dei erat iſte*.

Theophil.

Iſidor. lib. 1. de Summo bono. cap. 10.

Hanc ſubtilitatem Spiritus artificis contemplatur Damaſcenus, in Oſeæ frumento, cum enim filius Dei per paſſionem abiturus eſſet in cœlum, ita ſubtiliter Spiritus ſanctus eum præſentem reddidit, ſub colore, Sapore, quantitate, & aliis accidentibus Sacramenti, vt quamuis ſolam externam Sacramenti partem corporeus intueatur obtutus, oculi tamen fidei interiora peruadant, & ſub ſpeciebus integrum corpus & ſanguinem filii Dei agnoſcant & fateantur, *manet Chriſtus tamen totus ſub vtraque ſpecie*: adeo vt ex lineamentis quæ doctus artifex in hoc Sacramento duxit, fides colligat realem præſentiam corporis & animæ Seruatoris; & certe qui viderit accidentia ſine ſubiecto, tranſſubſtantiationem vnius in alterum, virtute conſecrationis, omnino tanquam 7.

Digitized by Google

ex lineamentis & vmbris agnoſcet & credet intellectus realem præſentiam humanitatis & Diuinitatis filii Dei, *caro mea vere eſt cibus:* non ergo erit difficile ſolutionem reperire ænigmatis, *frumento inebriabuntur:* frumento videlicet tantum quantum ad accidentia, ſed quo ad ſubſtantiam vera carne & ſanguine Chriſti Ieſu, ita vt hæc Diuina caro animos nutriat, pretioſus autem ſanguis, longe potentius ambroſia & nectare, eoſdem inebriet.

8. Auguſt. tract. 25. in Ioan. Hoc ſubtiliter indicauit Auguſtinus aiens, *qui manducat hunc panem, inuiſibiliter ſaginatur:* auibus quæ impinguantur, vt menſæ regiæ cedant in pabulum, vt melius ſaginentur, ſolent oculi effodi: idem accidit fidelibus inquit Auguſtinus, cum enim Euchariſticæ menſæ accumbunt clauſis oculis, ac fidei lamina effoſſis, *inuiſibiliter ſaginantur*; quod idem eſt ac *frumento inebriabuntur*: non parum fauet huic excogitationi Pſal. 62. Dauid cum dicit, *ſi dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi eius in pallore auri*; præter varias huius loci expoſitiones, vna eſt quod intelligatur de altaris Sacramento, qui enim digne communicat, eſt *inter medios Cleros:* quod Græce idem eſt ac medium eſſe inter duas ſortes aut ſtatus, anima enim communicans, partim eſt in ſtatu viæ, & partim in ſtatu patriæ, quia in Euchariſtia laruatam gloriam ſuſcipit, quam in patria ſine larua & velo excipiet; vel dicitur eſſe inter duos Cleros, quia media eſt inter Chriſti Diuinitatem & humanitatem, quæ realiter exiſtunt in Sacramento altaris, vel quia inter corpus eius & animam, gloſſa moralis eius videtur eſſe ſententiæ, cum ait, *dormire inter medios Cleros eſt operari inter ſtatus Eccleſiæ militantis & triumphantis.* Communio enim videtur eſſe actio non beati tantum aut ſolummodo viatoris, ſed eius qui inter vtrumque ſtatum medius conſiſtit, beatus quidem eſt quia beatitudinem recipit, & viator quia eam recipit, ſed ſpecierum Sacramentalium larua velatam; Paulus clarius id explicat aiens, *dum ſumus in hoc*

corpo-

corpore peregrinamur à Domino, per fidem n. ambulamus non per ſpeciem; vbi notandum occurrit τὸ *peregrinamur*, quod deducitur 2. Cor. c.5.
ab aduerbio peregre, quaſi longe, vel remote, ita vt improprie vocaretur peregrinus, qui à patria ad viginti tantum milliaria abeſſet, ſed qui ad ducenta aut amplius; hoc ergo ſuppoſito, & conceſſo etiam, quod in Euchariſtia filium Dei præſentem habeamus cum tota aula cœleſti, occurrit dubium cur Apoſtolus, nos ab eo longe diſſitos, ac peregrinos aſſerat, *peregrinamur à Domino*? ad hoc reſpondeo, id fieri quia accidentia quæ corpus Chriſti velant ex hac parte ſunt limites fidei, & ex alia gloriæ, ita vt quamuis vicini ſimus beatitudini, multum tamen ab ea abſumus, cum accidentia medient inter vtramque & beatitudinem & fidem, quia vtriuſque ſunt termini, *inter medios cleros*; quod vt melius capiatur addo, in inſtitutione Euchariſtiæ magnum inter amorem & fidem interceſſiſſe certamen: volebat ille Chriſtum remanere in mundo, ſine velo & larua, fides è contrario, quod velatus remaneret, ambiebat, quod vt præſtaret, ſapientiſſime ſe geſſit, vbi enim aduertit in vltima cœna per verba conſecrationis ſubſtantiam panis deſinere eſſe, ac tranſſubſtantiari in ſubſtantiam corporis Chriſti, & quod accidentia eum ſequi omnino debuiſſent, quo remanſiſſet Chriſtus ſine velo, quod amor cupiebat; arripit illa ſpecies panis, ſiſtite inquit, ne ſequimini ſubſtantiam quæ vos ſuſtentabat, ſed hic remanete vt corpus Ieſu laruetis, quod factum eſt, remanſerunt enim panis accidentia vt Chriſtum velarent, ac pro limitibus inſeruirent inter humanitatem eius glorioſam, & noſtrum ſtatum viatorum, vt ſic qui communicaret, vere eſſet *inter medios cleros*: & fides in hoc auguſtiſſimo Sacramento, ſuum haberet tentorium ac aulam, in quo omnia adeo obſcura efficit, vt ratio nihil aſſequatur, & perſpicaciora ingenia hebetiora ſint obtutibus talparum niſi fide facem accenderint 9.
quæ omnia illuſtret: audite Sponſam id pulchre aſſerentem, Cant. ca.2.

qui

qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ: quaſi diceret ſponſum ſuum delectari liliis vſquedum vmbræ tranſeant: per hæc lilia intelligit Ambroſius Sacramentum altaris: *bona paſcua Diuina ſunt Sacramenta*, ait ille, *carpis illic nouum florem qui bonum odorem dedit reſurrectionis, carpis lilium in quo ſit ſplendor æternitatis, carpis roſam, hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem*; lilia, in quibus paſcitur ſponſus ſunt panis ſpecies, roſæ auaccidentia vini, ſed in his paſcitur, *donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ*, hoc eſt, vſquedum obſcuritas fidei diffugiat, ad aduentum luminis beatificæ viſionis, in his liliis delectabitur Ieſus, donec beati effecti, videamus facie ad faciem, q, modo per ſolum ſpeculum nos permittit fides intueri, & vt vno verbo dicam, vſque ad finem mundi, *donec aſpiret dies*, ait Theodoretus, *id eſt, donec ardor diei prætereat, & ros ſalutis aſpiret, & moueantur vmbræ, id eſt, res humanæ & tranſitoriæ, ac futura quæ perpetuam ac ſtabilem naturam habent appareant*; at vero Caſſiodorus clarius loquitur, videtur enim dicere, per illas vmbras fidem intelligi, quæ ad aduentum diei gloriæ diſſipanda eſt, niſi enim fides ſtare feciſſet accidentia panis & vini, quæ Diuinitatem & humanitatem Seruatoris velant, non paſceretur inter roſas & lilia, ſed ſecundum votum amoris, facie ad faciem videretur, illa tamen vbi limites conſtituit ſpecies Sacramentales inter Deũ & nos, remanebit velata, & in obſcuris, vſquedum lumẽ beatitudinis omnem fidei diſſipet obſcuritatem, *donec aſpiret dies*, ait Caſſiod. *id eſt, donec tranſeunt nubila præſentis vitæ, & appareat dies: id eſt, claritas ſempiternæ beatitudinis*; Idipſum habes apud Bernardũ: Iam redeo ad Dauidem *ſi dormiatis inter medios cleros*: quaſi diceret, ſi dum cõmunicaturus acceſſeris, rationis clauſeris oculum ac omnem diſcurſum ſopieris ac ſenſum, vt licet videat panem, odoretur, ac guſtet panem, non credat tamen eſſe panem, ſed verum corpus & ſanguinem Domini, ſi ita fidei iugo tua colla ſubmiſeris, vt intellectus non credat quod videt, ſed ſequatur ductum fidei

Ambroſ. Serm. 14. in Pſal. 118.

Theodoretus in c. 2. Cant.

Caſſiod. in c. 2. Cant.

Bernard. Serm. 72. in Cant.

Digitized by Google

dei, tunc ſuſcipies alas columbæ deargentatæ, hoc eſt, dona ac fructus Spiritus Sancti, qui columba eſt candidiſſima, quorum pinguedine ſaginaberis, *qui manducat hunc panem inuiſibiliter ſaginatur*, ait Auguſt. id præſta vt ſola tibi lucem præbente face fidei ad communionem accedas, impinguaberis, ac inebriaberis ſuauiſſime, *frumento inebriabuntur*; hæc ſit ænigmatis Oleæ ſolutio.

PARS ALTERA.

Vt igitur huic pinguedini ac ebrietati Spiritus, partici- 10.
pet aliquis, realem Chriſti Domini in Euchariſtia præſentiam, ſimpliciter, ſyncere, ac fortiter credere debet & venerari, nihil enim efficacius animum impinguat quam hæc fidei obſcuritas, & tenebræ; fallor niſi ad viuum exprimatur in Exodo. vbi poſtquam iuſſiſſet Deus aſcendere Moyſem in montem Synai, fuit ilico totus mons denſa nube obuolutus, ac in media illa caligine gloria Domini ſex dies ſedem fixit, *cumque aſcendiſſet Moyſes, operiit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Synai, tegens illum nube ſex diebus*; ita vt Moyſes in caligine ſine cibo & potu totos illos ſex dies vixerit. Rupertus ſubtiliter quærit, quid ita proficuum ſumere potuit Moyſes vt non illos ſolos ſex, ſed & quadraginta dies perſeuerarit in monte, totus erat caligine inuolutus, in qua populus nequicquam poterat aſpicere; qui ergo poterat vitam ſuſtentare? tum reſpondet, medium illum inter denſas tetræ nubis tenebras quæ montem veſtiebat, immiſſa diuinarum reuelationum ſuauitate fuiſſe ſaginatum: *vocauit illum ergo de medio caliginis*, ait ille, *cuius vox ſuauis, ac ſuper mel & fauum eſt dulcis, & vocatione ſua ſic inopem hominis naturam ditauit, vt vſque ad quadrageſimum diem; non ſolum cibi & potus, ſed & totius humanæ conditionis poſſet obliuiſci:* quis id mirabitur? cum ſolemne ſit Deo tunc animum potentius impinguare cum

Exod. cap. 24.

Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 45.

denſa atque caliginoſa fidei nube delectatur: ita eſt: ſi menſæ myſticæ appropinquaueris, tenebris fidei ſimplicis, atque obſcuritate inuolutus, ſicut Moyſes, tunc ſaginaris, tunc ſuauiſſime inebriaris: attende teneram Virginem S. Catharinam Senenſem, quæ non ſolos quadraginta dies, ſed & eos duplicatos ſine cibo ieiunauit, quid putas hunc illi animum addidiſſe, vt oblita ſui, ſolis cœleſtibus inhiaret? quotidie menſæ Eucharisticæ appropinquabat, atque in ea venerabile altaris excipiebat Sacramentũ,ſed tota caligine,tota denſâ fidei nube obuoluta,quo fiebat vt ita ſaginaretur,quod cœleſti ſuauitate delibuta materiales eſcas haberet in deſpectum.

11\. Suggerat nobis Moyſes alium item conceptum: legimus in Exodo magnum hic Prophetam,cum Deum alloqui deberet, tetra atque caliginoſa nube fuiſſe obductum, ex qua radii quidam lucis ſplendidiſſimi faciem eius non parum venuſtantes, promicabant: ſicut ex denſa nube fulgetra proſiliunt, ſuo lumine totam vniuerſi orbis faciem illuſtrantia, ita ergo radii lucis Moyſi vultum honeſtabant, quod Diuinitatis ſpeciem videretur induere, nec tamen ſuæ venuſtatis agnoſcebat elegantiam, *habebat faciem cornutam ex conſortio Sermonis Domini:* quæ venuſtas tales luminis radios emittebat, vt populus eorum pati minime poſſet ſplendorem, ſed quotieſcumque aliquid cum eo colloquendum occurreret, ſuperinducto velo faciem neceſſe eſſet obtegere, vt luminis acies aliquantulum obtunderetur: idipſum plane accidit ei qui in Euchariſtia Deo communicat, Chriſtus enim & communicantis animus caliginoſa fidei nube inuoluuntur, ex qua ſol Diuinus tales luminis exerit radios, vt longe venuſtiorem formam induat animus, quam faciebat olim Moyſes: & quemadmodum in illa caligine roborabatur Propheta, vt populum ſapientiſſime regeret, ac omnes eius iniurias & dicteria æquo animo toleraret, ita & animus inuolutus nube fidei, adeo ſaginatur, vt ad omnes moleſtias & calamitates

Exod.c.34.

æquani-

æquanimiter tolerandas paratus ſit: ita Auguſt. *quando in hac vita Deo fruimur, per ſpeculum in ænigmate, tanto noſtram peregrinationem tolerabilius ſuſtinemus:* cum hac caligine tot ſancti ad hanc menſam accedebant & tanta in ea decorabantur venuſtate, tanta fortitudine impinguabantur, vt ipſos etiam ad admirationem commoueret; id factitare fuit ſolita Seraphica Mater noſtra Thereſa, ſæpius enim poſt communionem, vultu ſplendidior ipſo ſole apparuit, cumque continuis infirmitatibus grauaretur, fatetur ipſa ſe poſt Euchariſtiæ ſumptionem adeo ſaginatam & roboratam, vt mutata ſibi videretur in alteram: ſed quorſum? niſi quia, ſicut Moyſes, ad eam accedebat in caligine viuæ, ſynceræ, ac ſimplicis fidei, captiuans intellectum in eius obſequium.

Auguſt. li. 7. de doctrina Chriſt.

Propheta Ezechiel prodigioſam quandam narrat viſionem ſibi exhibitam, qua triumphus gloriæ Dei templum ingredientis, à cuius dextro latere Cherubim ſtabant, oſtendebatur: & ecce ſubito interiora templi caligo obtexit, Deique gloria in exteriori introitu ſtetit illud ſuo ſplendore irradians: *& eleuata eſt gloria Domini deſuper Cherubim ad limen domus, & repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini:* Rupert. in hac viſione mirabilem infidelitatis Iudæorum effectum agnoſcit, qui Chriſti Domini fidem abnuentes ſuſcipere, eum verum Meſſiam negantes, ac intellectus ſuos ad obſequium fidei captiuare renuentes, tetra tandem infidelitatis nube, quæ vſque ad finem ſæculi eos inuoluet, offundi meruere; ſecus accidit gentibus quæ erant extra templum, vix fidei tenebras voluntarie ſuſceperunt, vix iugo Chriſti ſubmiſere colla, cum ecce gloria Domini fuit illis propalata, & in agnitionem myſteriorum Incarnationis, mortis & reſurrectionis Ieſu Chriſti, ſine qua nemo ſaluabitur, admiſſi ſunt: adeo vt caliginoſa fidei nube ſuis illos tenebris obuoluente, cœleſtes exceperint radios, quibus Diuinitatem agnouerunt, loquatur iam Rupertus: *& repleta eſt*

12. Ezech. cap. 10.

Rupertus lib. 1. Ezech cap. 34.

E 2 *Domus*

domus nube , ſubauditur gloria Domini ad limen domus eleuante ſe, primi enim ſacerdotes & ordo leuiticus, primi inquam Scribæ & Phariſæi, quorum erat miniſterium domus percuſſi ſunt cæcitate, gloria reſurrectionis foris apparente: Et atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini, plurimi namque de populo crediderunt, in initio prædicationis Euangelicæ, Spiritu ſancto illuminante: quid aliud Euchariſtiæ Sacramentum, niſi templum quoddam Auguſtiſſimum, in quo realiter & ſubſtantialiter habitat Diuinitas & humanitas Chriſti: Ita eſt Auditores beneuoli, dum ſpecies Sacramentales aſpicitis, dum exiguam rotunditatem hoſtiæ conſecratæ intuemini, ſcitote templum eſſe quod illum capit, cuius magnitudinis immenſitatem cœlum & terra capere non poſſunt, templum inquam vbi videtur Deus, vbi animas impinguat, & aliquos ſuæ gloriæ radios emittit, ita Ambroſ. *introduxit me rex in cubiculum ſuum, Græcus, in promptuarium ſuum, in cellarium ſuum, vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ, vbi plurimis epulis tuum prandium condiatur:* vides omnia fercula, quæ beatos ſatiant in patria: ſed mittis latentem in hoc templo gloriam vobis aperiri? vultis his recreari deliciis, hac cœleſti pinguedine ſaginari? debetis omnino caliginoſa nube obuolui, hoc eſt, dum Euchariſtico templo appropinquatis, oportet vos fidei iugo colla ſubmittere, ac eius obſcuritatem amplecti, nuſquam glorioſus hoſpes qui templum hoc habitat, ſe prodit mihi hanc amantibus fidei caliginem, *& repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini:* habes primo nubem, tum gloriæ ſplendorem.

Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 11.

13. Concludo cum ſponſa in Canticis, quæ tota hilaris ob guſtatam epuli Euchariſtici ſuauitatem exclamat, *comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*; quod de Sacramento altaris intelligunt Patres. Ambroſius libro quinto de Sacramentis capite tertio, & Auguſtinus qui oratione eleganti oſtendit cibum hunc eſſe panem Angelorum quo ſatian-

Cant 5.

Ambr. lib. 5. de Sac c. 3. Auguſt. Serm. 1. in Pſal. 33.

ſatiantur, ac mel ſuauiſſimum quo ſine ſauo recreantur, quia veſcuntur eo in patria, vbi nullæ caligines, nulla ænigmata, nullæ obſcuritates, *ecce cibus ſempiternus*, ait ille, *ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ virtutes, & manducant & ſaginantur, & integrum manet quod eos ſatiat atque lætificat*; ſi ergo mel hoc & lac Euchariſticum, impinguat, ſatiat atque exhilarat Spiritus Angelicos, quorſum ſponſa, & cum ea anima deuota aſſerit ſe eodem ſatiatam, ſed ſuo contectam fauo, ſed ſuis ſpeciebus velato? *bibi vinum meum cum lacte meo, comedi fauum cum melle meo?* quorſum eodem modo quo Angeli illo non ſaginatur? quorſum hoc lac, quod cœleſtes Spiritus facie ad faciem inebriat, deuotas animas ſolum exſatiat obuelatum? iam attuli rationem, volebat amor quod nos inebriaret ſicut Angelos ſine velo: ſed prudens fides prolatis verbis conſecrationis accidentia panis & vini arripuit, atque his lac ſui ſanguinis, illis vero ſui corporis mel ſuauiſſimum obtexit, vt anima communicans in caligine fidei, poſſit dicere *comedi fauum cum melle meo*: quaſi diceret, inebriauit me ſponſus meus lacte ſanguinis ſui, ſed vini ſpeciebus contecto: *& bibi vinum cum lacte meo*: & ſatiauit ſuo corpore ſed fauo accidentium panis obuelato: ita loquitur Ambroſi. de melle ſub panis ſpeciebus abſcondito, *vides quod in hoc pane nulla ſit amaritudo, ſed omnis ſuauitas, vides huiuſmodi eſſe lætitiam, quæ nullius peccati ſordibus polluatur*: corpus ergo Dominicum ſub panis accidentibus eſt mel in ſuo fauo, quod guſtatur, nō facie ad faciem ſicut ab Angelis, ſed cum viuę ac ſimplicis fides operimento: & Auguſt. vbi ſupra de lacte ait, *verbum illud quo paſcuntur Angeli ſempiternum quod eſt æquale Patri, manducauit homo, quia cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſaginantur ergo illo Angeli, ſed ſemetipſum exinaniuit vt manducaret panem Angelorum homo*: quia mortalium animas non vult illuſtrare, conſolari & impinguare in hac vita niſi dum fidei caligine ſunt obtectæ, & ipſe abſconditus ſub velo acci-

Ambr. vbi ſupra.

Auguſt. vbi ſupra.

Eſaiæ c.6. dentium Sacramentalium. Vidit Eſaias Deum, cui duo Seraphim ſuis alis faciem & pedes obuelabant, *duabus alis velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* Rupertus dicit faciem Domini Ieſu eius eſſe Diuinitatem, *facies Domini Diuinitas Chriſti eſt:* pedes autem humanitatem, *pedes Domini humanitas Chriſti eſt;* vix hi Seraphici Spiritus faciem hanc & pedes obtexerant, cum illico terra vniuerſa gloria Domini repleta eſt, *plena eſt omnis terra gloria eius:* quorſum hoc? quia vbi aliquis velo fidei tectus Deo approximat, tunc ipſe ſe manifeſtat, quod in hoc Sacramento accidit, ad quod dum fidelis animus alis fidei ac caliginoſa nube velatus accedit, illuſtratur, & mille ſaginatus deliciis, ferculum fidei guſtat, vbi mel cœleſtium voluptatum reperit fauo accidentium tectam, quod aliquando in patria ſicut in ſe eſt, ſine nube & velo deguſtabit.

Rupertus lib. 1. in Eſaiam cap. 28.

FERCVLVM SPEI.

Diſcurſus Tertius.

1. TAntæ plenitudinis gratiæ Beatiſſimæ Virginis animum exornarunt, vt de ea non ſolum aliquid hauſerint creaturæ, ſed ipſæ etiam auguſtiſſimæ Trinitatis perſonæ: Balaham Num.23. de Chriſto filio Dei loquens ait, *cuius pulchritudo ſimilis eſt Rhinocerotis:* ecce tibi ſimile Verbum Dei Monoceroti? Rupertus pulchre oſtendit in quo hæc conſiſtat ſimilitudo: ait enim, *hoc plane verum quia pium eſt, fortiſſimus namque ſpirituum Deus, velut vnicornis, id eſt, potentiæ ſingularis Deus incomprehenſibilis, Deus inuictæ virtutis, poſtquam populum illum de Ægypto eduxit, virginei tractus eſt odore vteri, virginē expetiit, virginei pudoris clauſtris incluſus eſt:* licet monoceros ingenti fortitudine polleat, virginis tamen gremio capitur: ita Verbum Dei quod magna

Num.c.23.

Rup.lib. 2. in Num. cap.10.

magna potentia inuitis Ægyptiis poſt tot patrata miracula populum ſuum de Ægypto eduxerat virginei fontis amore captus, illum reperit, ex quo ſibi naturam ac miſerias noſtras hauſit, & hoc eſt, quod ex Mariæ plenitudine filius Dei accepit: Neque putes Patrem æternum nihil ab ea cœpiſſe, ſat habuit quo Pater diteſceret, accipe Bernardum qui Rebeccæ hiſtoriam cum Elieſer famulo Abraham proſequutus, ait, *ſed ipſe iam bibat architriclinus, Patrem loquor qui principium Trinitatis architriclinus iure vocatur, ait ſane Angelus fœcunditatem Mariæ commendans, quæ tertia eſt metreta, quod ex te naſcatur ſanctum vocabitur filius Dei, ac ſi dicat cum eo ſolo tibi eſt generatio iſta communis*: fuit quidem Pater æternus ab æterno Pater filii ſui naturalis, ac æternam ad eum habuit paternitatis naturalis relationem, ſed vbi factus homo eſt Verbum Dei noua paternitas naturalis acceſſit Patri, ac noua relatio temporalis paternitatis naturalis, quod æternus Parens debet Virgini, dedit enim illa Verbo Diuina humanitatem, cuius aſſumptio, fundamentum extitit huius relationis: quod ſi vertat quiſpiam in dubium, potuerit ne aliquid à Virgine S. Spiritus accipere, reſpondentem audiat Moyſem Geneſis 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; quærebat ille florem ſuper quem requieſceret, nec inueniebat, ideo ſollicitus ſuper aquas ferebatur, ac tandiu vagatus eſt, donec terra Virginea florem Diuinum peperit, in quo requieuit, ita Rupertus, *igitur Spiritus Domini qui hactenus in magna ſylua generis humani requiem non inuenerat, tandem ſuper hunc florem requieuit*: ſubminiſtrauit Beatiſſima Virgo materiam ex qua formatus eſt flos immaculatus humanitatis Chriſti, in quo Spiritus Sanctus requiem reperit, & hoc eſt quod bibit ex Virgine: quod ſi verum eſt, quidni & mihi ad hunc erit fontem virgineum properandum, vt qui Diuinitati creditur aliquid contuliſſe, mihi etiam gratiam obtineat quam inquiro, gratiam inquam hebetatum ingenium acuentem, vt concipiat quod Deo ſit honorificum, & conceptum oratione prodat. Au-

Bernard. Serm. 2. de paruis.

Geneſ. c. 1.

Rup. lib. 2. in Iſaiam cap. 6.

2\. Aurea plane eſt Chryſologi ſententia, qua ait, *amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium, & niſi ad deſiderata peruaſerit, necat amantem:* amauit Chriſtus ſuos, ſed dilectione tali quæ nullum eſſet finem habitura, ideo dicit Euangeliſta, *in finem dilexit eos*: quod vt faceret aut mori non debuit, vt ſic ſemper viuus amorem noſtri retineret, aut ſi mori, ſaltem non diutius duret amor ipſa vita, ſicut enim mors omnium finis eſt & meta, ita & amoris: quin imo neutrum præſtare poteſt, *nam amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium*: ſed inter impoſſibilia quæque amor ingenioſus artem reperit, vt quidem moreretur, & nullum tamen finem faceret amoris, remanſit enim cum ſuis in Euchariſtiæ Sacramento, vt eius charitas nullo termino clauderetur, & vltra mortem in finem diligeret: quod vt facilius capias, tres in Chriſto amores diſtingue: primum in Incarnatione; alterum in Euchariſtia, tertium in morte: Miſſus eſt à Patre filius Dei in mundum cum copioſo exercitu vt hominum corda debellaret, diuiſit in primam aciem, mediam, & vltimam, Principes dedit qui ducatum caperent, vt ait Pater ore Dauidis *tecum principium in die virtutis tuæ*, legunt alii *tecum principatus, tecum principes:* en fili mi aciem vt mundum debelles, en Principes qui eius curam ſuſcipiant, amor in Incarnatione primam ducet aciem, amor in morte, vltimam, mediam Euchariſticus obtinebit, ſed ecce vbi ad arma ventum, amor Euchariſticus cæteros duos debellauit, ſe illis ſuperiorem oſtendens; Miſit Princeps primogenitum ad bellum, in quo occumbit inglorius, mittit iterum ſecundum qui eamdem fortunam ſubeat, in quo oſtendit ſe non pœnituiſſe mortis primogeniti, quin imo eius amorem, alio amore ſuperaſſe; miſit Pater Æternus filium in mundum, ſed in acie dimicans inter mille ignominias occubuit, ſed amor qui mediam aciem tenebat, ſuperauit hunc amorem, nullum enim putaſſes remanſiſſe Chriſtum quem iterum ad bellum mitteret Diuinus

Chryſologus Serm. 147.

nius Parens, ſed in Euchariſtia remanſit, mille ſubditus ignominiis ac deſpectibus eamdem quam ante fortunam ſubiturus, vt agnoſcas amorem hunc, qui ſecundam aciem tenebat prioris ſuperiorem extitiſſe. Magnum profectò fuit & admirandum primum amorem ad nos deſcendiſſe, ſed vilem, ſed exauthoratum, vnde Paulus, *qui cum in forma Dei eſſet ſemetipſum exinaniuit*, quod expendens Tertullianus ait, *exhauſit, idem enim vas manſit, vereque Deus erat, ſed dotibus Diuinitatis vacuus, & multis noſtris miſeriis repletus:* quæ ſane magna ſunt, potuiſſet forſan dicere homo pœnituiſſe Deum tot ſuſceptarum miſeriarum, & pertæſum noſtræ infirmitatis aſſumptæ, ſed abſit ait amor id de me cogitare, abſit à me pœnitentiæ ſuſpicio, *in finem dilexi eos*, amor me in mundum intulit, amor manere iubet, amor ad mortem ducit, & vt ſciant nunquam harum calamitatum pertæſum, præſens adero in Euchariſtia vſque ad finem ſæculi, quo grauioribus adhuc iniuriis veſtri cauſa ſubdar, vt ſic medius amor prioris ſe ſuperiorem oſtentat. Philip. c. 2. Tertul. lib. 1. contra Marcion. cap. 20.

Neque his contentus, mortem etiam ſuperauit, Cant. 8. dicitur *fortis eſt vt mors dilectio*. Septuaginta legunt *valida eſt vt mors Charitas*. Vatablus idem habet, cuius Scholiaſtes animaduertit, validum ſignificare quid amplius fortitudinis in amore quam in morte, ita Ghiſlerius hic, *porro ex admirabili hac vnione quartam quoque colligere licet rationem probantem, morte fortiorem eſſe charitatem:* & Theodo. abſolute legit, *fortior eſt morte dilectio*: ſed quomodo? breuiter ediſſeram, mors Chriſtum aggreſſa eſt in monte Caluariæ, ea intentione vt ei necem afferret, non tantum in quantum erat homo, ſed etiam in quantum Deus, cogitauit enim de humanitate & Diuinitate eius triumphare, ſed quia ex parte Diuinitatis, illum reperit immortalitate armatum, ingentem confuſionem paſſa eſt, ait enim Auguſt. *nec vnquam moritur plænitudo Diuinitatis*; quid ergo ageret paupercula, quo ſe verteret ſua ſpe defrau- 3. Cant. c. 8. Ghiſlerius hic. Theodor. Auguſt. lib de fuga ſæculi cap. 2.

F data?

Digitized by Google

data infirmiorem partem, id eſt, humanitatem aggreditur, eique vitam adimit, ſed amor morte fortior extitit: vt quid enim non eſſet morte fortior, qui etiam Diuinitatem ſuperauit, quod mors non potuit? illam enim in viſcera Beatæ Mariæ deiecit, ac fecit eſſe in Euchariſtia præſentem per concomitantiam, vnde Ambroſius bene dixit, *Chriſtus ea exarſit dilectione erga genus humanum, vt ab ipſa, morti ſubiectus ſit, quatenus dilectio mori eum fecit:* voluit ergo mors Chriſtum occidere, ſed eam præuenit amor, & morti ſubiecit ante, quam truculenta mortis manus ſe eius ſanguine cruentaret, volebat de amore triumphum agere, ſed hic decepit immitem, & glorioſe de ea triumphauit, quia enim filium Dei de cœlis exturbarat, vt pro ſalute humani generis moreretur, multum hanc mortis horam à Patre definitam expectauit, moræque impatiens, nec potens expectare vſque ad feriam ſextam, in qua effera mors omne immanitatum genus in ſacratiſſimum eius corpus erat exertura, feſtinus præuenit, ac fecit vt myſticam ſubiret mortem in Euchariſtia, quo & ſuæ ſatisfaceret voluntati, & de morte ipſa triumpharet; huius excogitationis authorem agnoſco Gregorium Nyſſenum, cum ait, *qui enim poteſtate ſua cuncta diſponit, non ex proditione ſibi impendentem neceſſitatem, non Iudæorum quaſi prædonum impetum, non iniquam Pilati ſententiam expectat, vt eorum malitia, ſit communis eorum ſalutis principium & cauſa:* vt quid enim Diuinus amor expectare potuiſſet, truculentas efferorum militum manus, redemptioni humani generis dediſſe principium, qui ſibi id muneris aſſumpſerat, vt ſalutem omnium procuraret? quinimo *conſilio ſuo anteuertit*, proſequitur ille, *& arcano ſacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, ſe ipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimam immolat, ſacerdos ſimul exiſtens & agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit:* quid pulchrius? & ſane decebat illum ſociorum amorum ſe ſuperiorem reddere, quandoquidem noſtri cauſa plus aliis videatur præſtitiſſe: mortuus quidem

Ambr. 1. lib de Iſaac cap. 8.

Gregorius Nyſſ. Orat. 1. in Chriſti reſurrect.

dem

dem ſemel eſt in Caluario, ſed hic toties myſticam mortem ſubit, quoties verba conſecrationis rite proferuntur: ſemel Incarnatus ſeipſum dedit illi homini quem aſſumpſit, hic autem quaſi repetita incarnatione, dat ſeipſum, Diuinitatem & humanitatem digne communicanti, vt animos noſtros ad cœleſtium ſpem erigeret: quî enim fieri poteſt vt neget ſua, qui ſe ipſum non negat, teipſum mihi das Domine Ieſu, num ergo ſperabo quod & æternitatem tuam dabis? dabit omnino ad ſe digne accedenti, idcirco vere hoc ferculum, ſpei ferculum dixerim, quod deſideria noſtra ſemper ad cœleſtia erigat, & auertat à terrenis, quod primo oſtendam, tum qua ratione terrenorum omnium affectum debeat à cordibus noſtris abigere.

PARS PRIOR.

O quanta eſt cœleſtis huius ferculi efficacia, vt animos in cœleſtia agat? ouum rore cœleſti plenum, ſoli expoſitum, ſurſum eleuatur, Ita anima rore Euchariſtico plena, 4.
non poteſt ad ſuperna non ferri: ideo dicit Chriſtus apud Oſeam, *ero quaſi ros*; animos fidelium cœleſti rore perfundam: ſed ad quid Domine? reſpondet Propheta, *Iſrael germinabit ſicut lilium:* vt ſemper creſcant, & quemadmodum germinans liliū, ſemper altius erigitur, ita ſuſcepto meo rore Euchariſtico animi qui lilii candorem induerint, ad ſuperna ferentur, calcatis terrenis, bene ad hæc Rupertus; *eamdem intendens benedictionem, ero inquit quaſi ros, Iſrael germinabit quaſi lilium:* nemo neſcit à Patribus Sacramentum altaris, benedictionem vocari ſolitam, ideo per rorem hunc Euchariſticam benedictionem intelligit hic Doctor, quæ vix communicantis animum attigit, cum illum ad cœleſtia erigat: quod in ipſo Seruatore argute animaduertit Richardus Victorinus, qui poſt glorioſam reſurrectionem ſuam Diſcipulis apparens, ac

[Oſeæ. 14.]

[Rupertus lib. 6. in Oſeam.]

[Richardus Victor. lib. 1. de Eman. cap. 16.]

 cum

cum eis ſumens epulum, tales ſibi indidit alas, vt ſtatim deſerta terra, ad cœleſtia debuerit euolare, ergone ſumptus cibus vim tantam habuit, vt raperet mundo, & cœlo daret Seruatorem? huius eſt opinionis Richardus, cum ait: *attende quid dicitur, quomodo ibi legitur, & conueſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, & paucis interiectis additur, videntibus illis eleuatus eſt, ecce quia comedit, & aſcendit:* quid mirum? cum ea ſit cibi Euchariſtici efficacia, vt ſemper ſuſcipientes ſe ad ſuperna erigat, nec poſſit terrenis relinquere: Id agnouit populus Iſraeliticus in deſerto cum manna faſtidiens aiebat *nauſeat a-*
Num.c.21. *nima mea ſuper cibo iſto leuiſſimo*; ô Inſaniam, quia panis hic Angelorum adeo leuis erat, vt ſe comedentes faceret in cœleſtia leuitare, ideo parit nauſeam carnalibus, qui ſolis Ægyptiorum ollis inhiantes, ad terrena cor depreſſerant: non ſic anima fidelis, quæ panem hunc diligit, quia leuis eſt, quia facit eius affectum in cœleſtia leuitare.

5. Quid Chriſtus habuit quod leuitatem non redoleat? Iugum omnes fugiunt, tanquam natiuæ libertati contrarium, ſed hoc verum eſt de mundi iugo vere grauiſſimo: Chriſtus
S.Paulinus Epiſt.4. autem ait *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*: ad hæc Paulinus, *iugum & coma Chriſti leuis eſt, quia ſeruientes Chriſto operamur bona, quibus pennati in alta peruehimur:* ergone quod pondus ingens addit corpori, vt boues arantes ſub iugo vix ad ſuperna poſſint ceruices attollere, alas addet fideli, non tantum vt cœleſtia valeat contueri, ſed ad ea pernici volatu ſeſe erigere? omnino ita eſt: adeo enim leue eſt Chriſti iugum, vt non deprimat, ſed attollat ſe ferentes: quæ ſi de iugo ipſo veriſſima ſunt, quis ea neget de Chriſti carne in Euchariſtia? ne-
Chryſoſt. hom.24.in 1.ad Cor. get qui voluerit; ſequar ego Chryſoſtomum id ita aſſerentem, *ad hoc nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile, quod iubet nobis, vt aquilæ in hac vita facti ad ipſum cœlum euolemus, vel potius ſupra cœlum, vbi enim cadauer, inquit illic aquilæ: aquilas autem appellat vt oſtendat ad alta eum oportere contendere qui ad*

hoc

hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neque ad inferiora trahi & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in ſolem Iuſtitiæ intueri; ſatis ſcitum eſt cadauera ab aquilis expeti, quæ vbi illis paſtæ ſunt, tum volatu celeri ſeſe erigunt in æthera, & ſic alte euolant vt obtutibus hominum ereptæ, ipſa ſydera penetrare videantur: quotquot ait Chryſoſtomus, ad Euchariſticum epulum accedunt, aquilæ ſint neceſſe eſt; quæ vbi cadaueris Chriſti deliciis ſunt enutritæ, ad ſuperna euolent oportet, neque enim patitur cibus hic adhærere terreſtribus qui ſua fuerint pinguedine ſaginati, ſurſum ferantur, terrena deſerant, ac ipſi perenni gloria per ſpem viuam, iam caput & affectus ingerant: Solus odor viuifici huius cadaueris calamitoſum prodigi animum ita excitauit; vt de loco fœcis in quo ſedebat miſer ſurgens, auolauerit ad Patrem, vide panis huius odore recreatum, *quanti mercenarii in domo Patris mei* Luc. c. 15. *abundant panibus*, ſed aduerte volantem, *ſurgam & ibo ad patrem* Auguſt. in *meum.* Ad hæc pulchre Auguſt. *ſurgam dicit, ſederat enim, ſed in* Pſal. 138. *egeſtate, ſurrexit in deſiderio panis tui:* quem ergo ad cœleſtia non eriget realis ſuſceptio huius panis, qui ſolo odore alas indidit prodigo, & fœtidum ac laſciuum iuuenem, fecit eſſe Aquilam?

Ad alia me vocat Eſaias vt theſim propoſitam confirmem, ait enim; *qui ſperant in Domino aſſument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient:* aquila ſpei ſymbolum eſt, quemadmodum enim hæc regina auium, ipſo ſolis recreatur intuitu, nec ad aſpectum tanti luminis vel tantillum eius hebeſcit obtutus, ſed in illud ſemper intenta fertur in aëra, ac vaſtam aëris ſphæram volatu regio peruadit, ita ſpes cuius obiectum Doctor Angelicus dicit eſſe arduum, obſcurum, & futurum, ſuos ſemper intuitus in lucidiſſimum Diuinitatis ſolem defigit, eius magnitudinem, immenſitatem, gloriam, aſſidua meditatione ſpeculatur, ac ſe ipſam feruenti in illum erigit deſiderio, ſperat & aſpirat, ſe aliquando eo bono fruiturum, quod 6. Eſaias. cap. 40.

Digitized by Google

fidei oculo intuetur in hoc ſole, hanc vt Chriſtus aleret in nobis ac confirmaret, Euchariſtiam inſtituit quaſi ſecurum futuræ gloriæ pignus, vt quia gloria per fidem agnita ſub ratione futuri ſpei obiectum eſt, illo ſub Sacramentalibus ſpeciebus habito, magis acueretur, & animum ſua qualitate imbueret, quod eleganter indicauit Oſeas, *Iſrael germinabit ſicut lilium, erumpet radix eius vt Libani, viuent tritico.* Cyrillus & Turrianus hæc intelligunt de Sanctiſſimo Sacramento: dicit ergo Propheta cum Euchariſtico tritico futurum vt fideles creſcant ſicut lilium, quod ſemper ſpei ſymbolum extitit, abſciſſum enim à trunco nec dum ſuæ viriditatis deponit amœnitatem, aut foliorum candorem exuit, ſed diutiſſime viret, ita fidelis qui lilium eſt, etiamſi aliquo peccato lethali ſibi gratiæ vitam ademerit, licet eum Deus mille calamitatibus vrgeat, debet tamen germinare ſicut lilium, hoc eſt nuſquam ſpei amœnitatem, deſperationis intemperie extinguere, ſed ſemper in Deum figere ſuas ſpes: quale lilium fuit Iob cum dicebat, *etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo:* vides à trunco, à diuitiis, à grata progenie, ab ipſa domo abſciſſum lilium, neque tamen ſuæ pulchritudinis venuſtatem amittere: *in ipſo ſperabo*; ideo ergo Euchariſticum triticum Chriſtus inſtituit, vt vera lilia fieremus ad cœleſtia ſemper erigentia verticem, pulchre Rupertus: *tunc veraciter germinauit Iſrael quaſi lilium, quia veri Iſraelitæ ſcilicet Apoſtoli non in carne, ſed in ſpiritu fructificauerunt, noua conuerſatione imitantes lilium, id eſt, magiſtrum & præceptorem ſuum Chriſtum, virgineæ pulchritudinis filium*; quaſi diceret Apoſtolos ex quo hoc pane nutriti ſunt, creuiſſe vt lilium, in cœleſtibus ſemper conuerſationem habuiſſe, & ad æterna tota ſpei ſuæ contentione aſpiraſſe, id enim præſertim Diuinus hic cibus operatur, vt ſe ſumentes erigat ad cœleſtia, nec terrenis patiatur inhærere.

Oſe. c. 14. Cyrillus Turrianus. Rupertus lib. 6. in Oſeam.

7. Deus in Exodo beneficia ſua populo rememorans ait per Moyſen: *audiſtis & quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum.*

Exod. c. 19.

Digitized by Google

rum. Oleaſter dicit aquilam totum nidum cum pullis arripere, ac ſuis alis ſuperponere, quamuis id Plinius, Ariſtot. & Ælianus non dicant: vt tamē credamus ita fieri, ſufficit haberi in ſcriptura: nec deſunt Rabbini qui affirment, Lyra ex Rabbi Selomoh, Hieron. Vincentius, huius ſunt opinionis: & licet Rabbinis fides non ſit adhibenda, id tamen didiciſſe potuerunt ab Ægyptiis quibuſcum commercium habebant, aut ex libris Salomonis, quos dubio procul ſemper geſtabant in manibus: idque ſatis credibile eſt de aue adeo generoſa quod dum venatores ſuis pullis inſidiantes animaduertit, illos in nido dorſo ſuperponat, ac in eminentiſſimum & abditiſſimum locum collocet, vt effugiant manus inſidiantis: Chriſtus ergo ait, *audiſtis & quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum:* vera fuit aquila, de qua Eucherius, dicit Salomonem ignoraſſe quam iniret viam in aëre, vidit hæc generoſa aquila è cœlis pullos, quis per æternam prædeſtinationem ſic eſſe debebant multis in hoc ſæculo periculis exponi; tum ratione obiectorum ſenſibilium, quæ multos trahunt in perditionem, cum maxime ratione dæmonis illis die ac nocte vſque ad interitum inſidiantis; vidit ſuos tot diſcriminibus circumdatos, vt illis creata omnia ruinam molirentur: quo factum eſt vt amore victa auolarit è cœlo in terram, vt medicantem manum ſuis pullis porrigeret, arripuit ergo nidum, humeriſque ſuis & alis ſuperpoſuit, cum carnem noſtram induit factus homo, ideo dicit ipſa apud Lucam ſe ouem perditum ſuper humeros ſuos poſuiſſe, & apud Dauidem *ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores*; nec his contenta, vt tot periculis pullos eriperet, humeris ſuperpoſitos, in editiſſimum cœlorum atrium glorioſo ſuæ aſcenſionis die intulit: dicat id eleganter S. Maximus; *prædam enim quodammodo ſuſtulit, cum hominem quem ſuſcepit inferni raptum faucibus, portauit ad cœlum, & alienæ dominationis, id eſt, diabolicæ poteſtatis ſeruum, de poteſtate erutum, duxit ad altiora captiuum*: tunc ergo in eo quem aſſumpſerat homine

Lyra.
Hieron. lib. 4. comment. in Matth.
Vincent. in ſpeculo li. 16. cap. 35.
Euch. Prou. 30.
Luc. cap. 15.
Pſal. 128.
S. Maximus hom. 43.

mine humanum genus vniuerſum, inferni ereptum inſidiis, in cœlo collocauit. Sed heu, pars potior remanet in terra, & cœleſtium atriorum ſpreta pulchritudine, terram amat, de terra loquitur, nihil niſi terrena, mille expoſita periculis meditatur: quid ergo faceret Aquila Diuina, quid inueniret remedii vt partem hanc in terra remanentem, ageret in ſublime, ac cœleſtibus etiam inferret? reſpondet Apoſtolus,

Epheſ. c. 2. *conuiuificauit, & conſurgere fecit, & conſedere nos fecit in Chriſto:* iterum quemlibet ſpeciatim humeris ſuis imponere ſtatuit, quod vt ageret Euchariſtiam inſtituit, quam dum fidelis ſumit, Diuinæ huius aquilæ alis imponitur, ac terrenis ereptus, ad ſuperna eleuatur, adſit mihi huius excogitationis fautor

Auguſt. in cap. 5. Iob. Auguſt. cum ait, *& pulli filii ſponſi altiſſime volitantes conuerſationem in cœlis habentes, vt labore liberentur, in quo homo naſcitur, ſecuti vocem ſponſi dicentis, comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi;* quaſi diceret ex eo quod carnem Domini comedimus in altari myſtico, ac ſanguinem bibimus, tunc hæc Diuina aquila nos tanquam pullos ſuos alis imponit, ac ſurſum efferens, facit altiſſime volitare, & conuerſationem habere in cœlis in lege veteri tota populorum benedictio terrenorum copiam adferebat, ſola peritura bona promittebat, hæc vnice amabantur, nec mirum, nec dum enim Diuinus vultur hominem exceperat ſuis alis, necdum Euchariſtiam inſtituerat, quâ ad ſuperna ferimur, & elato deſiderio, in æterna

Iob. cap. 5. ſola ſperamus: ô quam bene Iob id agnouit cum ait, *pulli vulturis altiſſime volitant:* Vulturem Chriſtum ſignificare, inquit

Auguſt. vbi ſupra. Auguſtinus, *Vultur eſt Dominus Ieſus quoniam ſine viri commixtione de Virgine natus eſt:* nos Diuini huius vulturis pulli ſumus, quos toties alis imponit, quoties ad Euchariſticum epulum accedimus, in quo ſpei ferculo ſaginati, ad cœleſtia totis animorum conatibus eleuamur: Aduerte exemplum in Rege

lib. 1. Regû cap. 28. Saul, quem dum grauis anguſtia premeret Pythoniſſa quædam recreauit, *tollenſque farinam miſcuit eam, & coxit azima, & poſuit*

Digitized by Google

poſuit ante Saul, & ante ſeruos eius; panis hic ſolum habuit Eucharistiæ odorem, ſed quid accidit? *qui cum comediſſent, ſurrexerunt:* antea ſemianimis erat Saul, ſed vbi panem hunc guſtauit, vbi Euchariſtici panis præſenſit odorem, reſumpſit animos, ac ſurrexit; ſurrexit quidem, non volauit, quia ſolus odor altaris myſtici ſurrectionem dare potuit, non volatum, nobis qui illum realiter guſtamus vtrumque largitur, erigit quos peccatum exturbauerat, & alas addit Spei, vt ad ſola æterna aſpirent, ac terrena tranſcendant, loquatur iam Alexandrinus Clemens: *ſicut panis minutatim in vinum coniectus vinum arripit, quod autem eſt aqueum relinquit, ita etiam caro Domini quæ eſt panis cælorum ebibit ſanguinem, eos qui ex hominibus ſunt cæleſtes, ad incorruptionem enutriens:* vides viuificum hunc panem ſpei ferculo ita communicantium animos impinguare, vt toti induant naturam cœleſtium, ac ad ſolam aſpirent immortalitatem. Clemens Alexandr. lib. 1. pædag. cap 6.

Ioannes relegatus in Pathmos vidit paratam in cœlis 3.
Dei cœnam, ad quam infiniti prope vocabantur: ſed qui? an forte noctuis ſolare lumen ſubterfugientibus ad hoc glorioſum epulum patebit acceſſus? forſitan ſtruthiones quos natura immitis aduerſus ſuos clementia priuauit, ad illam prætendere poterunt introitum? nequaquam ait Ioannes, *ſed omnibus auibus quæ volabunt per medium cælum, venite & congregamini ad cænam magnam Dei:* aues vocat, ſed volantes, ſed aquilas quæ ſolis non refugiant intuitum, ſed ad ſuperna ferantur: ſed columbas quæ aſſiduo gemitu ad cœleſtia aſpirent: dicit Ambr. in Exameron *columba non mergit caput*; dum bibit caput nunquam immergit aquæ, ſed vel ipſo roſtri acumine potat: iſtæ ſunt columbæ, quas ad epulum Euchariſticum vocat Dominus, quæ de viſibilibus ſola neceſſaria capiunt, illis ſe non immergunt totas, ſed rationis acumine his vtuntur, & ad æterna ſemper gemunt: ideo notat Baſilius in primitiua Eccleſia, ſacraria in quibus Euchariſtia condebatur, in colum- Apocal. cap. 19. Ambr in Examer. Baſil epiſt. ad Cæſarium.

bæ ſpeciem aptata fuiſſe, at quiſquis myſtico altari accede-
ret, ſibi columbæ indolem ſciret eſſe induendam, hoc eſt nec
affectum terrenis immergendum, ſed ad perennia bona con-
tinuo gemitu aſpirandum, pulchre Theodoretus in rem præ-
Theodor citatus a Caſtro in cap. 40 Eſaiæ. ſentem ait, *fidelibus ingenerabit Deus alas, & ſimiles efficiet cæle-
ſtibus poteſtatibus Angelis & Archangelis, quibus alas dat ſcriptura
ſacra:* quia cibus Eucharisticus alas dat fidelibus, vt iam non
ſolum columbæ fiant ſed etiam Angeli, qui ad ſola ſuperna a-
ſpirent: inde Eſaiam factum columbam, vix enim Seraphim
ori eius aliquid immiſit, cum ſtatim paratus fuit ad volatum,
Eſaiæ c. 6. *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem for-
cipe tulerat de altari, & tetigit os meum:* cum illico leuis factus vt
columba & ſpiritu ductus alas exclamat *ecce ego, mitte me*; Baſi-
lius legit *ecce ego ſum mitte me*; Papæ: vilis homuncio Diuini-
tatis ſibi nomen aſſumit, interrogatus Deus à Moyſe quis eſ-
ſet, reſpondit *ego ſum qui ſum*; & propheta eodem ſe audet no-
mine compellare, *ecce ego ſum mitte me:* vt quid hoc? pulchre
Baſilius in c. 6 Eſaiæ Baſilius reſpondet: *ecce ſum ego fiducia iam fretus, quaſi particeps
illius eſſentiæ, ſeipſum annumerat his qui in conſortium venerant illius
eſſentiæ:* calculum in ore exceperat qui panis Eucharistici præ-
ferebat imaginem, cum tanta ſpe ac fiducia incepit animari
interius, vt iam ſe in Diuinitatis vocatus arbitraretur conſor-
tium: ita enim animum erigere ſolet ad ſuperna vt quaſi cœ-
leſtis & Angelicus factus, ad ea ſolum totis niſibus aſpiret.

PARS ALTERA.

9. Neque hunc ſolum effectum producit in nobis vt ad
cœleſtia, inditis ſpecialis, animos erigat, ſed eos etiam in ter-
renorum deſpectum adducit: qui enim communicat digne,
pretioſa quæque ſæculi deſpiciat neceſſe eſt; idcirco Num.
Num. c. 11. Abulenſis cap. 11 manna dicitur *ſimile coriandro:* ſiue bdellio: Abulenſis
Plinius lib. 2. cap. 5. bdellium putat eſſe lapidem berylli, qui lapis pretioſus eſt,

eoque

eoque pretioſior quo minus participat de auro: ita Plinius de berillis loquens, ait eos *cryſtallis fore ſimiles capillamenta habere, ſordeſque alioqui euanidos; nidos ſolos gemmarum eſſe prædicare qui auro carere malint*: manna ergo ſimile berillo aſſeritur, non quod auro carere appetat, quia materialis cibus nullam habere poteſt appetentiam, ſed cum manna, panis Euchariſtici figuram prætulerit, ſecundum eam veriſſime ac propriiſſime berillo ſimilis fuit, nihil enim ab eo magis eſt alienum, quam aurum, quam opes & diuitiæ; quiſquis hæc appetis, quiſquis cor tuum perituris hiſce rebus præpedis, pane non berillabis Euchariſtico, amat ille animos, aurea omnia odio habentes, his delectatur immorari, qui terrena omnia faſtidiunt ac peſſundant: tantæque virtutis eſt in hoc genere, vt omnem eorum affectum à poſſeſſis à ſe cordibus abigat: Idipſum animaduerte in Abrahamo, qui reportata ab hoſtibus ſpolia deſpiciens ait, *da mihi tantum animas, cætera tolle tibi*: Geneſ.cap. 14. quo factum eſt vt panis & vini benedictionem acceperit ab ſacerdote Melchiſedech: ſed quorſum hoc? an forte hoſtium ſpolia cum pane & vino non potuiſſent conuenire? poterant quidem, ſed quia panis & vinum, corporis & ſanguinis Dominici figuram exprimebant, ideo omnis ſpoliorum affectus abigitur, neque poteſt cibus Euchariſticus animum replere, quem terrenorum bonorum amor repleuerit, fugit ille terrena omnia, & quia berillus eſt aurum non poteſt pati, ſed omnem eius affectum fidelium cordibus adimit: promat in hanc rem ſuum ſymbolum Cyrillus, *ei quidem benedixit Melchiſedech, qui erat figura Chriſti, ſicut docuit Paulus & cum nullum accepiſſet ſpolium, pane & vino eum aluit*: ita ille. Cyrill.Alexand in Col ect. c. 6.de Abraham.

Hanc Euchariſticæ gemmæ gloriam calluiſſe videtur Iſaac, cum inter benedicendum filio ait: *ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni*: ſed quis obſecro potuit ager tanto viro ſubolere? an ille forſan in quo pretioſa illa gemma reconditur, cuius emendæ ſtudio negotiator Euangelicus vadit & vendit Gen. c. 27.

Digitized by Google

omnia quæ poſſidet? omnino ſane: Triticeus ager Euchariſtia eſt, in quo margarita illa cœleſtis Verbum Dei abſconditur, vis gemmam hanc ſollicitus negotiator mercari? eme agrum illum, vade, & vende quæ poſſides, terrenorum omnium amorem exue, aurea quæque peſſunda, hoc ſolum pretio talis gemma comparatur: vt pulchre adnotauit Paſchaſius cum ait: *in iſto agro corporis Chriſti, theſaurus abſconditus vernat floribus immarceſcibilibus, & redolet ſuauitate odoris, quem qui inuenerit homo, vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum:* hanc igitur benedictionem cupiebat filio ſuo Iſaac, vt Euchariſtici agri odorem imbiberet, ac omnium terrenorum in animum ſuum induceret deſpectum, quia illius meſſe non fruit, qui adhuc ad peritura incuruatur, erectũ quærit animũ, omnique terrenorum affectu denudatum: quod à longe contemplatus Hieremias filiam Edom ad gaudium & exultationem prouocat, *gaude & lætare filia Edom quæ habitas in terra:* ſed quæ mihi, reſpondet illa, occaſio lætandi? en miſera ſedeo in puluere, nec adhuc vlla apparent veſtigia Seruatoris mei: quid læter aduena & peregrina in terra ignota, inter infenſiſſimos hoſtes, omni momento metuens perditionem? quid gaudeam viduata ſponſo mille procis circumdata, pudicitiã meam adulterari parantibus? Quin imo *gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra, ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis.* O miram occaſionem lætitiæ, ſedebat vidua, famelica, deſolata, & vt afflictæ recrearet animum calicem pollicetur, qui ei ebrietatem inducat & nuditatem: O nos fœlices, ſi hoc calice ſemel digne liceat refici? ô beatam ebrietatem, quæ periturorum omnium obliuionem ingerit; ô nuditatem optandam quæ mundialium omnium nudat affectu: hic eſt Euchariſtici calicis effectus, hæc nuditas & obliuio ſoli debentur myſtico pani, quia berillus eſt, qui fidelium animos facit ſine auro berillare: ſed audiamus Cyprianum dicentem. *Vident hæc Sacramenta pauperes ſpiritu, & hoc vno con-*

S. Paſchaſ. lib de corpore & ſanguine Domini.

Thren. 4.

Cyprian. Serm. de Cœna Domini.

contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aſpernantur, & poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi poſſidere ſupellectilem dedignantur: nec vacat myſterio, quod hic calix inebrians & denudans, apud Lucam dicatur, *hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine:* per teſtamentum enim quilibet bona à ſe abdicat, & ad hæredem tranſmittit, ſic qui Euchariſtici calicis virtutem cupit obtinere, teſtamentum eſſe ſciat, quo fideles à ſe terrena omnia abdicare debent, nec voluptas, nec Diuitiæ nec gloriæ mundiales corda titillent amplius, quia hic calix hiſce animos exuit & denudat, vt bene dicat Ambroſ. *Chriſtianus qui mundum non poſſidet, hic totum poſſidet Saluatorem;* & hæc eſt occaſio lætandi quam dicit Hieremias, quia calix myſticus cum mundialium obliuione, eorum etiam inducit deſpectum: *ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis.*

Luc ca. 22.
Ambroſ. Serm. 51.

II. Tres alarũ differentias reperio in Scripturis, primæ ſunt alæ columbæ Pſal. 54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo:* aliæ ſunt aquilæ Eſaiæ 40. *qui ſperant in Domino, aſſument pennas vt aquilæ;* vltimæ ſunt alæ Phœnicis, de quibus Iob 29. *in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos:* legit Rabbi Selomoh. *& ſicut phœnix multiplicabo dies:* nuper oſtendi hoc Sacramentum columbæ & aquilæ alas conferre, iam vero de pennis phœnicis differendum: Phœnix teſte Plinio, Ambr. Hieronymo: Herodoto, & Ouidio: auis eſt quæ poſt quingentos annos ſolarib. expoſita radiis igne conſumitur, ac noua forma reſumpta, in vitam redit vegetiorem, tum pernici volatu in vaſtas ſeſe recipit Arabiæ ſolitudines: quid de fideli, corpori & ſanguini Dominico communicanti dicam, niſi quod Phœnix eſt? qui ſub accidentibus panis totum in ſe excipit Iuſtitiæ ſolem, cuius ardoribus ita amburitur, vt vetus Adam reſoluatur in cineres, ac nouus qui ſecundum Deum creatus eſt, renaſcatur, alas aſſumit, ſed Phœnicis, quibus mundailia omnia tranſcendat, idcirco ait Auguſt. *qui manducat*

Pſalm 54.
Eſaiæ c. 40.
Plinius.
Ambroſ.
Hieron.
Herodot.
Ouid.
Aug. tract. 25 in Ioan.

Digitized by Google

cat hunc panem inuiſibiliter renaſcitur, intus infans eſt: cœleſtem ſumit infantiam, ac Phœnicis in modum populoſas fugit Ciuitates, & ſuperba palatia, ac abditiſſimas quæſque ſolitudines incolit, hoc eſt ſpretis illis quæ mundus pretioſa aut ſuauia poſſidet, ſeſe in altum erigit ac ad ſolam aſpirat æternitatem: vnde Tertullianus Euchariſtiam bene vocat æternitatis ſemen, quia ſe ſumentes vegetat in immortalitatem: ita Proſper Aquit. *qui manducat hunc panem eſcam ſalutis accipit, & æternitatis poculum bibit:* dat medicus potionem infirmo qua diutius vitæ protrahat dies, ſed in Euchariſtia ſumitur poculum quod in immortalitatem vitam producit, ac vegetat ſemine æternitatis, vt iam ſpretis omnibus quæ vita præſens appetit, ſolis inhiat cœleſtibus & æternis. Multos hodie reperire fas eſt, perſimiles Racheli, cui cum Lia filii ſui Ruben mandragoras obtuliſſet, illas emit, ac vt earum iucunditate potiretur ſeſe Iacobi priuauit amplexibus, ideo ait ad eum Lia, *ad me intrabis, quia mercede conduxi te, pro mandragoris filii mei:* Auguſt. dicit eſſe poma viſu pulcherrima, ſed inſipida guſtui: O quã multi reperiuntur hodie, quos mundus vel dæmon ab optatis Dei amplexibus arcent, ſola obiecta pomi venuſtate: diuitiæ, honores, voluptates, poma ſunt iucunda quidem aſpectu, ſed quæ æternam ferant amaritudinem, multi ſeipſos complexibus Chriſti quibus in Euchariſtia frui poſſent ſeſe priuant, vt his pomis inanes ſtomachos ſaginent: O quam vere Euæ filii: quæ *pomum pulchrum viſu, aſpectuque delectabile:* habere maluit, quam Deo ſuo coniungi: ſed veri fideles & Chriſtiani, qui omnem materni pomi guſtum in baptiſmi lauacro exuerunt, poma hæc etſi viſu iucunda, guſtu tamen inſipida deſpiciunt, vt Deo ſuo fruantur: callentes eum qui ſic egerit, eodem ſummo bono fruiturum in ſempiternum.

Tertull. Proſper Aquit. Sent. 339. Gen. c. 30. Auguſtin. lib. 22 contra Fauſtum c. 56.

FERCV-

FERCVLVM AMORIS.

Diſcurſus Quartus.

SOlemniſſimum eſt apud Deum, gratiam quam peccatoribus eſſet daturus, cum ad eius ſeſe non diſponunt ſuſceptionem, dare iuſtis magis diſpoſitis, id me docet Canticum Canticorum vbi ſic lego *mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris:* gloſſa dicit eſſe poma aſpectu pulcherrima, & ſuauiſſimi odoris. Plinius & Dioſcorides aſſerunt herbas eſſe quæ mulieres fœcundent. Ambroſius mandragoris peccatores recens conuerſos ait ſignificari qui bonum efflent odorem ſanctimoniæ, Alii Chriſtum, qui dum peccator cordis ſui introitum aperire renuit, dum pulſat, ad animarum melius diſpoſitarum portas ſeſe recipit, in eis ſuorum chariſmatum effundens odores, idipſum Seruator noſter indicauit Ioannis cap. 6. cum poſt ſatiatos quinquies mille homines, iuſſit cibi reliquias colligi, hic enim cibus panem gratiæ ſignificat, quem, quia peccatoribus nihil prodeſt, dat magis ſanctis: exemplum habes in lege naturali, vbi Deus Iobo quia ſe ad id diſponebat, omnem gratiam contulit, quam aliis eſſet daturus; idcirco tot modis Iuſtus vocatur in ſcripturis. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo:* vides quantam aggregationem nominum quæ ſanctimoniæ eius copiam valeant exprimere: idem accidit Moyſi in lege ſcripta, quem Paulus tanta gratiæ ac ſpiritus repletum fuiſſe aſſerit abundantia, vt Deus ad efficiendos ſeptuaginta alios ſapientes, de Spiritu qui erat in Moyſe acceperit, vt illis conferret, quo factum eſt vt Concilium Sanedrim habuerit ortum, & ratio cur Moyſes tanta gratiæ copia redundaret, fuit, quia quam non volebant ſuſcipere peccatores,

I. Cant. c. 7. Plinius lib. 24. cap. 13. Dioſcorid. li. 4. cap. 61. Ambroſ. Ioan. ca. 6. Iob cap. 1.

tores, Deus illi conferebat. Iam vero vt ad legis gratiæ tempora accedam, in mundo vniuerſo nihil niſi peccata viſebantur, quia currebant omnes poſt deſideria cordium ſuorum, & ad quamlibet impietatem ferebantur præcipites, quid ergo ageret Deus de tanta gratia quæ toti mundo erat conferenda? Caſtiſſimam reperit Virginem, ac in eius animum omnem illam gratiam infudit, adeo vt eius plenitudinem præſentiſcens cœleſtis nuntius dixerit, *Aue gratia plena*; quaſi diceret, video ſatis in te totius mundi gratiam collocatam, idcirco te gratia plenam ſaluto: bene in hanc rem ait Hieronymus de peccatoribus *præmium quod eis fuerat repromiſſum vident tranſire ad alios*; & Gregorius in cathena S. Thomæ, affirmat talentum melius diſpoſito fuiſſe collatum, *quiſquis autem charitatem habet, alia etiam dona percipit, quiſquis autem charitatem non habet, etiam dona quæ percepiſſe videbatur amittit*: quod, ideo dixi vt colligat quiſq; gratiæ marianæ quantitatem, quæ ad illud exaltata eſt incrementum, vt quicquid gratiæ toti fuerat orbi conferendum, in eius animum infunderetur: da ergo Virgo Deipara gratiæ tuæ vel ſtillam vnam, vt digne exequar quod propono.

Hieron. in c. 25. Matt. Gregor.

2. Philoſophus duo eſſe aſſerit, quę ita prępediant animum ac occupent, vt alteri negotio non poſſit occupari: ea autem ſunt vel ſumma afflictio, vel ſumma lætitia, fieri tamen poteſt vt amor, qui ſua vi cæteris animi affectibus antecellit cum perfectus eſt, ita ſe gaudio vel mœſtitiæ opponat, vt ſeipſum teſtimonio aliquo extrinſeco ſuppreſſis aliis prodat: Id facile probauero, ſi reuocauero in memoriam quod habetur lib. 2. Regum vbi Saul genero ſuo Dauidi necem atque interitum moliebatur: Princeps ille reprobus in id totus incumbebat, vt aliquod ordiretur periculum in quod Dauidem traheret, toties eum domo regia abegerat, toties ei manu propria mortem inferre tentauerat, & crudelis animus necdum his ſatiatus, noua retia machinabatur: Dauid pauperculus

Ariſtot. lib. Rhetor. cap. 2.

lib. 2. reg. cap. 1.

culus tanta ideo premebatur anguſtiis, vt fractus erro, ne immites ſoceri manus incurreret, nulla in ſede fixa moraretur, vbi tamen triſte mortis Saulis accepit nuntium, etſi ſummis anguſtiis premeretur, quas tot defuncti perſecutiones pepererant, maiorem tamen ſe amor oſtendit, cum enim de eius obitu lætari potuiſſet, de eo triſtatus eſt, ac intimi doloris teſtes lachrymas effudit: *planxit autem Dauid planctum huiuſmodi ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius:* afflictio & triſtitia quam conceperat ex eo, quod is qui ſe amare debuerat, ad internecionem vſque perſequeretur, reuera ſumma erat, & quia ſumma, ſummum etiam gaudium de eius obitu parere debuerat, animum tamen inter hos duos affectus conſtitutum, ita ſuo imperio ſubdidit amor, vt non prioris illius triſtitiæ, non gaudii indicia proderet, ſed ſolas lachrymas amoris teſtes: pulchre in hoc propoſitum Rupertus: *nam poterat optare vt aut dies mortis eius veniret, aut in prælium deſcendens periret? ſed ecce occulta cordis manifeſtus iuſtitiæ actus defendit, dum ipſe plangit, & per pœnam vel mortem eius quam nuntiauerat, nemini ſuorum exultandum eſſe decernit*; quaſi diceret Dauid iuſte poterat necem inferre Sauli tanquam hoſti, tantum abfuit vt id ageret, quin potius accepto de infœlici eius obitu nuntio triſtatus eſt, amoris ſui indices lachrymas effundens, ac alios duos affectus mœſtitiæ & gaudii moderatus. Rupertus lib. 2. in libros Reg. cap. 20.

Sponſus in canticis eiuſdem teſtimonium exhibuit, cum dixit: *aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*; Philo, Guillielmus, & Nyſſenus hic ait hoc præclare factum ſponſi, vnum ex præſtantiſſimis amoris actibus fuiſſe: *hic amoris ſummi & perfecti ſtatus incipit deſcribi, quando iam amans plane viuit in amato*; ſed quomodo amans Diuinus hoc loco ſui amoris perfectionem oſtendit? Dicam quod potero: aderit præ foribus amaſiæ tota nocte infœlix procus, aut rogans introitum, aut aſpectum: cœlum interim denſa obnubilatum 3. Cant. c. 5. Philo. Guillielm. Nyſſenus.

caligine nouum diluuium vomet, ac pauperculum miſſo imbre perfundet, abſit vt decidentis pluuiæ quæ totum madefecit amictum, iniuria eum ab amaſiæ valuis excludat, quin imo feruentius vrget, inſtat, pulſat, ac ſibi poſtulat aperiri, atque vt impetret quod rogat, irrogatæ ſibi ab imbribus iniuriæ facit mentionem: Eodem modo ſe geſſit amator Diuinus ait Guillielmus, totus erat imbre madidus, nocturnæ tenebræ copioſa eum aqua perfuderant, cum poſtulat ſibi valuas ſponſæ reſerari, *aperi mihi amica mea, quia caput meum plenum eſt rore, cincinni mei guttis noctium:* At vero quæ iſtæ ſunt guttæ

Honorius in cap. 5. Cant. quæ illum adeo irrorarunt? reſpondet Honorius hic: *caput meum plenum eſt rore, hoc eſt fides diuinitatis meæ repleta eſt errore, & cincinni mei pleni ſunt guttis noctium, id eſt, fideles mei repleti ſunt peccatis Dæmonum*: ô fœdiſſimas guttas: errores qui fidelium obſidebant intellectus, & ſcelera quæ voluntates inficiebant infœlices guttæ extitere, quæ amantiſſimi ſponſi fœdabant cincinnos, quo dolore qua debuit mœſtitia affici, cum

Rup. lib. 5. Cant. ſe his guttis ſibi adeo inuiſis madidum ſenſit? idem ait Rupert. *guttæ noctium, ſunt tenebræ & veritati offundentes ſenſus hæreticorum, eædem ſunt ros noxius cadens de cœlo, quia de gratia Dei ceciderunt talia blaſphemantes:* tantum id Chriſto peperit doloris ac triſtitiæ, vt maiorem non potuerit experiri, & tamen quaſi nulla anguſtia premeretur, vrget, clamat, *aperi mihi ſoror mea:* non deſinit ob id amare, & pulſare corda infidelium, vt ſibi aperiant, adeo affectuum omnium ſeſe moderatorem amor oſtendit cum perfectus eſt, etſi animus extrema calamitate torqueretur, etſi ſummo odio æſtuaret, peſſundat amor omnia, ac ſuper cætera victricia ſigna attollit.

4. Suggerit mihi Diuinum aliquid in hanc rem liber Gene-
Geneſ. c. 3. ſeos: cũ Deum Adamum quærentem introducit, *vocauitq; Dominus Deus Adã, & dixit Adam vbi es?* notandũ eſt protoplaſtum iam ſuaſioni mulieris præbuiſſe aſſenſum, iã fatalis pomi morſu læſũ, iam cõſiliũ ſerpentis Diuino prępoſuiſſe mandato, & vt

vnico

vnico verbo omnia dicam, iam ſuum offendiſſe conditorem, quod vbi agnouit Deus, eum quærit, appellat, clamat, *Adam vbi es, vbi es?* in quo non poſſum ſatis Diuini amoris mirari magnitudinem, quid non ei doloris attulit caſus Adami, quibus anguſtiis non preſſus eſt? certe eo dolore crediderim affectum quo Patrem, qui vnigenitum ſuum cum ſumma videt iniuſtitia morti adiudicatum: filium vnicum habebat Deus quem amore proſequebatur infinito, ac eodem quo ſeipſum deperibat; ſtatim vbi Adam peccauit, eum Diuina Iuſtitia morti addicit crudeliſſimæ, vt ſua morte pro totius humani generis reatu ſatisfaceret: quantum ergo doloris ac triſtitiæ parere debuit Deo Adami peccatum, quandoquidem illo & ſuæ Diuinitatis ſpreuit maieſtatem, & iuſtitiam prouocauit, vt filium ſuum vnigenitum immaniſſimæ traderet laniènæ; quid dicam? vis amoris, ingentem vim ſuperauit afflictionis, ac adegit Deum vt eum etiam miſericorditer quæreret qui horum cauſa extiterat, *vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit Adam vbi es?* vocauit non vt pœnas infligeret, ſed oſcula, non vt cæderet flagellis prodigum, ſed amplecteretur filium, eleganter in hanc rem Rupertus ait: *ſane quod vltro nolebat agnoſcere vbinam eſſet, id eſt, quantum in malum decidiſſet, hac ſaltem percunctatione Dei pulſus, euigilare, & videre debuerat vbi eſſet, hoc enim benignitas quærentis intendebat, vt is qui quærebatur ſe ipſum inueniret, & ſciret quid perdidiſſet, quid commeruiſſet:* ecce tibi Diuinum hominum amatorem Adamum quærentem vt ſaluaret, cum ex occaſione data, vt perderet quærere potuiſſet, maluit tamen amor ſenſum doloris extinguere, vt omnium affectuum ſe moderatorem oſtenderet.

Rupertus lib 3. de Trinit. & operib. eius cap 14.

5.

Addam adhuc vnum in præſentem materiam ex Canticis, vbi de ſponſa dicitur, *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias:* quæ de Eccleſia intelligunt Ambr. Theodoret. Iuſtus, & S. Leander homil. de laudibus Eccleſiæ, diutiſſime vixit Eccleſia inter ſpinas, veprium ſæpe experta eſt aculeos,

Cant. ca. 2. Ambroſ. Theodor. Iuſtus. S Leander. hom. de laud. Eccleſ.

cum tot perſecutionibus & calamitatibus fuit preſſa; vt dicit Chriſtus apud Honorium, *ſicut ego ſum lilium inter ſpinas, id eſt, Iudæos me pungentes & lacerantes, ſic eris tu Eccleſia amica mea, inter gentes filias Babylonis, id eſt, confuſionis, quæ te multis ſpinis cruciatuum pungent, & multis pœnis lacerabunt*: qualiter inter ſpinarum acumina ſanctiſſima hæc ſponſa verſata eſt, cum eius membra, ſancti Martyres à Tyrannis immanem paterentur lanienam? quibus doloribus, quibus anguſtiis fuit preſſa, licet non oppreſſa? quos veprium non ſenſit aculeos, ad quam eius triſtitia non deuenit extremitatem? an ergo inter tot ſpinas obliuiſcetur ſponſi? forſitan cedet amor mœſtitiæ, & ingens vis doloris, flammas dilectionis extinguet? hoc abſit, amore nimis perfecto feruet, quin imo media inter tot calamitates, quaſi lilium caput exerebat, ac ſponſi non oblita aureum charitatis monſtrabat fulgorem, *in verbis factiſque eſt lilii caſtitas ſeu candor, & in cordis intimo, aureus color charitatis*: ita amor omni ſenſu doloris ſuperior triumphabat: hæc reuera ſunt charitatis perfectiſſimæ indicia, facile tamen amori Seruatoris ceſſura, medius erat inter ſummam triſtitiam, quam eius corpori paſſionis apprehenſio pariebat, & ſummam lætitiam, tum ex aſpectu beatitudinis quo eius animus continue recreabatur, tum ex proxima gloria futuræ reſurrectionis ortum: medius ergo erat inter has ſpinas, ac ſummum gaudium, & mæſtitiam ſummam patiebatur, nec tamẽ hæc amoris eius flammas extinxerunt, ardebat ignis in pectore, quem mortis cineres parabant extinguere, ſed ipſe omnium victor ſe oſtentauit, ac gaudio triſtitiaque exhibuit ſuperiorem: cum in vltima cœna memor noſtri ferculum amoris inſtituit, quo eius dilectio de focis affectibus triumpharet: O vere amoris Sacramentum, in quo filius Dei ſumma exhibuit ſui teſtimonia amoris, ô vere charitatis ferculum, omni qua Deus poteſt exhibitione amoris conditum: hoc primum oſtendo: monſtraturus poſtea amoris à nobis reciprocationem poſtulare.

PARS.

PARS PRIOR.

Vix lucem Moyſes adſpexerat, vix infantulus materno 6.
effuſus aluo primam auram hauſerat, cum iunceæ nauiculæ Exod.c.2.
in Nilo committitur vt ferocientis Pharaonis animi rabiem
effugeret: venuſtiſſimus erat ſupra modum, cumque illi gra-
cilis vndæ motus ſuauem in iunceis cunis conciliaret ſom-
num, illico adhæſit ripæ nauicula, *in carecto ripæ fluminis*: ait
ſacer textus, eumq; fœliciter repertum filia Pharaonis com-
plectitur, ac vices parentis ſubit, Deo illi nobiliorem ma-
trem prouidente, quam fuiſſet illa quæ Nilo ſorbendum aluo
effuderat, ſed præſtat in hanc rem Ruperti diſcurſum audi- Rupertus,
re. *porro elegans infantulus, eleganti proſpiciens è cælo miſerationis* lib. 10. de Trinit. &
occurſu, exceptus eſt, vt & matri ſuæ cui natus fuerat non periret, & operib. eius cap. 9.
aliam matrem præpotentem adoptandus inueniret; ita Diuina pro-
uidentia tenero proſpiciebat infantulo. Præcipuus effectus
(de ſpiritalibus ac ſupernaturalibus loquor) quos Deus in Iu-
ſtorum animis ſolet operari, non immerito raptus ſiue exſta-
ſis nominatur, cum enim impreſſionem exſtaticam alicui
immittit, ita illius præpedit animum, tantaque potentia oc-
cupat, vt illum in obiectum amatum omnino abſorbeat, cor-
poreas ſuſpendat facultates, naturalium operationum præ-
cludat aditus, corpus quaſi relinquat exanime, adeo vt ne-
que oculis, neque linguæ, neque auribus, neque aliis exte-
rioribus potentiis ſuas permittat operationes exercere; Eo
deuenerat caſtiſſima illa ſponſa in Canticis cum dicebat, *ego* Cant. ca. 5.
dormio & cor meum vigilat; atvero hæc ſane magna ſunt; ſed
quam foret admirandum ſi Amor eoſdem pæne effectus in i-
pſum Deum operaretur, num ad ſummam dilectionis perfe-
ctionem attigiſſe dicendus eſſet, ſi ita ſupremi numinis ca-
ptiuaret maieſtatem, vt eam quoque in exſtaſim induceret? S. Dionyſ. Areopag.
certe idipſum Beatus Ioannes ac poſt eum S. Dionyſius Areo- lib. de Diuinis nominibus.

 pagita

pagita aſſeuerat, cum ait, *Deus vſque ad exſtaſim amat nos:* quæ cum ita ſint, dicere auſim ſi hunc Deus amoris effectum in ſe prodidit, tum maxime fuiſſe, cum ſub panis ſpeciebus in vltima cœna ſeipſum Sacramentauit: Diuina Iuſtitia illum morti pro generis humani ſalute deputarat, ſed quid egit ipſe? antequam infame mortis ſubiret ſupplicium, exiguam ſpecierum Sacramentalium nauiculam nouus Moyſes ingreditur, atque ita ſe vaſtiſſimi mundi huius Oceani fluctibus exponit vt tamen exſtaſim amoris pateretur, atque hoc amatorio ſomno, vſque ad finem ſæculi credendus ſit ſopiendus; & certe ſi in hac Euchariſtica nauicula filium Dei attentius contemplemur, reperiemus omnino, & vi modi exiſtendi (vt Theologice loquar) exſtaſim paſſum, ibi enim ſine vlla imperfectione, oculi eius nihil intuentur, aures non audiunt, non eloquitur eius lingua, idque ex vi modi eſſendi, & tamen idem filius Dei qui in cœlis eſt, loquitur, videt, audit, quod accidit ratione præſentiæ quã habet ſub Sacramentalibus accidentibus, quæ neque ſpecies neque extenſionem ad id operis neceſſariam admittit: quis iam non videat Moyſem Diuinum ſomno exſtatico in ſua nauicula quieſcentem, vix eum Pharaonis filia, hoc eſt, Eccleſia intuita eſt, vix mundi huius fluctibus expoſitum aduertit, cum amplectitur illum, mille oſcula, ſuauiatur, mille ambit complexibus, ac maiorem ex eo reperto ſuauitatem percipit, quam Ægyptiaca illa ex Moyſe, adeo vt eo vſque vltimam ſæculi conſumptionem ſit potitura, quod ſatis innuit Ioannes, *cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; quaſi diceret ne vos in admirationem rapiant quæ Chriſtus præſtitit in vltima Cœna, cum Sacramentalem nauiculam ingreſſus, ac in ea Exſtatico amoris ſepultus ſomno figuram Moyſis expreſſit, id enim eum in finem egit, vt ſui erga Eccleſiam Amoris teſtimonium exhiberet, ac ſic quieſcens melius membrorum eius peccata ſimulationis velo tegeret, vt ait propheta, *ſilebit in di-*

Ioan. ca. 13.

in dilectione ſua: hoc eſt, exſtaticus ſomnus, quem in Euchariſtia patitur, cauſſa illi eſt ſilentii atque diſſimulationis.

Cum Deus ex coſta Adami Euam educere pararet, Protoplaſto ſoporem induxit, S. Auguſtinus affirmat hunc ſomnum fuiſſe exſtaſim, in qua conditor futura myſteria ei propalauit: ſed quorſum hæc? cur non excitato Diuina reſerauit arcana? Chryſoſtomus optime reſpondet ideo immiſſum Adamo ſomnum, vt videns ſponſam ſuam Euam Matrem viuentium, tanta decoratam venuſtate, ac tot qui ex ea originem ducere debebant nepotibus circumdatam, hanc ex tunc tanto proſequi affectu inciperet, vt poſtea etſi illa peccandi occaſionem eſſet datura, ac eum in turpem ruinam tracturo, nunquam ſemel accenſam in pectore dilectionis flammam extingueret, ſed his omnibus ſuppreſſis, ad extremum vſque halitum tanquam dimidium ſui deperiret, *vt ne ſentiendo dolorem*, ait ille, *mulieri ex ſe formatæ, poſtea doloris memor infenſus fieret:* idem affirmat Rup. *quid inquam hoc voluit, niſi vt firmam & inſolubilem debere eſſe oſtenderet, vnici coniugii charitatem*; hanc ergo ob cauſam filius Dei exſtatici raptus formam voluit in Euchariſtia imitari: eadem nocte; infenſiſſimis hoſtibus, nequam proditor illum tradebat; Eccleſiam ad cuius formationem accedebat, breui labefactandam ac pene extinguendam intuebatur, ſatis perſpicaci oculo mille deſpectus quos non ab hæreticis ſolum ſed à perditæ vitæ fidelibus paſſurus erat, contemplabatur: quid ergo remedii vt tot patiatur iniurias, tot ignominias diſſimulet? certe nihil aliud quam ſi in Euchariſtica nauicula, ſomnum patiatur exſtaticum, ac iuxta ſe ſponſam Euam totam pulchram, totam mundo muliebri ornatam habeat, cum enim Eccleſiam feſtiuis hiſce diebus adeo auguſte apparatam, ac ornatam ſplendide adſpicit, cum fideles omnes tanto deuotionis affectu feſtum hoc celebrare, tantum luminum ac ſuffituum apparatum, tantam ſpiritualium gaudiorum exuberantiam intue-

Chryſoſt. hom. 1. in Geneſim.

Rup. lib. 2. de Trinit. & operib. eius ca. 34.

intuetur, inde accidit vt poſtmodum quicquid mali perpetrent toto anno, patiatur ipſe, ac diſſimulet, in hoc oſtendens, auguſtiſſimum hoc Sacramentum, vere eſſe Sacramentum amoris, in quo Deus raptus in Exſtaſim, fidelium peccata velo diſſimulationis offundat.

8. Cant. c. 3. Non inuenuſtam rei huius probationem ſuggerit illud Cantici, *ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum aſcenſum purpureum, media Charitate conſtrauit, propter filias Hieruſalem.* Septuaginta loco ferculi legunt *lectum:* ſolis poſtremis verbis inhæreo, *media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem:* pretioſum lectulum Salomon erexit, cuius in medio amorem conſtituit, idque in filiarum Hieruſalem gratiam. Per hunc lectum nauiculam Euchariſticam non inepte puto intelligi cum multis Patribus à Docto Ghiſlerio relatis, hæc erga nauicula Diuini Salomonis lectus eſt in quo ei amor ſomno exſtatico videtur ſenſus conſopire, *media charitate conſtruit:* Habent origines *razuph* per *ſade* ex verbo *razaph* quod ſignificat, magna pretioſorum lapidum, in morem ignitorum carbonum ſcintillantium varietate ornare, ideo *rezeph* carbones ſignificat ab eadem radice, ſicut & plurale *rezaphim*, id eſt, panes pennarum: cum ergo dicitur Salomon lectum ſuum dilectione ſtrauiſſe, omnino intelligendum occurrit, de Euchariſtico epulo quod panis prunarum eſt, ac amoris ferculum, quod tantis Diuini amoris flammis verbum æternum condiuit, vt in eo nihil niſi ignes, niſi prunæ videantur, charitate, præcipuum ſuum effectum qui exſtaſis eſt, in eo operante: *ſed quorſum? propter filias Hieruſalem:* vt animabus noſtris benefaceret, ac earum diſſimularet peccata, eumdem in modum quo aliquis quem profundus ſomnus occupat, modo nuper tradito: ita in rem præſentem Rupertus, *quomodo vel in quo filiabus huiuſmodi proficit, quod media ferculi, Salomon charitate conſtrauit? nimirum in eo quod facere poſſunt, & ſuum faciunt illud quod*

Ghiſlerius. Rupertus in cap. 3. Cant.

eſt

Digitized by Google

eſt aliorum; quaſi diceret, animæ peccatrices quæ nulla ratione merentur à Deo diligi, quia hic amor ſolis debetur Iuſtis, adeo huic participant, vt eorum etiam gratia exſtatico ſomno ſopiri Chriſtus in Euchariſtia voluerit, quatenus eorum peccata in diſſimulationem traheret: *media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem*.

His non inhæreo diutius, ſed ad maiorem amoris huius exaggerationem, mea pergit oratio: parum enim fuiſſet ſi filius Dei amoris ſui intenſionem eo ſolo prodidiſſet, quo peccata hominum diſſimularet, niſi etiam ad tale deueniſſet extremum, quo animæ communicanti id omne concederet quod poſſet: Omnino ita eſt A A. cum vos cœlorum atria beatos poſſidebũt, Deo perfruemini, ipſi viciſſim poſſidebitis Diuinitatem, verum tantus eius amor extitit, vt non potuerit hanc ſui donationem vſque ad beatam vitam differre, ſed in hac etiam vita miſera eum ipſum fecerit, cum in Euchariſtico ferculo dat quicquid põt, eum in finẽ illud inſtituens vt qui participaret altari, id omne ſumeret quod beatos in cœlis efficit fœlices, in hoc exiguo Sacramentalium ſpecierum ferculo ea continentur quæ æterna ſuauitate Angelicos Spiritus perfundunt, nihil amplius ſpera, quantum ad ſubſtantiam in beata perennitate, hic totum poſſides quod illic, exigua hoſtia totum capit quod cœli capere non queunt: Fallor niſi veritatis huius lineamentum aliquod voluit Iſaac ducere, cum filio ſuo Eſau dixit, *frumento & vino ſtabiliui eum, tibi vltra quid faciam?* quaſi diceret, tota mea benedictio in frumento & vino conſiſtit, hanc ego fratri tuo iam contuli, nec quicquam reſiduum eſt quo te quoque donare poſſim, quod eleganter proſequitur D. Paſchaſius, cum ait, *hoc eſt, aperte dicere firmaui eum pane corporis Chriſti, & vino ſanguinis, tibi autem filio vltra quid faciam? putaſne ſi fueris indignus tanta gratia, vllis quod polleas bonis, vltra quam nihil amplius in hac vita præſtatur?* omnis benedictionis ac fœlicitatis cumulus in frumento ac vino corporis & ſangui- 9. Gen. ca. 27. S. Paſch. li. de corp. & ſang. Domini.

ſanguinis filii Dei conſiſtit, eo vno collato homini, nihil ſupereſt Deo quod vlterius conferat; fœliciſſimi illi ſpiritus quos cœleſtis gloriç abſorbet Oceanus, nihil amplius obtinet; quiſquis ad hoc acceſſerit epulum, nauiculam eſſe ſciat, quæ Diuinitatem & humanitatem Chriſti cum omnium beatorum gloria complectitur: non plus capit vaſta ſua mole cœlum Empyreum, quam hoſtia exigua, id omne præbet communicanti, quod poſſidebitur in cœlis.

10. Quiddam Diuinum in rem præſentem adducit Apoſtolus cum ait, *lac vobis potum dedi tanquam infantibus*; ego vos quia adhuc tenelluli ac infantes in cunis vagientes eratis, ſuauiſſimo lacte potaui; ſed in Exodo dicit Deus populo, *ducam vos in terram lacte & melle manantem*; Clemens Alexand. optime quærit, cur Paulo ſimul cum natura lac infantulis propinante, illud idem Deus iam hominibus prouectis polliceatur: detur lac pueris, quia naturæ conſonum, quæ cibo duriori ali non poteſt, non renuo, ſed quod idem iam factis hominibus promittatur, non capio ſatis, quis non miretur militibus emeritis, ſuperato iam caſtrorum puluere, ac triumphanti lauro coronatis, pœnates patrios reuiſentibus, lac promitti, quod infantium adhuc in cunis vagientium cibus eſt? reſpondet Clemens argute, *iure iuſtis rurſus lac Dominus pollicetur, vt aperte verbum eſſe vtrumque oſtendatur, alpha & omega, principium & finis:* non ſine ratione infantibus & ætate prouectis Dominus lac promittit, cum lactis nomine intelligatur Deus qui principium eſt & finis omnium, principium inquam vnde condita omnia ducunt initium, & finis qui terminat vniuerſa, cum ergo lacte Euchariſtico animam reficit, alpha & omega, principium & finem omnium illi impertitur, non poteſt præſtare quicquam amplius, quia ſub lactis huius candore ipſum tradit, miles emeritus poſt inita mille certamina in puluerulento vitæ præſentis Lycæo, poſt debellatas aëreas poteſtates cum cœlos triumphator aſcendet, vt immarceſſibilem

1. Corinth. cap. 3.

Exod. c. 3.

Clemens Alexandr. lib. 1. pædag. c. 6.

Digitized by Google

bilem victoriæ ſuę palmam recipiat, non plus obtinebit, quam Iuuenculus Euchariſticæ menſæ participans, quicquid illi in lacte gloriæ conceditur, totum Deus huic ſub Sacramentali lacte impertitur, quodque omni admiratione maius eſt, vnica Sacramentalium ſpecierum nauicula, totum claudit, quod modo beatos omnes æterna imbuit fœlicitate; id ſatis calluit Eccleſiaſticus dicens, *cui dedit Deus diuitias atque ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua:* epulum in quo prodigus omnem paternæ ſubſtantiæ portionem abſumpſit, vere infœlix fuit atque calamitoſum in eo quod apud Parentem nouam reperit portionem: ſed in eo fœlicitate omni atque ſuauitate repletur menſa Euchariſtica, quod in perexiguo ferculo tota paternæ hæreditatis portio conſumitur, poſt cuius abſumptionem nihil vltra ſperandum, Sancti nihil amplius ex paterna hæreditate percipiunt in cœlis, quam quod olim ſub tenui hoſtia mortales perceperunt, ea omnem beatorum poſſidet fœlicitatem, *qui manducat carnem filii hominis, ait Olympiod. & bibit eius ſanguinem, futuræ fœlicitatis partem hic aliquam fruitionemque accipit*: ex quo ſatis patet eum qui epulo Euchariſtico reficitur, in eo omnem ſumere fœlicitatem, quam ſit in æternum habiturus.

Eccleſiaſtici cap. 5.

Olympiod.

II.

Inuitans ſponſa caſtiſſima filium Dei vt domum introiret, audet polliceri, *& dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum:* quaſi diceret, adſis obſecro ſponſe amantiſſime, vt tibi amatorium philtrum ſuaui aromatum varietate conditum propinem. Legionenſis, per hoc vinum, muſtum intelligit melle admixtum; Delrius eiuſdem videtur eſſe opinionis; ſi tamen hebraicam radicem attenderimus aliter omnino erit dicendum, verbum enim *harekah* originem ducit ab *rakah* quod vnguenta componere ex varia aromatum admixtione ſignificat, & τὸ μεςεψικȣ̃ quo vtuntur ſeptuaginta interpretes eiuſdem omnino eſt ſignificationis: muſtum ergo hoc, vinum quoddam mixtum ac mira confe-

Cant. ca. 8.

Legionenſis hic Delrius hic.

Digitized by Google

ctum arte, ad cuius compoſitionem pretioſa ingrediantur aromata, ſignificat. Plinius eiuſmodi vinorum quæ antiqua epula mira condiebant ſuauitate facit mentionem; hoc igitur ſuppoſito, iam quid ſignificet poculum eſt diſquirendum, Rupertus omnem ſoluit dubietatem, cum ait, *porro quod dicitur & dabo tibi poculum ex vino condito, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum intelligit, quod eſt ſacratum ſacrificium, in memoriam paſſionis Chriſti*; habes ergo Auguſtiſſimum altaris Sacramentum vinum eſſe, ſed mixtum & compoſitum quo Deus recreat atque inebriat animam, mixtum eſt quod in ſui compoſitionem Diuinitatem & humanitatem filii Dei, ac omnem Angelorum beatitudinem admittit, hæc ſunt pretioſa aromata quæ terra non parit, in cœlis quærenda, ſub alio climate generantur, his componitur nectar cœlicum quo beati inebriantur, vinum quod tibi in Euchariſtico calice propinatur, idem eſt quod guſtatur in poculo glorioſo, ſolum calicis diſcrimen eſt, non vini, illud cryſtallinum ac diaphanum, quia qui eo potantur, iam non vident in ænigmate, ſed clare, ſed facie ad faciem, ſed intuitiue, hoc autem adhuc ſenſibile nimis eſt, adhuc materiam induit, quæ ſpecies ſunt panis & vini, quæ fidei præpediunt obtutus, ne clare & euidenter intueantur quod ſub ſuo cortice claudunt: idem tamē vtrobiq; vinum eſt, vno hauſtu communicans animus totum bibit Oceanum, qui cœleſtem perenni fœlicitate alluit paradiſum. O Amorem vere potentem, ô feruentem dilectionem, quantam vim in omnes animi affectus exeris, quam potenter corda occupas, cum ſuauiſſimo Ieſu medio inter externum gaudium quod ex vicino reſurrectionis ſuæ triumpho hauriebat ac inter mœſtitiam qua eius animum pulſabat imminens paſſio, noſtri memoriam ſuggeſſiſti, ac quaſi nihil aliud quo occuparetur haberet, adeo in hominum amorē ſuſcitaſti, vt ferculum hoc amoris pararet, quo fidelium animas, cœleſti ſuauitate ſaginaret: ideo non verear dicere nuſquam tale ſuæ

Plinius lib. 14. cap. 17.

Rupertus lib. 5. in Cant.

dile-

dilectionis exhibuiſſe teſtimonium, cum homo factus, ſemel etiam eſt incarnatus, at vero quoties digne percipitur hoc idem myſterium renouat, ac toties incarnatur quoties Eucharíſticis ſpeciebus velatus ſumitur: ſemel in paſſione extremum diem obiit; at in hoc ferculo toties mortem myſticam ſubit, quoties ſacerdos debita cum intentione verba profert conſecrationis, quid dicam; vbi in hoc Sacramento ſeipſum, & quicquid poteſt contulit, omne aliud in nos collatum beneficium videtur tranſcendiſſe: Euſebius Emyſſenus ait vere ingentẽ fuiſſe gratiam, cũ proprio halitu vitam homini inſpirauit, & Tertullianus non veretur aſſerere halitum hunc ex intimis Dei præcordiis proceſſiſſe, ſed addit Euſebius, quiddã longe Diuinius ac magis fuiſſe amatorium quod non halitum ſolum, ſed ſeipſum totum in Euchariſtia contulerit, *grandi dignatione*, ait ille, *primo homini ſpiraculum vitæ, de ſua pius formator infudit, ſed nunc pæne maior charitas, pro eodem homine non iam ſua dedit, ſed ſeipſum impendit, & tradidit*; in prima conditione hominis, halitum impendit, in Incarnatione naturæ indiuiduæ quam aſſumpſit, communicauit ſeſe; ſed in hoc amoris ferculo toties mortem myſticam patitur, quoties hoſtia conſecratur, toties de nouo Incarnatur ac cuilibet naturæ in indiuiduo copulatur, quoties ſub panis & vini ſpeciebus recipitur, adeo vt Auguſtiſſimum hoc Sacramentum *non plus vltra* amoris recte nuncupandum ſit, cum Hercules in freto Gaditano memoratas illas columnas erexit, quia credidit terras vlterius non dari, illis inſcripſit *non plus vltra*: quaſi dixiſſet, hic ſtet mea fortuna: iam nihil reſtat quod armis belloque ſubigi à me poſſit, hic valor meus limites ponat, nullam enim prouinciam terra eſt amplius oblatura, quam meo poſſim addere Dominatui, *non plus vltra*: verum enim vero, nouus adfuit Imperator, qui nouo terrarum orbo reperto, nouas etiam columnas conſtituit, quibus illud infixit *plus vltra*: Cum Angeli animaduerterunt duas illas auguſtiſſimas colu-

Euſeb. Emyſſenus. hom. 6. de paſcha.

Tertull. lib. de reſurrect. carnis c. 6.

mnas Diuinitatem & humanitatem in Virgineo Deiparæ gremio erectas, illud, *non plus vltra*; amoris inſcripſerunt, quaſi dicerent, vbi Deus factus homo eſt, non datur vltra quod aſcendat altius, in hoc opere Diuiniſſimo, ſuam potentiam amor terminauit, ſed ſumme obſtuperunt, cum hos hodie limites in Euchariſtiæ inſtitutione ab amore prætergreſſos animaduerterunt, in ea enim toties Incarnationis agnouerunt myſterium, quoties hoſtia conſecrata à fidelibus

S. Thomas ſumitur, vnde Sancti Patres Euchariſtiam vocant extenſio-

Opuſc. 47. nem Incarnationis. & Doctor Angelicus *quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*: ſed quomodo? in quantum (vt ita dicam in omnibus indiuiduis humanæ naturæ Incarnatur, quod cum ſola natura fecerat quam aſſumpſit; Si etiam in cruce nos ſemel redemit, in altaris Sacramento id præ-

Algerus. ſtat toties quoties communicamus, vt ait Algerus *quando Sacramentum paſſionis illius, cum ore ad redemptionem ſumitur*: dicunt ergo mirabundi Angeli *plus vltra, plus vltra*, cogitaueramus in Incarnatione filii Dei Amorem Diuinum vltimos limites ſibi præfixiſſe, ſed hos ſumme ampliauit cum Euchariſticum epulum inſtituit, vbi Incarnationem & mortem videmus renouatam.

12. Volo id nobis ſub tropo eleganti ſponſa dicat, quæ poſt

Cant. ca. 1. honorificos titulos ſponſo datos, tandem addit vnum non vacuum myſterio: *botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*: vbi in primis notandũ occurrit, nõ intelligendũ botrum vineę ſed balſami, origines enim habent *Copher* quod balſamum ſignificat, atque omnes eius ſunt opinionis vt Iudæam balſami feraciſſimam aſſerant: ita Theophraſtus, Plinius, Dioſcorides, Iuſtinus, Strabo, Ioſephus, & alii, qui etiam addunt in Engaddi maiorem copiam reperiri eiuſdem fere cum noſtris rationis, niſi quod truncus fortior vuas ferat, adeo ne fulcris indigeant, at vero quid habere poteſt hic botrus balſami, cum quo ſponſa, dilectum trahat in comparationem? reſpon-

Theophr. lib. 9. de hiſt. plant. c. 6. Plin. lib. 12. cap. 25. Dioſc. lib. 1. cap. 18. Iuſtin. lib. 36.

reſpondet Ambr. *in illis ergo vineis lignum eſt, quod ſi quis compungat, vnguentum emittit, ſic fructus eſt ligni, ſi non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet, cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lachryma diſtillat:* id à natura, plantæ huic proprium inditum eſt, vt nuſquam perfecte ſui odoris ſuauitatem exhalet; aut ſtillet balſamum, niſi à vinitore abſciſſa atque læſa; ſtatim ex ipſo vulnere lachrymæ profluunt, quæ totidem balſami pretioſiſſimi ſunt guttæ; Video iam veſtras omnium voluntates in id propendere, vt dicam, quis ſit ſponſus tantæ venuſtatis, qui botro balſami mereatur conferri, Ambr. cum Aponio aiũt eſſe Chriſtum pendentem ex Cruce, vix enim Diuinus hic botrus, lanceæ exeptus fuit punctionem, cum ſanguinem & aquam copioſe effudit, quibus tanquam guttis balſami vulnera noſtra ſanauit, *tunc ergo in ligno compunctus eſt lancea, & ex eo exiuit ſanguis & aqua, omni vnguento ſuauior, accepta Deo hoſtia per totum mundum odorem ſanctificationis effundens, & quaſi balſamum ex arbore*, ita Ambroſius. Neq; tunc primum Diuinus hic botrus plorauit, antea enim in horto Gethſemani ſola imminentium laborum apprehenſione punctus, ſanguinem ſudauit & aquam; & quod mirabilius eſt, tantæ fuit amor eius actiuitatis, vt hunc quoque horti atque Caluariæ ſudorem anticiparit, alio myſterioſo: Audite obſecro rem grandem! Verbum Diuinum humanam naturam aſſumens, eamdem ſuo balſamo vnxit, ac nobiliorem ſui botri ſuccum indulſit, cum eam ad perſonalẽ vocauit vnionem; verum hoc ſpeciale fuit beneficium, neq; n. omnib. naturis in indiuiduo eamdem conceſſit gratiam, ſed illi ſoli quam ſibi copulauit, in hoc autem amoris ferculo, vere ſe botrum omnibus ſigillatim exhibuit, nam cum eius anima iam eſſet viuo imminentis paſſionis ſenſu vulnerata, ſtatim balſamum ſtillauit, hoc eſt, venerabile corporis ac ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit, vt cum eo fideles omnes vngeret in particulari, ſicut eam quam in Incarnatione ſibi naturam

Strabo lib. 16. Ioſeph. lib. 9. Antiq. Iudaic. c. 1. Ambr. Sermon. 3. in Pſal. 118. verſ. 1.

copu-

copulauerat, fructumque paſſionis ac ſanguinis ſui cuique peculiariter applicaret, quem pro omnium vniuerſaliter ſalute in Caluario effuderat, cum effera barbari militis lancea ſacrum eius latus ſua cuſpide terebrauit. Videns ergo ſponſa pretioſiſſimum hunc botrum in Euchariſtiæ palmite, ſudantem ſanguinem, audacter dicat, *botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:* quandoquidem tunc maiora ſui amoris teſtimonia hominibus exhibuit, quam in Incarnatione, aut paſſione.

PARS ALTERA.

13. Enimuero fideles animæ quid vobis Diuino huic Amatori cenſetis rependendum? amatori inquam adeo intimo ac ſyncero, vt quicquid nobilius ac perfectius habuerit, totum illud nobis impenderit? quid reddet mortalis tenuitas pro tali beneficio? aut quas amoris referet vices ſuo Seruatori? nihil aliud expectat præter amorem, id loquatur Chryſologus, *totum quod eſt in nobis reſpondeat gratiæ non timori, nam qui Iudicem mutauit in Patrem, amari voluit non timeri*; oportet vt quas gratitudinis rependemus vices, non timori reſpondeant, ſed gratiæ, ſi enim in hoc ſacramento, formam Iudicis exuit, vt Parentis aſſumeret, id ſine dubio factum vt nos timoris exuto affectu, toti prorumperemus in amorem; Quis enim dubitat verum Euchariſtici Epuli condimentum, amorem eſſe? quilibet cibi ſub multiplici condimentorum ſpecie poſſunt apparari, alterum proprium ac genuinum eſt quo ipſa ſibi ſuauitas iucundiſſime guſtatur, aliud vero non proprium, bonum quidem ſed quod cibi non prodat ſuauitatem, exempli gratia, perdicem malo aureo, ſale ac pipere condire iucundiſſimum eſt, & ad guſtandas nobilis huius volucris delicias accommodum; qui ſub alio condimento ea voluerit refici, id faciet quidem, ſed non cum natiua quam edentibus exhibet

Chryſol. Serm. 67.

volu-

Voluptate. In cœna vltima, filius Dei Sanctiſſimum epulum inſtituit, ferculis corporis ac ſanguinis ſui inſtructum, hæc fercula ſuas quoq; habent delicias, ſed ſub natiuo q̈ poſtulant condimento exhibendas, hoc autem amor eſt, qui cum condimento amoris de hoc guſtauerit epulo, ſe ſciat cœleſti eius ſuauitate ſaginandum: quiſquis autem ſolo timore duce ad illud acceſſerit, etſi recte faciat, natiuas tamen delicias non guſtabit, amore vult condiri, omne aliud condimentum excludat, qui genuina refici voluerit iucunditate; id nouerat regius Vates dicens. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te:* quaſi diceret, Deus Immortalis; quam voluptatem ill s abſcondes qui ad Euchariſticum epulum cum timore accedent, hanc iis guſtandam porriges, qui aliud præter amoris non nouerint condimentum, eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Doctor Angelicus cum ait: *pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus:* mirum regios animos ad guſtandam huius epuli ſuauitatem vocari, imo longe amplius mirum eſſet ſi aliter ſe res haberet; quid rex timeat? quis regium animum poſſit in timorem adducere? etiam animus qui timore exuto, ſola charitatis flamma ardens huic ferculo amoris appropinquarit, qui vere Rex excuſſo timoris pondere communicarit, regales Diuini huius epuli delicias guſtet neceſſe eſt: nec eſt quod trepidos importunus cenſor velim ſugillare, bonus quidem timor eſt, ſed amor optimus, debet non aliter pauor ſe habere quam aulicus qui Principem fœminam ad Euchariſticam menſam ducit, vbi enim eo peruentum eſt, tum ipſe ſe ſubducit, tum abit: ita timori faciendum, ſalutare eſt ante communionem pauere, terrore concuti, ſed vbi iam ad ipſam acceditur ſumtionem, ſecedat timor, locum det amori, qui volet Euchariſticas guſtare delicias, ita ſe gerat eſt neceſſe: loquatur in rem præſentem Carthuſianus, *trahit mentem amantis tam valide, tam prædominanter & gratioſe in ſe, in diuitias gloriæ ſuæ, taliter vt a-*

Pſal. 80.

S. Thom.

Dionyſ. Carthuſ. Serm 4. de Euchariſt.

Digitized by Google

vt animam impinguet in Oceanum deliciarum beatitudinis ſuæ; quod præſertim agit cum in Euchariſtia ſumitur, ſed feruido amore condîtus, vt notum ſit omnibus ſe ſpecierum Sacramentalium ſuſcepiſſe velum, *Quia amari voluit, non timeri.*

14. Vt quid enim hoc condimentum amoris Sacramentales non detegeret delicias, cum amara quæque eo condita dulceſcant? Vidit aliquando Ezechiel ſpeciem hominis ſacrũ templi altare metientis: q̃ Viſionem expendens Rupertus ſubtile aliquid & argutum ingerit, quod videlicet hoc altare Sacratiſſimam crucis aram exprimeret, in qua verus agnus erat immolandus, quam tunc menſus eſt, cum Euchariſtiam inſtituit: *menſus eſt altare ligneum*, ait ille; *id eſt, Crucis vel paſſionis ſuæ Sacramentum, ſubſtantiam panis & vini accipiens in manibus ſuis, dicens hoc eſt corpus meum*; intendit dicere vno verbo, Chriſtum ob oculos habuiſſe omnes iniurias quas in ara Crucis erat excepturus, ac earum quantitatem metiri voluiſſe, quod vt præſtaret, menſuram amoris in vltima cœna aſſumpſit, ac mortuus eſt myſtice cum Euchariſtiam inſtituit, quo reperit, omnes quantaslibet paſſurus eſſet iniurias nihil eſſe amori ſuo collatas, quandoquidem myſticam mortem illi adeo ſuauem reddiderat vnus Amor; Crux ergo, claui, ſpinæ, flagella, vibices, iniuriæ, vulnera hoc amoris ſucco condîta, tantum abſit quod aliquam pepererint moleſtiam, quin imo ita dulcorem induerunt, vt ſummam filio Dei generarint voluptatem; quanto magis eius in Euchariſtia experimentum fiet, ſi natiuo ſuo ſucco, id eſt, amore condiatur: dicat ergo Carthuſianus, *abſorbet animam atque demergit in ipſam Diuinitatis abyſſum, præ cuius deguſtatione & complacentia deficit prorſus à ſe*; ad hoc ergo amoris ferculum, ardens dilectione accede, ſi eius cupias voluptate ſaginari.

Ezech cap. 41.

Rupertus lib. 2. in Ezech. c. 27.

Carthuſ. vbi ſupra.

FERCV-

FERCVLVM VITÆ.

Diſcurſus Quintus.

VBi Deiparæ Virginis attentius ſpeculor Maieſtatem, eam perfectius exprimere me non poſſe putem, quam ſi ſub nauis ſymbolo illam contempler; teſtis ſit mihi Moyſes, qui de gemino Rebeccæ partu ſermonem inſtituens, ait, *& collidebantur in vtero:* quod Simmachus vt placet Hieronymo legit *in ſimilitudinem nauis in ſuperficiem ferebatur*, Iacob in materno vtero tanquam in vaſtiſſimo campo fratrem aggreſſus, in modum nauis bellicæ quæ pugnam naualem iniens aduerſarias aut elidit triremes, aut allidit ſcopulis, aut abſorbet profundo; quidni filia Iacobi hanc quoque Parentis ſui gloriam ſit conſecuta? nauis fuit cœleſtis inſtitoris, quæ armis munita gratiæ vaſtiſſimum præſentis vitæ pelagus ingreſſa, originalis peccati tremendam omnibus triremem funeſto ſcopulo alliſit, vt quid enim Scyllas & Charybdes timuiſſet, quę cœleſtem habens nauarchum omnia fauſta ac proſpera erat expertura? victoriæ nomen ſortiatur nauis huiuſmodi quæ de Tartaro ita glorioſe triumphauit: magnanimus ille ſui ſeculi Nauarchus Megallanes nauem habuit quæ bis fœlici curſu totius Oceani ambitum eſt emenſa, quem licet adeo pauendum, ita tamen ſerenum ac tranquillum expertus eſt, vt ei pacifici nomen indiderit, ac ratem ſuam, Victoriam nuncuparit; Potiori iure Virgo Deipara, victoria vocitanda eſt, quæ primum vitæ huius limen attingens, vbi omnes immanem originalis peccati ſcopulum experiuntur, vbi nemo eſt qui non abſorbeatur fluctibus, ipſa tamen tantũ abeſt quod eius pulſata fuerit tempeſtatibus, quin imo ſuperato labis primigeniæ ſcopulo, adeo curſu fœlici totius vitæ ſuæ Oceanum emenſa

1. Gen. ca. 25.

eſt, vt vere illum habuerit pacificum, ſine vlla peccatorum tempeſtate, vt ſicut victoria eſt, ita vita eius mare pacificum ſit nuncupanda, loquatur in rem præſentem Damaſc. Orat. 1. de dormit. Deiparæ, *inuenit Maria gratiæ abyſſum, quæ duplicis Virginitatis nauem incolumem ſeruauerat, animamque, non minus quam corpus, incolumem cuſtodierat*: Maria nauis eſt ſed duplicata, quia corpus & anima eius ſanctiſſima primigenii peccati ſcopulum hominibus adeo formidandum fœliciter euaſit. Sed quorſum? breuiter ediſſeram: hoc inde affirmare auſim proceſſiſſe, quod Virginea hæc cymba originalis gratiæ atq; cœleſtium donorum panem veheret, nos vero pomum illud funeſtum Adami, quod ſingulorum rates primigenio peccato allidit, Æneas apud Poëtam naufragiorum omnium cauſam Didoni præſagiens, ait, *Claſſemque ſub ipſa Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ*; quaſi diceret ſub Antandro nauigantibus nobis infenſum æquor præſagio, Strabo per Antandrum, illam montis Idæ partem intelligit, in qua aduerſus Troianos Iuno indignationem exacerbata concepit, ob abſciſſam inde pomum, vt nauigio pro malo ſeruiret, nihil ergo calamitoſius, nihil toti huic claſſi accidere poterat funeſtius, quam quod ſub pomo vela faceret, venio ad punctum: Iob homines omnes vitæ huius procelloſum æquor ingredientes animaduertens, ait, *pertranſierunt ſicut naues poma portantes*; quaſi diceret, origo ac cauſſa præcipua cur mortales omnes in ipſo vitæ præſentis introitu, originali ſcopulo allidantur, ea eſt, quod eorum quilibet, vnum Infœlicis pomi quod Adam guſtauit bolum vehat, inde tota ratio naufragii: Sed Virginea cymba quæ ne vel minimum pomi huius odorem ſpirauit, ſed omni cœleſtis gratiæ plena ſarcina, mercibus illæſis, periculoſum hunc toti humano generi ſcopulum euaſit: Quid mihi obſecro poſſet optabilius accidiſſe, quam quod Sacratiſſima hæc nauis gratiæ panem adueheret, ac ex beato cœlorum portu ſoluens, mihi Diuino onuſta lumine appropinquaret?

Damaſc. Orat. 1 de dormit. Deipar.

Virgil. lib. Æneid.

Strabo lib. 13.

Iob cap. 9.

quæret? id rogo, id efflagito cymba Virginea, vt volenti vitæ ferculum toti offerre mundo, prius aduehas, quam omnibus impertiri ſoles gratiam, quam huic condiendo manum admoueam.

Eamdem mihi Verbum Diuinum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento formam videtur aſſumpſiſſe, quam nutrix amantiſſima, quæ preſſa leui pollice mamma infantulo lac propinat, id me docuit quiſquis ille eſt qui ait in Canticis *meliora ſunt vbera tua vino*; quod Nyſſenus, Maximus, Nilus, apud Theodoritum, de Euchariſtia intelligunt, ea enim quaſi ſacratiſſimis vberibus nos alit in beatitudinem: *per illa vbera admiranda & vino præſtantiora, cogita illos ineffabiles altaris fontes, ex quibus nos alumni pietatis nutrimur*; quia in his Sacramentalib. fontibus, matris amantiſſimæ filius Dei formã aſſumit, quæ lac ſuorum vberum, omni ſuauius nectare propinat, *meliora ſunt vbera tua vino*; quemadmodum enim infantulo maternæ mammæ non ſolum tribuunt potum, ſed & nutrimentum, ita plane communicantis animus in Sacratiſſimo altaris vbere cibum reperit corporis Chriſti, ac potum ſanguinis eiuſdem; apte etiam per vtramque mammam exprimitur, quia non ſolum Sacramentum eſt, ſed & ſacrificium, denique ſicut qui lac ſugit innatas nutricis inclinationes imbibit, fitque bonus vel nequam, ſecundum quod ad alterum natiuo nutrix motu propendet, vnde Philoſophus & Albertus Magnus aſſerunt, ſi capra vbera porrigeret agno, omnino fore vt quo tempore lac caprinum ei nutrimentum præberet, eodem etiam natiuam ſuæ ſpeciei lanam exueret, vt piloſo in caprarum morem vellere indueretur, adeo vt capræ hinnulo non abſimilis factus omnẽ agnorum indolem cũ cortice videretur exuiſſe; ita liberi earum bonas aut peruerſas inclinationes ebibunt, è quarum vberibus penduli lac ſugunt: Chryſoſt. filii Dei charitatem, quæ vt nos paſceret matris amantiſſimæ formam aſſumpſit, contemplatus, multum

2.

Cant. ca. 1. Nyſſenus. Maximus. Nilus. Theodor.

Ariſt. lib. 4 de gener. animal Albert. Magnus li. 28.

Chryſoſt.

eſt, vt vere illum habuerit pacificum, ſine vlla peccatorum tempeſtate, vt ſicut victoria eſt, ita vita eius mare pacificum ſit nuncupanda, loquatur in rem præſentem Damaſc. Orat. 1. de dormit. Deiparæ, *inuenit Maria gratiæ abyſſum, quæ duplicis Virginitatis nauem incolumem ſeruauerat, animamque, non minus quam corpus, incolumem cuſtodierat:* Maria nauis eſt ſed duplicata, quia corpus & anima eius ſanctiſſima primigenii peccati ſcopulum hominibus adeo formidandum fœliciter euaſit. Sed quorſum? breuiter ediſſeram: hoc inde affirmare auſim proceſſiſſe, quod Virginea hæc cymba originalis gratiæ atq; cœleſtium donorum panem veheret, nos vero pomum illud funeſtum Adami, quod ſingulorum rates primigenio peccato allidit, Æneas apud Poëtam naufragiorum omnium cauſam Didoni præſagiens, ait, *Claſſemque ſub ipſa Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ*; quaſi diceret ſub Antandro nauigantibus nobis infenſum æquor præſagio, Strabo per Antandrum, illam montis Idæ partem intelligit, in qua aduerſus Troianos Iuno indignationem exacerbata concepit, ob abſciſſam inde pomum, vt nauigio pro malo ſeruiret, nihil ergo calamitoſius, nihil toti huic claſſi accidere poterat funeſtius, quam quod ſub pomo vela faceret, venio ad punctum: Iob homines omnes vitæ huius procelloſum æquor ingredientes animaduertens, ait, *pertranſierunt ſicut naues poma portantes*; quaſi diceret, origo ac cauſſa præcipua cur mortales omnes in ipſo vitæ præſentis introitu, originali ſcopulo allidantur, ea eſt, quod eorum quilibet, vnum Infœlicis pomi quod Adam guſtauit bolum vehat, inde tota ratio naufragii: Sed Virginea cymba quæ ne vel minimum pomi huius odorem ſpirauit, ſed omni cœleſtis gratiæ plena ſarcina, mercibus illæſis, periculoſum hunc toti humano generi ſcopulum euaſit: Quid mihi obſecro poſſet optabilius accidiſſe, quam quod Sacratiſſima hæc nauis gratiæ panem adueheret, ac ex beato cœlorum portu ſoluens, mihi Diuino onuſta lumine appropinquaret?

Damaſc. Orat. 1 de dormit. Deipar.

Virgil. lib. Æneid.

Strabo lib. 13.

Iob cap. 9.

quaret? id rogo, id efflagito cymba Virginea, vt volenti vitæ ferculum toti offerre mundo, prius aduehas, quam omnibus impertiri ſoles gratiam, quam huic condiendo manum admoueam.

2. Eamdem mihi Verbum Diuinum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento formam videtur aſſumpſiſſe, quam nutrix amantiſſima, quæ preſſa leui pollice mamma infantulo lac propinat, id me docuit quiſquis ille eſt qui ait in Canticis *meliora ſunt vbera tua vino*; quod Nyſſenus, Maximus, Nilus, apud Theodoritum, de Euchariſtia intelligunt, ea enim quaſi ſacratiſſimis vberibus nos alit in beatitudinem: *per illa vbera admiranda & vino præſtantiora, cogita illos ineffabiles altaris fontes, ex quibus nos alumni pietatis nutrimur*; quia in his Sacramentalib. fontibus, matris amantiſſimæ filius Dei formã aſſumit, quæ lac ſuorum vberum, omni ſuauius nectare propinat, *meliora ſunt vbera tua vino*; quemadmodum enim infantulo maternæ mammæ non ſolum tribuunt potum, ſed & nutrimentum, ita plane communicantis animus in Sacratiſſimo altaris vbere cibum reperit corporis Chriſti, ac potum ſanguinis eiuſdem; apte etiam per vtramque mammam exprimitur, quia non ſolum Sacramentum eſt, ſed & ſacrificium, denique ſicut qui lac ſugit innatas nutricis inclinationes imbibit, fitque bonus vel nequam, ſecundum quod ad alterum natiuo nutrix motu propendet, vnde Philoſophus & Albertus Magnus aſſerunt, ſi capra vbera porrigeret agno, omnino fore vt quo tempore lac caprinum ei nutrimentum præberet, eodem etiam natiuam ſuæ ſpeciei lanam exueret, vt piloſo in caprarum morem vellere indueretur, adeo vt capræ hinnulo non abſimilis factus omnẽ agnorum indolem cũ cortice videretur exuiſſe; ita liberi earum bonas aut peruerſas inclinationes ebibunt, è quarum vberibus penduli lac ſugunt: Chryſoſt. filii Dei charitatem, quæ vt nos paſceret matris amantiſſimæ formam aſſumpſit, contemplatus, multum

Cant. ca. 1. Nyſſenus. Maximus. Nilus. Theodor.

Ariſt. lib. 4 de gener. animal. Albert. Magnus li. 28.

Chryſoſt.

ctum arte, ad cuius compoſitionem pretioſa ingrediantur aromata, ſignificat. Plinius eiuſmodi vinorum quæ antiqua epula mira condiebant ſuauitate facit mentionem; hoc igitur ſuppoſito, iam quid ſignificet poculum eſt diſquirendum, Rupertus omnem ſoluit dubietatem, cum ait, *porro quod dicitur & dabo tibi poculum ex vino condito, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum intelligit, quod eſt ſacratum ſacrificium, in memoriam paſſionis Chriſti*; habes ergo Auguſtiſſimum altaris Sacramentum vinum eſſe, ſed mixtum & compoſitum quo Deus recreat atque inebriat animam, mixtum eſt quod in ſui compoſitionem Diuinitatem & humanitatem filii Dei, ac omnem Angelorum beatitudinem admittit, hæc ſunt pretioſa aromata quæ terra non parit, in cœlis quærenda, ſub alio climate generantur, his componitur nectar cœlicum quo beati inebriantur, vinum quod tibi in Euchariſtico calice propinatur, idem eſt quod guſtatur in poculo glorioſo, ſolum calicis diſcrimen eſt, non vini, illud cryſtallinum ac diaphanum, quia qui eo potantur, iam non vident in ænigmate, ſed clare, ſed facie ad faciem, ſed intuitiue, hoc autem adhuc ſenſibile nimis eſt, adhuc materiam induit, quæ ſpecies ſunt panis & vini, quæ fidei præpediunt obtutus, ne clare & euidenter intueantur quod ſub ſuo cortice claudunt: idem tamē vtrobiq; vinum eſt, vno hauſtu communicans animus totum bibit Oceanum, qui cœleſtem perenni fœlicitate alluit paradiſum. O Amorem vere potentem, ô feruentem dilectionem, quantam vim in omnes animi affectus exeris, quam potenter corda occupas, cum ſuauiſſimo Ieſu medio inter externum gaudium quod ex vicino reſurrectionis ſuæ triumpho hauriebat ac inter mœſtitiam qua eius animum pulſabat imminens paſſio, noſtri memoriam ſuggeſſiſti, ac quaſi nihil aliud quo occuparetur haberet, adeo in hominum amorē ſuſcitaſti, vt ferculum hoc amoris pararet, quo fidelium animas, cœleſti ſuauitate ſaginaret: ideo non verear dicere nuſquam tale ſuæ dile-

Plinius lib. 14. cap. 17.

Rupertus lib. 5. in Cant.

Digitized by Google

dilectionis exhibuiſſe teſtimonium, cum homo factus, ſemel etiam eſt incarnatus, at vero quoties digne percipitur hoc idem myſterium renouat, ac toties incarnatur quoties Euchariſticis ſpeciebus velatus ſumitur: ſemel in paſſione extremum diem obiit; at in hoc ferculo toties mortem myſticam ſubit, quoties ſacerdos debita cum intentione verba profert conſecrationis, quid dicam; vbi in hoc Sacramento ſeipſum, & quicquid poteſt contulit, omne aliud in nos collatum beneficium videtur tranſcendiſſe: Euſebius Emyſſenus ait vere ingentē fuiſſe gratiam, cū proprio halitu vitam homini inſpirauit, & Tertullianus non veretur aſſerere halitum hunc ex intimis Dei præcordiis proceſſiſſe, ſed addit Euſebius, quiddā longe Diuinius ac magis fuiſſe amatorium quod non halitum ſolum, sed ſeipſum totum in Euchariſtia contulerit, *grandi dignatione*, ait ille, *primo homini ſpiraculum vitæ, de ſuapius formator infudit, ſed nunc pæne maior charitas, pro eodem homine non iam ſua dedit, ſed ſeipſum impendit, & tradidit*; in prima conditione hominis, halitum impendit, in Incarnatione naturæ indiuiduæ quam aſſumpſit, communicauit ſeſe; ſed in hoc amoris ferculo toties mortem myſticam patitur, quoties hoſtia conſecratur, toties de nouo Incarnatur ac cuilibet naturæ in indiuiduo copulatur, quoties ſub panis & vini ſpeciebus recipitur, adeo vt Auguſtiſſimum hoc Sacramentum *non plus vltra* amoris recte nuncupandum ſit, cum Hercules in freto Gaditano memoratas illas columnas erexit, quia credidit terras vlterius non dari, illis inſcripſit *non plus vltra*: quaſi dixiſſet, hic ſtet mea fortuna: iam nihil reſtat quod armis belloque ſubigi à me poſſit, hic valor meus limites ponat, nullam enim prouinciam terra eſt amplius oblatura, quam meo poſſim addere Dominatui, *non plus vltra*: verum enim vero, nouus adfuit Imperator, qui nouo terrarum orbo reperto, nouas etiam columnas conſtituit, quibus illud infixit *plus vltra*: Cum Angeli animaduerterunt duas illas auguſtiſſimas colu-

Euſeb. Emyſſenus. hom. 6. de paſcha.
Tertull. lib. de reſurrect. carnis c. 6.

Digitized by Google

mnas Diuinitatem & humanitatem in Virgineo Deiparæ gremio erectas, illud, *non plus vltra*; amoris inſcripſerunt, quaſi dicerent, vbi Deus factus homo eſt, non datur vltra quod aſcendat altius, in hoc opere Diuiniſſimo, ſuam potentiam amor terminauit, ſed ſumme obſtuperunt, cum hos hodie limites in Euchariſtiæ inſtitutione ab amore prætergreſſos animaduerterunt, in ea enim toties Incarnationis agnouerunt myſterium, quoties hoſtia conſecrata à fidelibus

S. Thomas Opuſc. 47. ſumitur, vnde Sancti Patres Euchariſtiam vocant extenſionem Incarnationis. & Doctor Angelicus *quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*: ſed quomodo? in quantum (vt ita dicam in omnibus indiuiduis humanæ naturæ Incarnatur, quod cum ſola natura fecerat quam aſſumpſit; Si etiam in cruce nos ſemel redemit, in altaris Sacramento id præ-

Algerus. ſtat toties quoties communicamus, vt ait Algerus *quando Sacramentum paſſionis illius, cum ore ad redemptionem ſumitur:* dicunt ergo mirabundi Angeli *plus vltra, plus vltra*, cogitaueramus in Incarnatione filii Dei Amorem Diuinum vltimos limites ſibi præfixiſſe, ſed hos ſumme ampliauit cum Euchariſticum epulum inſtituit, vbi Incarnationem & mortem videmus renouatam.

12. Volo id nobis ſub tropo eleganti ſponſa dicat, quæ poſt

Cant. ca. 1. honorificos titulos ſponſo datos, tandem addit vnum non vacuum myſterio: *botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:* vbi in primis notandũ occurrit, nõ intelligendũ botrum vineę ſed balſami, origines enim habent *Copher* quod balſamum ſignificat, atque omnes eius ſunt opinionis vt Iudæam balſami

Theophr. lib. 9. de hiſt. plant. c. 6. Plin. lib. 12. cap. 25. Dioſc. lib. 1. cap. 18. Iuſtin. lib. 36. feraciſſimam aſſerant: ita Theophraſtus, Plinius, Dioſcorides, Iuſtinus, Strabo, Ioſephus, & alii, qui etiam addunt in Engaddi maiorem copiam reperiri eiuſdem fere cum noſtris rationis, niſi quod truncus fortior vuas ferat, adeo ne fulcris indigeant, at vero quid habere poteſt hic botrus balſami, cum quo ſponſa, dilectum trahat in comparationem?

reſpon-

Digitized by Google

reſpondet Ambr. *in illis ergo vineis lignum eſt, quod ſi quis compungat, vnguentum emittit, ſic fructus eſt ligni, ſi non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet, cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lachryma diſtillat:* id à natura, plantæ huic proprium inditum eſt, vt nuſquam perfecte ſui odoris ſuauitatem exhalet; aut ſtillet balſamum, niſi à vinitore abſciſſa atque læſa; ſtatim ex ipſo vulnere lachrymæ profluunt, quæ totidem balſami pretioſiſſimi ſunt guttæ; Video iam veſtras omnium voluntates in id propendere, vt dicam, quis ſit ſponſus tantæ venuſtatis, qui botro balſami mereatur conferri, Ambr. cum Aponio aiũt eſſe Chriſtum pendentem ex Cruce, vix enim Diuinus hic botrus, lanceæ exeptus fuit punctionem, cum ſanguinem & aquam copioſe effudit, quibus tanquam guttis balſami vulnera noſtra ſanauit, *tunc ergo in ligno compunctus eſt lancea, & ex eo exiuit ſanguis & aqua, omni vnguento ſuauior, accepta Deo hoſtia per totum mundum odorem ſanctificationis effundens, & quaſi balſamum ex arbore,* ita Ambroſius. Neq; tunc primum Diuinus hic botrus plorauit, antea enim in horto Gethſemani ſola imminentium laborum apprehenſione punctus, ſanguinem ſudauit & aquam; & quod mirabilius eſt, tantæ fuit amor eius actiuitatis, vt hunc quoque horti atque Caluariæ ſudorem anticiparit, alio myſterioſo: Audite obſecro rem grandem! Verbum Diuinum humanam naturam aſſumens, eamdem ſuo balſamo vnxit, ac nobiliorem ſui botri ſuccum indulſit, cum eam ad perſonalẽ vocauit vnionem; verum hoc ſpeciale fuit beneficium, neq; n. omnib. naturis in indiuiduo eamdem conceſſit gratiam, ſed illi ſoli quam ſibi copulauit, in hoc autem amoris ferculo, vere ſe botrum omnibus ſigillatim exhibuit, nam cum eius anima iam eſſet viuo imminentis paſſionis ſenſu vulnerata, ſtatim balſamum ſtillauit, hoc eſt, venerabile corporis ac ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit, vt cum eo fideles omnes vngeret in particulari, ſicut eam quam in Incarnatione ſibi naturam copu-

Strabo lib. 16. Ioſeph. lib. 9. Antiq. Iudaic. c. 1. Ambr. Sermon. 3. in Pſal. 118. verſ. 1.

Digitized by Google

copulauerat, fructumque paſſionis ac ſanguinis ſui cuique peculiariter applicaret, quem pro omnium vniuerſaliter ſalute in Caluario effuderat, cum effera barbari militis lancea ſacrum eius latus ſua cuſpide terebrauit. Videns ergo ſponſa pretioſiſſimum hunc botrum in Euchariſtiæ palmite, ſudantem ſanguinem, audacter dicat, *botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:* quandoquidem tunc maiora ſui amoris teſtimonia hominibus exhibuit, quam in Incarnatione, aut paſſione.

PARS ALTERA.

13. Enimuero fideles animæ quid vobis Diuino huic Amatori cenſetis rependendum? amatori inquam adeo intimo ac ſyncero, vt quicquid nobilius ac perfectius habuerit, totum illud nobis impenderit? quid reddet mortalis tenuitas pro tali beneficio? aut quas amoris referet vices ſuo Seruatori? nihil aliud expectat præter amorem, id loquatur Chryſologus, *totum quod eſt in nobis reſpondeat gratiæ non timori, nam qui Iudicem mutauit in Patrem, amari voluit non timeri*; oportet vt quas gratitudinis rependemus vices, non timori reſpondeant, ſed gratiæ, ſi enim in hoc ſacramento, formam Iudicis exuit, vt Parentis aſſumeret, id ſine dubio factum vt nos timoris exuto affectu, toti prorumperemus in amorem; Quis enim dubitat verum Euchariſtici Epuli condimentum, amorem eſſe? quilibet cibi ſub multiplici condimentorum ſpecie poſſunt apparari, alterum proprium ac genuinum eſt quo ipſa ſibi ſuauitas iucundiſſime guſtatur, aliud vero non proprium, bonum quidem ſed quod cibi non prodat ſuauitatem, exempli gratia, perdicem malo aureo, ſale ac pipere condire iucundiſſimum eſt, & ad guſtandas nobilis huius volucris delicias accommodum; qui ſub alio condimento ea voluerit refici, id faciet quidem, ſed non cum natiua quam edentibus exhibet

Chryſol. Serm. 67.

volu-

Voluptate. In cœna vltima, filius Dei Sanctiſſimum epulum inſtituit, ferculis corporis ac ſanguinis ſui inſtructum, hæc fercula ſuas quoq; habent delicias, ſed ſub natiuo q; poſtulant condimento exhibendas, hoc autem amor eſt, qui cum condimento amoris de hoc guſtauerit epulo, ſe ſciat cœleſti eius ſuauitate ſaginandum: quiſquis autem ſolo timore duce ad illud acceſſerit, etſi recte faciat, natiuas tamen delicias non guſtabit, amore vult condiri, omne aliud condimentum excludat, qui genuina refici voluerit iucunditate; id nouerat regius Vates dicens, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te:* quaſi diceret, Deus Immortalis; quam voluptatem ill s abſcondes qui ad Euchariſticum epulum cum timore accedent, hanc iis guſtandam porriges, qui aliud præter amoris non nouerint condimentum, eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Doctor Angelicus cum ait: *pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus:* mirum regios animos ad guſtandam huius epuli ſuauitatem vocari, imo longe amplius mirum eſſet ſi aliter ſe res haberet; quid rex timeat? quis regium animum poſſit in timorem adducere? etiam animus qui timore exuto, ſola charitatis flamma ardens huic ferculo amoris appropinquarit, qui vere Rex excuſſo timoris pondere communicarit, regales Diuini huius epuli delicias guſtet neceſſe eſt: nec eſt quod trepidos importunus cenſor velim ſugillare, bonus quidem timor eſt, ſed amor optimus, debet non aliter pauor ſe habere quam aulicus qui Principem fœminam ad Euchariſticam menſam ducit, vbi enim eo peruentum eſt, tum ipſe ſe ſubducit, tum abit: ita timori faciendum, ſalutare eſt ante communionem pauere, terrore concuti, ſed vbi iam ad ipſam acceditur ſumtionem, ſecedat timor, locum det amori, qui volet Euchariſticas guſtare delicias, ita ſe gerat eſt neceſſe: loquatur in rem præſentem Carthuſianus, *trabit mentem amantis tam valide, tam prædominanter & gratioſe in ſe, in diuitias gloriæ ſuæ, taliter vt a-*

Pſal. 80.

S. Thom.

Dionyſ. Carthuſ. Serm 4 de Euchariſt.

vt animam impinguet in Oceanum deliciarum beatitudinis ſuæ; quod præſertim agit cum in Euchariſtia ſumitur, ſed feruido amore condîtus, vt notum ſit omnibus ſe ſpecierum Sacramentalium ſuſcepiſſe velum, *Quia amari voluit, non timeri.*

14. Vt quid enim hoc condimentum amoris Sacramentales non detegeret delicias, cum amara quæque eo condita dulceſcant? Vidit aliquando Ezechiel ſpeciem hominis ſacrũ templi altare metientis: q̃ Viſionem expendens Rupertus ſubtile aliquid & argutum ingerit, quod videlicet hoc altare Sacratiſſimam crucis aram exprimeret, in qua verus agnus erat immolandus, quam tunc menſus eſt, cum Euchariſtiam inſtituit: *menſus eſt altare ligneum*, ait ille; *id eſt, Crucis vel paſſionis ſuæ Sacramentum, ſubſtantiam panis & vini accipiens in manibus ſuis, dicens hoc eſt corpus meum*; intendit dicere vno verbo, Chriſtum ob oculos habuiſſe omnes iniurias quas in ara Crucis erat excepturus, ac earum quantitatem metiri voluiſſe, quod vt præſtaret, menſuram amoris in vltima cœna aſſumpſit, ac mortuus eſt myſtice cum Euchariſtiam inſtituit, quo reperit, omnes quantaslibet paſſurus eſſet iniurias nihil eſſe amori ſuo collatas, quandoquidem myſticam mortem illi adeo ſuauem reddiderat vnus Amor; Crux ergo, claui, ſpinæ, flagella, vibices, iniuriæ, vulnera hoc amoris ſucco condîta, tantum abſit quod aliquam pepererint moleſtiam, quin imo ita dulcorem induerunt, vt ſummam filio Dei generarint voluptatem; quanto magis eius in Euchariſtia experimentum fiet, ſi natiuo ſuo ſucco, id eſt, amore condiatur: dicat ergo Carthuſianus, *abſorbet animam atque demergit in ipſam Diuinitatis abyſſum, præ cuius deguſtatione & complacentia deficit prorſus à ſe*; ad hoc ergo amoris ferculum, ardens dilectione accede, ſi eius cupias voluptate ſaginari.

Ezech. cap. 41.

Rupertus lib. 2. in Ezech. c. 27.

Carthuſ. vbi ſupra.

FERCV-

FERCVLVM VITÆ.

Diſcurſus Quintus.

VBI Deiparæ Virginis attentius ſpeculor Maieſtatem, eam 1.
perfectius exprimere me non poſſe putem, quam ſi ſub Gen.ca.25.
nauis ſymbolo illam contempler; teſtis ſit mihi Moyſes, qui de gemino Rebeccæ partu ſermonem inſtituens, ait, *& collidebantur in vtero:* quod Simmachus vt placet Hieronymo legit *in ſimilitudinem nauis in ſuperficiem ferebatur*, Iacob in materno vtero tanquam in vaſtiſſimo campo fratrem aggreſſus, in modum nauis bellicæ quæ pugnam naualem iniens aduerſarias aut elidit triremes, aut allidit ſcopulis, aut abſorbet profundo; quidni filia Iacobi hanc quoque Parentis ſui gloriam ſit conſecuta? nauis fuit cœleſtis inſtitoris, quæ armis munita gratiæ vaſtiſſimum præſentis vitæ pelagus ingreſſa, originalis peccati tremendam omnibus triremem funeſto ſcopulo alliſit, vt quid enim Scyllas & Charybdes timuiſſet, quę cœleſtem habens nauarchum omnia fauſta ac proſpera erat expertura? victoriæ nomen ſortiatur nauis huiuſmodi quæ de Tartaro ita glorioſe triumphauit: magnanimus ille ſui ſeculi Nauarchus Megallanes nauem habuit quæ bis fœlici curſu totius Oceani ambitum eſt emenſa, quem licet adeo pauendum, ita tamen ſerenum ac tranquillum expertus eſt, vt ei pacifici nomen indiderit, ac ratem ſuam, Victoriam nuncuparit; Potiori iure Virgo Deipara, victoria vocitanda eſt, quæ primum vitæ huius limen attingens, vbi omnes immanem originalis peccati ſcopulum experiuntur, vbi nemo eſt qui non abſorbeatur fluctibus, ipſa tamen tantũ abeſt quod eius pulſata fuerit tempeſtatibus, quin imo ſuperato labis primigeniæ ſcopulo, adeo curſu fœlici totius vitæ ſuæ Oceanum emenſa

quaret? id rogo, id efflagito cymba Virginea, vt volenti vitæ ferculum toti offerre mundo, prius aduehas, quam omnibus impertiri ſoles gratiam, quam huic condiendo manum admoueam.

Eamdem mihi Verbum Diuinum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento formam videtur aſſumpſiſſe, quam nutrix amantiſſima, quæ preſſa leui pollice mamma infantulo lac propinat, id me docuit quiſquis ille eſt qui ait in Canticis *meliora ſunt vbera tua vino*; quod Nyſſenus, Maximus, Nilus, apud Theodoritum, de Euchariſtia intelligunt, ea enim quaſi ſacratiſſimis vberibus nos alit in beatitudinem: *per illa vbera admiranda & vino præſtantiora, cogita illos ineffabiles altaris fontes, ex quibus nos alumni pietatis nutrimur*; quia in his Sacramentalib. fontibus, matris amantiſſimæ filius Dei formã aſſumit, quæ lac ſuorum vberum, omni ſuauius nectare propinat, *meliora ſunt vbera tua vino*; quemadmodum enim infantulo maternæ mammæ non ſolum tribuunt potum, ſed & nutrimentum, ita plane communicantis animus in Sacratiſſimo altaris vbere cibum reperit corporis Chriſti, ac potum ſanguinis eiuſdem; apte etiam per vtramque mammam exprimitur, quia non ſolum Sacramentum eſt, ſed & ſacrificium, denique ſicut qui lac ſugit innatas nutricis inclinationes imbibit, ſitque bonus vel nequam, ſecundum quod ad alterum natiuo nutrix motu propendet, vnde Philoſophus & Albertus Magnus aſſerunt, ſi capra vbera porrigeret agno, omnino fore vt quo tempore lac caprinum ei nutrimentum præberet, eodem etiam natiuam ſuæ ſpeciei lanam exueret, vt piloſo in caprarum morem vellere indueretur, adeo vt capræ hinnulo non abſimilis factus omnẽ agnorum indolem cũ cortice videretur exuiſſe; ita liberi earum bonas aut peruerſas inclinationes ebibunt, è quarum vberibus penduli lac ſugunt: Chryſoſt. filii Dei charitatem, quæ vt nos paſceret matris amantiſſimæ formam aſſumpſit, contemplatus, multum

2.

Cant. ca. 1.
Nyſſenus.
Maximus.
Nilus.
Theodor.

Ariſt. lib. 4 de gener. animal.
Albert. Magnus li. 28.

Chryſoſt.

in eas inuehitur parentes, quæ vix aluo effuſum partum nutrici tradunt nutriendum, *generauit filium, ſtatim eum tradidit foras*, ait ille, *& pietatis inſignia abſcondit ſuperbia, erubeſcit fieri nutrix quæ facta eſt mater, Chriſtus autem non ita ipſe nutritor & Mater eſt, ideo & pro cibo, propria nos carne paſcit, & pro potu ſuum ſanguinem propinauit.* Is eſt in nos Seruatoris Amor, qui ſuis volens nos inclinationibus & virtutibus imbuere, ac in Diuinitatis tranſire commercium, matris formam induit, Euchariſticaque porrigit vbera, quo corpus & ſanguinem eius lac effectum omni ſuauius Ambroſia, ſugamus, *quia meliora ſunt vbera tua vino.*

3. Petrus Apoſtolus ſubtiliſſimæ in hanc partem cogitationis materiam ſuggerit, cum ait, *quaſi modo geniti infantes ſine dolo rationabile lac concupiſcite:* Sanctius Epiſcopus Abulenſis verba hæc de Sacramento altaris exponit, aſſeritque lac eſſe intellectui, ſed lac viuum, vitam in ſe & rationem continens; cum puer materna adhuc aluo clauditur, eius nutritur ſanguine, ſed vbi lucem aſpexit, lac illi cedit in nutrimentum: Auguſtinus Eugubius affirmat vehemens maternorum vberum deſiderium natiuitati principium dare; dum pœnitentiam agimus, tum in ipſis Sanctæ Matris Eccleſiæ claudimur viſceribus, ac pretioſo Chriſti ſanguine paſcimur, tunc enim venerabile pœnitentiæ Sacramentum, in huius virtute ſanguinis delet ac abluit ſcelera noſtra; ait ergo Petrus *lac concupiſcite*; quaſi diceret, vehemens lactis Euchariſtici deſiderium, faciat vos Chriſti vbera arripere, quia Sacramentum eſt quod pœnitentiam ſemper debet præmittere, ideo bene ait S. Apoſtolus *quaſi modo geniti* non *nati* ſed *geniti per pœnitentiam lac concupiſcite*; quaſi diceret audacter relinquite materna viſcera, & ad Euchariſticas mammas, ſacrum illarum lac bibituri accedite, vt virtutis ſuſcipiatis incrementum, ac Parentis imbuti affectu, quæ tanta vos charitate proſequitur, eadem omnino illam ipſam proſequamini: id mihi videtur innuiſ-

1.Petri c. 1. Sanctius Epiſc. Abulenſ.

Auguſt. Eugub.

innuiſſe Chryſoſt. dicens: *non videtis quanta infantes alacritate mammillas arripiunt, qua preſſione papillis infigunt labia? non minori cupiditate nos quoque ad hanc menſam & ad huius calicis ſpiritualem accedamus papillam, imo vero deſiderio quaſi lactentes pueri, gratiam ſugamus*; quaſi diceret, idem deſiderium quod puero maternam facit aluum perrumpere, vt lucem adſpiciat, vos etiam ex pœnitentium ſtatu debere erigere, vt Euchariſticis vberibus adhærentes lac corporis & ſanguinis Chriſti, eiuſque amorem valeamus ebibere. Optime in hanc rem Auguſtinus de hoc vitæ ferculo ſermonem inſtituens ait, *quia oportebat vt menſa illa Angelorum lacteſceret, & ad paruulos perueniret*: idem cibus, quo ſolido paſcuntur Angeli, nobis tanquam infantibus totus liquatus in lac propinatur. Chryſoſt. hom. 83. Aug. Serm. 1. in Cœna Domini.

Quod acutiſſima Clementis Alexand. ſententia explico, quæ ſic ſe habet, *omni ratione in omnibus Chriſto coniungimur, aluiſſe ſæpe affert plura amoris incitamenta, quam procreaſſe*: ſæpius accidit ſuauiori pueros in nutrices affectu ferri, quam in eas quæ aluo effuderint, efficacius enim amoris illicium eſt lactaſſe vberibus, quam ſolam natiuitatem dediſſe; ratio naturalis eſt, quia dum puer viſceribus maternis, eſſe naturale participans includitur, caret lumine quo ſuam valeat agnoſcere benefactricem, cum autem iam natus eſt ac in dies incrementum ſuſcipit, paulatim etiam ſuam agnoſcit nutricem, quia vero cognitio, amoris mater eſt, voluntas enim nunquam fertur in incognitum, ideo eam ſemper intentius diligit, atque hæc dilectio tantum aliquandó ſumit augmentum vt Clemente teſte ſit feruentior in illam, quam in parentem. Cum igitur vidiſſet Chriſtus ſe homini in duro Crucis Cubili Spiritalem vitam contuliſſe, ſed mille agitatum doloribus, mille preſſum anguſtiis, idque parum ad exprimendum vel vnicam ex humano corde amoris ſcintillam profuiſſe, quin potius multos cum ſummæ ingratitudinis nota ſui oblitos, quaſi eos gratiæ luci non peperiſſet, nouum iniit conſilium, 4. Clemens Alexand. lib. 1. pæd. cap. 6.

ſilium, vt eorum ſibi conciliaret affectum, nutricis ergo conditionem accepit, vt ſua vbera cum lacte Euchariſtico homini propinaret, id ſibi perſuadens ſi tanquam Parenti negaſſet affectum, ſaltem non negaturam nutrici, quia ſummæ crudelitatis nota ſeſe pollueret, niſi eam quæ ſe tam amanter aluiſſet, diligeret; ita Clemens Alexand. *Verbum eſt omnia infanti, & pater, & mater, & altor, comedite inquit carnes meas:* Ieſus fit omnia homini, mater illi eſt in Cruce, in Euchariſtia nutrix, id eleganter proſequitur Cellenſis Abbas, *hæc menſa plena viſceribus miſericordiæ, chariſmatibus referta gratiæ, edentium penetralia mirabiliter implendo non explet, appetitus reſidentium ſatiando, acrius, ſed ſacratius vrget,* vbi illud notandũ occurrit, *plena miſericordiæ viſceribus, acrius, ſed ſacratius ſatiando vrget;* quæ verba genuine, nutricis in puerum affectus exprimunt, ſinu excipiet infantulum iam laute ſatiatum, adeo tamẽ in illũ feruet, vt etiam ſatiatum vrgeat, premat, imo etiam vim inferat, vt iterum mammæ porrigat os tenellum, quaſi ſummæ illi eſſent deliciæ ſi ſemper penderet ab vbere; Idipſum videre eſt in Sacramento altaris, vbi Chriſtus fidelium effectus nutrix, eiuſdem etiam aſſumpſit affectum, ſemper enim inuitat, vrget, allicit vt ad Euchariſtica vbera accedamus, ac Sacramentali admouentes ora papillæ, corporis & ſanguinis eius lac ſugamus, quo noſtrum etiam ſibi conciliare poſſit affectum; accipite obſecro Ireneum præſentem claudentem materiam, *quapropter qui non participant eum, neque à mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti, procedentem nitidiſſimum fontem:* quaſi diceret, Sacratiſſima hæc vbera fontem eſſe, qui concupiſcentiæ temperet flammam, ac Chriſti amorem accendat; quod ſi puer nutricis lac ſugeris eiuſdem etiam nutrimentum ſumat & vitam, *à mamillis matris nutriuntur in vitam:* nos etiam idem præſtare in Euchariſtico vbere, in quo lac ſugentes, Diuinam etiam ac cœleſtem vitam potamus; hoc primum oſtendam; poſt dicturus, eum qui huic

Clemens Alex. vbi ſupra. Petrus Cellen. lib. de panib. c. 2. Ireneus li. 3. cap 40.

huic vitæ participarit, opera ei conformia neceſſe eſſe exercere.

PARS PRIOR.

Nihil eſt veritati magis conſonum, quam carnem & 5.
ſanguinem hominis tanto eſſe horrori, vt multi ſibi potius
moriendum crederent, quam de illis guſtarent vel tantillum,
inde factum eſt multos nunquam ſibi perſuadere potuiſſe,
Chriſti carnem & ſanguinem realiter in Euchariſtia exiſte-
re, illud enim horrorem nimium pareret communicantibus,
nec rationi videretur conforme, ſi ad rem adeo naturæ repu-
gnantem cogerentur; hanc tamen difficultatem ingenioſe
ſoluit Nyſſenus, cum ait, *horror fuiſſet ſi caro ipſa videretur:* quod Nyſſenus.
ita eſt: quis enim de iis guſtare potuiſſet niſi Sacramentalium
panis & vini ſpecierum velo eſſent obtecta? cum vero obte-
guntur, non modo horrorem parere nulla ratione poſſunt,
quin imo magis adhuc vrgere poſſunt appetitum, fecit Chri-
ſtus quemadmodum ſapiens pharmacopola, inquit Nyſſe-
nus, qui purgatiuum globulum infirmo volens propinare, tot
in eius confectionem ſpecies ingerit adeo amaras ac inſipi-
das, quod ſi vel tantillum palato adhærerent ægroti, tantum
illi parerent horroris, vt nulla ratione ſe ad earum conſum-
ptionem poſſet cogere, cui periculo vt medeatur pharma-
copola prudens, amariſſimum alias globulum auro obtegit,
aut ſuauiſſimo lenit melle, quo laruata amaritudo, in ſtoma-
chũ globuli non præpediat deſcenſum; Idipſum præſtitiſſe vi-
detur Seruator noſter, in Sacramẽto altaris, inſtituendo, car-
nem enim ſuam & ſanguinem ſpeciebus panis & vini obuela-
uit, vnde fit, quod etſi credant fideles in illis realiter exiſtere
carnem Domini, non tamen horreant eam comedere his ac-
cidentibus obtectam, ſed potius appetant, ambiantque ſua- Cyprianus
uiſſime: quod pulchre aſſerit Cyprianus in hunc modum: *car-* Serm. de Cœna Domini.

nis eius edulium non eſt horrori, ſed honori, potuque ſancti & ſanctificantis ſanguinis Spiritus delectatur: nihil ergo eſt in hoc auguſtiſſimo Sacramento quod parere poſſit horrorem, etſi enim carnem humanam cum ſanguine contineat, obuelata tamen eſt accidentibus, fideſque propterea in eo omnia ſuauia efficit ac iucunda: vt ait idem Pater, *hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus & partimur:* nulla igitur ſubeſt ratio ab hoc vitæ ferculo abhorrendi rationem iam allatam, tum etiam quia oportunius remedium ad tollendam hominis neceſſitatem non potuit reperiri: hunc obſecro diſcurſum attente accipe.

Cyprian. vbi ſupra.

6. Vita quam Deus homini in prima conditione impertiuit, parum ne dicam nihil fuit proficua, eam enim illico amiſit, atque ideo Deus illam ſui oris halitu ac ſpiraculo infudit, vt habetur in Geneſi. *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ:* vt nemo dubitaret Deum eamdem qua ipſe viuebat vitam ac halitum homini inſpiraſſe, vt cum Deo ipſo viueret ac reſpiraret; ſi igitur vita quam Deus impertiuit homini, ipſiuſmet Dei vita fuit, eiuſque oris halitus, certiſſimum eſt inter medicos, ad vitæ huius conſeruationem, cibum & potum qui vitam hanc & halitum contineret fuiſſe reperiendum, quid ergo in Sacramento altaris nos ſuſcipere arbitramini? nam in eo Patris Sapientia, Verbum Diuinum vnitum eſt hypoſtatice carni & ſanguini quem ſumitis? nonne ipſe apud Eccleſ. ſe Diuini oris halitum profitetur, *ego ex ore Altiſſimi prodiui?* quoties igitur hoc vitæ comeditis ferculum, toties in veſtrum ſtomachum halitum Dei illabentem excipitis, ideo rationabiliter, communicaturi os aperitis, quia alias Diuinum hunc Spiritum capere non poſſetis, id ſe præſtitiſſe fatetur Dauid, cum ait, *os meum aperui & attraxi Spiritum:* quaſi diceret, cum prophetico obtutu ſacrum vitæ ferculum, ipſum Dei halitum continens ſum intuitus, aperui illico os meum, vt ad me ſpiritum vitæ attraherem, ſed quia id debebatur legi gratiæ, non potui

Geneſ. c. 2.

Eccleſ. cap. 24.

Pſal. 115.

Digitized by Google

potui tanto bono recreari. Dum ergo communicamus idem cum vnoquoque noſtrum agere videtur Deus, quod olim cum Adamo, inſufflauit enim in eius faciem, eique hac inſufflatione vitam & halitum ſuum inſpirauit, *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; quid aliud eſt Euchariſtiam ſumere, quam Deum inſufflare in aliquem? quam ſuum illi viuificum halitum impertiri? vt cum Hieremia poſſit dicere, *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*: Ieſus qui Paterni oris halitus eſt, noſtri quoque fit halitus in Euchariſtia, quod pulchre Tertullianus expreſſit cum carnem noſtram, *afflatus Dei vaginam* appellauit; cum enim communicamus Diuinum hunc afflatum ſuſcipimus, ac cum ipſo Dei halitu reſpiramus: ſed præſtat audire Rupertum in hanc rem ſic loquentem, *nam Spiritus oris noſtri ipſe Chriſtus Dominus, Spiritus inquam ſine quo nuſquam vita eſt, nuſquam ſalus, ac ſine quo mortuum & ſine anima eſt, quicquid ex ore noſtro eſt*: hic nos halitus animat ad vitam, ſine eo morimur, & quicquid procedit ex ore noſtro, mortis redolet corruptionem; ſi ergo in hoc vitæ ferculo Dei vitæ ac halitus quem Adamo inſpirauit, continetur, proculdubio opportuniſſimum eſt ad Diuinam hanc vitam in nobis conſeruandam; quales enim cibi, talis etiam ſubſtantia & nutrimentum quod ex illis capimus, ait Hippocrates: atque vt nemini res præſens veniat in dubium, loquentem adduco D. Paſchaſium, *hoc ſane in nobis nutritur, quod ex Deo natum eſt, & non quod ex carne & ſanguine.*

Thren. c. 4. Tertull. Rupert lib. 1. in Hier. cap. 88. S. Paſchaſ. li. de corp. & ſang. Domini cap. 20.

7. At vero obiiciet aliquis, ſi Diuinæ ſit intentionis hoc vitæ ferculo ſolum in nobis, eſſe Diuinum alere, vitamque ſuam conſeruare in nobis, non vero carnem & ſanguinem ſuſtentare, quorſum in eo carnem ſuam nobis & ſanguinem porrigit? num ſat fuiſſet, ſi halitum ac Diuinitatem ſuam fuiſſet impertitus? nonne ait Chriſtus, carnem & ſanguinem ad conferendam vitam eſſe inutilia, ſed ſolum halitum Dei ad id proficere, *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt*

quicquam? Si igitur ſanguis & caro nihil proficiunt, ſed ſolus Dei Spiritus & halitus, cur vtrumque nobis in Euchariſtia concedit? Certiſſimum eſt, nec abnuo, vnico Dei halitu, vitam in nobis Diuinam non tantum conſeruari, ſed & impertiri potuiſſe; omnino tamen fuit neceſſarium, vt caro & ſanguis ſimul concederetur, quod ſic oſtendo: cum potio aliqua ſalutaris nimiam vim exerit, ac experimento didicit medicus, debilem infirmi ſtomachum eam perpeti non poſſe, illi ſuauia pharmaca admiſcet, quibus temperatâ vis, faciliorem quoque apud infirmum potionis efficiat retentionem; Cupiens igitur Deus animabus noſtris mederi, nihil efficacius arbitratus eſt eſſe, ad infirmitates tollendas, quam ſi Spiritum & halitum ſuum, communicaret, quia tamen pharmacum fuit nimis violentum, & Adamus ſtomachum adeo debilem habuit, illud nulla ratione potuit retinere, ſed totum admiſſo peccato euomuit, ac Diuinum halitum à ſe miſer abdicauit; non multo poſt agnouit Deus tanti mali cauſam, cum dixit, *non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt:* quaſi diceret, quî fieri poteſt, vt debilis Adami ſtomachus, qui debiliſſima caro eſt, violentum halitus mei pharmacum poſſit retinere? *non permanebit Spiritus meus in homine:* id omnino impoſſibile eſt; temperentur pharmaca ſtomachis, & ſi quid acre nimis contineant, illud ſuauium admixtione dulceſcat; Spiritus meus nimium acris ſuam in eius ſtomachum vim non potuit exerere, temperetur ergo Spiritus meus admixtione alicuius aromatis ſuauioris, & quia nihil magis eius naturæ conforme eſt, quam caro & ſanguis, miſceatur halitus Diuinus carni & ſanguini, & vtrumque in Euchariſtico pharmaco propinetur, veletur Diuinitas, Spiritus, caro & ſanguis meus, accidentibus panis & vini, vt pharmacum his ſuauiſſimis temperatum aromatibus debilem ſtomachum iuuet, ac vitam meam & halitum, morienti homini impertiatur: hanc mihi cogitationem ſuggeſſit Cyprianus:

Digitized by Google

nus: *nos quidem cum caro eſſemus & ſanguis*, ait ille, *corrupta & infirma corporis animæque natura, reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei reuerti, niſi morbo inueterato, imponeretur malagma conueniens, & in commotione deſperatæ infirmitatis contraria remouerentur contrariis, & ſimilia ſimilibus conuenirent*: O ſapientiſſimum medicum, quam vere de te illud Sapientis poſſum aſſerere, *neque herba, neque malagma ſanabit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia*: non poterunt mundialia pharmaca, animarum noſtrarum mederi infirmitatibus, ſed verbum tuum, ſed ſpiritus, & halitus tuus, ſed vita tua, ex qua nobis pharmacum cœleſte compones, ſed corpore & ſanguine filii tui temperatum, tum enim ſanabit nos, ac eamdem tecum vitam faciet ducere, tunc ſolo halitu tuo corda noſtra reſpirabunt, ac vt vno verbo multa complectar, faciet in naturam Diuinitatis tranſire. Cyprianus Serm. de Cœna Domini.

Aduertendum tamen diligentius, non fore ſecurum homini ſi vacuus gratia, hoc vitæ pharmacum audeat contingere, cum enim ſpiritum & halitum Dei contineat, periculoſiſſimum eſt, ne qui palearum paſſus fuerit vacuitatem, hoc halitu à ſacra menſa exſufffletur; quorſum cogitatis dæmonem licet iam in animum fœdiſſimi proditoris vt Dominum venderet inſpiraſſet, ac ſic gratia effeciſſet vacuum, non tamen ſuaſiſſe vt cœnaculo relicto ad Pontifices pergeret, ſed cum aliis Diſcipulis, paſchali intereſſet conuiuio? vbi tamen ſacratiſſimum hoc ferculum ſui ori ſceleratus admouiſſet, illico ex menſa eiectum? Cyrianus loco citato reſpondet, id factum quia cum eſſet infœlix ille palea omni gratia vacua, conſecrata autem à Domino hoſtia Diuinum halitum contineret, fieri aliter non potuit, quin paleam hanc ſacratus hic halitus ex menſa exſufflaret, ac ex charorum diſcipulorum conſortio fugaret, loquatur ille, *vbi Sacramentum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti Sacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exſufflatus* 8. Cyprianus vbi ſupra.

tus eſt, & præceps cucurrit ad deſperationem, ad perditionem & laqueum: ſi te vanitas mundialis ac peccati lethalis culpa paleam effecerit, ab hac Sacratiſſima menſa abſcede, ne appropies gratia vacuus huic epulo, quia te Diuinus halitus ab eo ignominioſe exſufflabit: ſi vero Diuinæ gratiæ pondus animum tuum oppleuerit, vt iam nullam patiare vacuitatem, animoſus myſticæ menſæ appropinqua, tantum enim abeſt, quod te ſpiritus Dei ab ea abigat, quin potius viuificabit te, ac Diuino refectum halitu, Diuinam etiam viuere faciet vitam.

9. Sed reuertor ad meum inſtitutum, à quo ſcelerati proditoris me infœlicitas abduxerat, ac probo ratione non ineleganti, in ferculo Euchariſtico ipſam Dei vitam concedi: ait Chriſtus apud Ioannem: *ſicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me:* quibus verbis vult Seruator noſter indicare homini carnem ſuam & ſanguinem fideli animæ, Dei vitam impertiri, quod probat ex miſſione qua ab æterno parente in mundum à mandatus eſt, quod ſane intellectum, non mediocrem pariet voluptatem; Doctor Angelicus miſſionis naturam explicans, ac oſtendens, qua ratione perſona vna, alteram dicatur mittere, ait vt vere in Diuinis perſona vna ab altera dici poſſit mitti, duo eſſe neceſſaria: Primum vt à mittente procedat, debet enim perſona miſſa, ab ea exire, ac procedere quæ mittit, & quia in Diuinis non eſt alius proceſſionis modus, quam via originis, inde fit ab ea ſola à qua miſſa procedit, mitti poſſe; res clarius patebit exemplo: Pater à nullo procedit, ideo & à nullo poteſt mitti, filius à Patre ſolo ſuam ducit originem, vnde fit vt illum ſolus etiam Pater poſſit mittere, & quia Spiritus ſanctus procedit ab vtroque, idcirco & ab vtroque mitti poteſt: Alterum quod neceſſarium eſt, vt vna perſona ab altera dicatur miſſa, eſt effectus aliquis ad extra, quo ſeipſam prodat, ac quaſi termino miſſio tota claudatur; his ſuppo-

Ioan. ca. 6.

Digitized by Google

ſuppoſitis, filium à Patre mitti, nihil aliud eſt, quam via generationis per intellectum procedere verum Deum, ſeque in tempore carnis noſtræ veſtitum exuuiis prodere, quod Chriſtus ipſe aperte docuit, dicens, *exiui à Patre & veni in mundum:* quaſi diceret ſi à Patre miſſus ſum, hoc ideo factum eſt quia ab eo procedo ab æterno, & cum prædefinitum tempus aduenit, veni in mundum vt me manifeſtarem hominibus: Vlterius nemo dubitat in æterna generatione, in qua filius procedit à Patre, eumdem Parentem æternum ſuam illi vitam, ſuum eſſe, ac perfectiones omnes abſolutas concedere. Cum igitur Chriſtus miſſionem hanc, cum ſuſceptione Sacramenti confert, vult dicere idem quod ſibi in illa à Patre conceditur, communicati etiam in hac à ſe animæ fideli: *ſicut miſit me viuens Pater & ego viuo propter Patrẽ, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me*: hoc eſt, quemadmodum procedens à Patre, qui vitam habet Diuinam, ego etiam propter eum, eamdem vitam recipio, qua viuo, & quam ipſe mihi à ſe procedenti impertitur, ita qui me ſub Euchariſticis ſpeciebus recipit, quia eadem cum Patre vita viuo, ipſe etiam vitam Dei agit quam illi communico me Sacramentalibus accidentibus velatum ſuſcipienti; quod vt minus docti percipiant, hoc placet ſymbolum ingerere; adeſt aula capaciſſima, magna odoriferi ſaccari quantitate referta, tantus odor paſſim diffunditur, vt non ſola aula, ſed ipſi etiam qui in ea fuerint, perfundantur, quod ſi aliquis de ſaccaro guſtare voluerit, dubium non eſt, quin eiuſdem etiam particeps fiat odoris; mirabitur quiſpiam hunc ex ſaccari coniectione totum ſuaueolentem effectum? cui poteſt hac ratiocinatione reſponderi, ſi ſaccarum illud tanti odoris extitit vt illum communicare potuerit homini qui exierit ex aula, quid mirum ſi idem præſtet ei qui ſe comederit? Chriſtus ergo verbis nuper relatis vult dicere, ſi vita Dei tantæ virtutis eſt ad ſeipſam communicandam, vt mihi à Deo Patri vita Diuina viuente procedenti

Ioan. cap. 6.

cedenti

cedenti fuerit impertita, quis mirabitur eamdem animæ fideli concedi, qui in Euchariſtia filium Dei vitam hanc habentem ſuſcipit? non eſt quid mirandum, imo rationabili conſequentia aſſerendum eſt, eam tali quoque vita victuram, vt cum Paulo dicat, *viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus:* ex quibus patet Diuinam Parentem quæ nos in Cruce enixa eſt, ſua vbera in hoc vitæ ferculo præbere, vt lac eius ſacratiſſimum ſugentes, vitam quoque ipſius hauriamus, ac non vita mortali aut humana, viuere nos arbitremur amplius, ſed Diuina.

PARS ALTERA.

10. O communicantis animi ſummam dignitatem! quis perſuadere ſibi potuiſſet aliquando futurũ, vt Diuino halitu reſpirantes, vitam quoque Diuinam ageremus, ac terram hanc incolentes, verſaremur in cœlis? bene Chryſoſtomus de Euchariſtia loquens ait: *& quid futura commemorem? nam dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium:* cibus ergo hic Diuinus è cœlo deſcendit, cœleſtemque ac Diuinam vitam conceſſit, vt ea exerceremus opera quæ illum deceant, qui non iam humana vita viuat, ſed cœleſti, ſed Diuina: Ezechiel viſum habuit aliquando memorandum, ſex enim homines intuitus eſt, in manibus mortis vas formidandum geſtantes, ſed in eorum medio eminebat quidam lineo veſtitus indumento, qui atramentarium ferebat, ac iuxta altare ſedem figebat: *ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, & vnuſquiſq; vas interitus in manu eius, vir quoq; vnus in medio eorum veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris in renes eius, & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare;* ſed quid obſecro iuxta altare moliebatur hic ſcriptor cum ſuo atramentario? quid ſcribere aut ſignare intendebat? reſpondet eleganter Paſchaſius non ſine ratione ſcriptorem hunc iuxta altare aſſidere, quem-

Chryſ. hõ. 26. in 1. ad Corinth.

Ezech. c 9.

quemadmodum enim milites qui ſua ſtipendia receperunt, ſcribuntur, ita hoc auguſtiſſimum Sacramentum ſtipendium eſt, quod Chriſtianis militibus datur, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitę: *ideo bene iuxta altare perhibetur:* ait ille, *vt milites ad ſtipendia vitæ percipienda accedentes diuinitus diſcernat:* ſed quod eſt munus militis? forſan in otio degere, aut complicatis brachiis aſſidere menſæ? quin imo eius officium eſt, ſemper eſſe in labore, vigilias agere, excubare dum quieſcunt alii, arma arripere, atque vim hoſtilem continuis exercitiis propulſare; eiuſmodi decet eſſe animum qui ad vitæ ſtipendia percipienda in myſtico altari voluerit accedere: miles eſt, militem ideo imitetur, otium fugiat, ac Diuinas operetur actiones, ideo in hoc ferculo Diuinam vitam ſuſcipimus, vt omnia ei conformia faciamus, hoc eſt, vt opera ſancta ac cœleſtia agamus; ſed quæ ſunt hæc opera niſi quæ Chriſtianum deceant militem, & ad comparandam ſibi gloriam perennem proſint, opera ſint ſed viua, ſed vita gratiæ vegetata, procul abſint opera mortua quæ ipſam peccati corruptionem redoleant, non decent hæc eum quem Diuinus halitus viuificat, ſed quem malitia corrumpit: viuat vt Chriſtianus miles, qui ſanctorum voluerit albo conſcribi: pulchre in rem pręſentem Rupertus: *porro vir vnus in medio eorum veſtitus lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes eius, Chriſtus eſt Dei filius, qui carnis noſtræ veſtitus lineis venit in hunc mundum, ad hoc vt electos ſuos iam dictæ vltioni excipiendos conſcriberet in libro viuentium:* quaſi diceret, panem Euchariſticum qui in altari myſtico præparatur, ſtipendiarium eſſe panem, qui datur militibus ad generoſa ac laborioſa opera natis, qui enim hoc fuerit pane ſaginatus, ac virtutis ſe totum dederit exercitiis, dubium non eſt quin viuentium libro nomen eius annotetur, ideo enim datur, vt qui ſuſcipit, laboret tanquam verus Chriſti miles; qui vero tota die qua hoc pane fuerint refecti, ſolo ſe tradiderint otio, ac ſomnolenti Eccleſias ſtrauerint, nullum opus exer-

S Paſchaſius.

Rupertus lib. 1. in Ezech. ca. 31.

M centes

centes quo ſe Diuinum halitum ac vitam recepiſſe teſtentur, timeant ne Dei incurrant maledictum, idcirco vidit Ezechiel ſex homines perditionis vaſa gerentes, vt illa in ſimiles animas effunderent, non enim pati poteſt Dominus vitam ſuam deſpici, quam in hoc vitæ ferculo communicauit; audiendus eſt Rupertus de officio primi ac aliorum differens, ait enim: *ſteterunt inquam parati ad præceptum peragendum, ii vt mandatum miſericordiæ, illi vt ſententiam perficerent Iuſtitiæ*: habes miſericordiam & gratiam, ſi vt verus miles generoſa amans opera ad hoc epulum acceſſeris, ſed & habes iuſtitiam & pœnam, ſi tanquam deſidioſus, ac laborem ſubterfugiens, nulla ſuſceptæ Diuinæ vitæ in tuis actibus dederis teſtimonia: ideo enim ea datur, vt ad opera ſibi conformia animum vegetet & vrgeat, ſi renuis incurris maledictum, ſi cooperaris bene tecum actum eſt. Sed ad Paſchaſium redeo, qui hoc epulum ſanctiſſimum, *vitæ ſtipendium* nuncupat, hoc eſt, vitæ penſionem: ſed aduerte acumen. Cum ſummus Pontifex beneficium aliquod Eccleſiaſticum alicui confert, ſolet penſionem aliquam illi imponere, quam vel ipſi Pontifici vel altari ſit ſoluturus; Euchariſtia beneficium eſt, ſed cœleſte, ſed Diuinum, ideo à Patribus Ευλογεία, quod benedictionem ſonat, vocatur: Sed ſciat qui hoc afficitur beneficio ſtipendium aliquod ſibi ſemper eſſe ſoluendum, quod non eſt aliud quam qui ex hoc beneficio vixerit, cœleſtia ac Diuina opera exerceat, ne qui penſionem hanc non ſoluerit, & beneficium ipſum, & fructus eius amittat; Habuit populus Iſrael arcam Domini. beneficium hoc ſingulare apud ſe retinuit, ſed cenſum debitum recuſauit, quo factum, vt ablata arca traderetur Philiſthæis, & ipſi ſuæ improbitatis pœnas; tanti beneficii priuatione ſoluerint; Quid obſecro Germaniæ, Angliæ, totque aliis Prouinciis Euchariſticum panem ademit? quis illas tanto priuauit beneficio? quia Deo cenſum bene viuendi quem debebant, ſoluere renuerunt: hanc ob cauſam multi

Rupertus vbi ſupra.

hora

hora mortis hoc non accipiunt beneficium, quia dum viuerent, non ſunt conati Diuinam agere vitam, operaque illi conformia exercere abnuerunt; Hoc ſibi perſuadeant ſinguli, longe Deo fore acceptius ſi quibus diebus communicant; Xenodochia inuiſerent, carceri mancipatos ſolarentur, & alia id genus agerent, quam ſi tota die ſedentes in Eccleſiis vitam agerent deſidem & inertem, niſi metuis tibi aufferri beneficium cum fructibus, cenſum tibi perſuade exſoluendum.

Cum Chriſtus quinque hominum millia paſcere voluit, nullo prærequiſito ab eis opere, ſedere omnes in herba iuſſit & quieſcere: at vero vbi in Cana Galileæ, aqua in vinum fuit commutanda, omnes inuitat ad laborem, neminem famulorum vacare permittit ab officio, *implete hydrias aqua*: vnde obſecro tanta illis quies, his tantus labor? quid hanc mentem dare potuit Seruatori, vt priores non inuitarit ad opus, alios autem labori iuſſerit incumbere? Chryſoſt. reſpondet, *ſed aqua in ſanguinis erat conuertenda myſterium, vt mera pocula de vaſe corporis ſui Chriſtus bibentibus propinaret*: hæc aquæ in vinum mutatio figuram prætulit, panis & vini Euchariſtici, quem Chriſtus in corpus & ſanguinem ſuum vt ſatiaret homines erat tranſſubſtantiaturus, idcirco vt oſtenderet ſe eum ſolis illis libenter impertiri, qui aliquid boni operis ſemper exercerent, ac Diuinæ vitæ facerent actiones, iuſſit famulis labori incumberent, hydriaſque aqua ſolliciti replerent; Vides ergo quid te præſtare Deus velit dũ communicas? vt labores, vt ſanctis ac Diuinis vaces operibus, & quia Diuinæ vitæ participes, id tuę actiones probent, huius tibi exemplum dedit Seruator ipſe: nam proprio ore ſeipſum ſub accidentibus Sacramentalibus ſumpſit, ideo dicit apud Lucam: *deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*: Tertull. Hieronymus, & alii affirmant Chriſtum in vltima cœna ſimul cum Apoſtolis communicaſſe, eius etiam inter cæteros ſunt opi-

11.

Ioan. ca. 2.

Chryſoſt. Serm. 5. de Epiphan.

Luc. ca. 22. Tert lib. 4. in Marc. c. 40. Hier. in cap. 26. Matt. Cyprian. epiſt. 68.

Digitized by Google

Orig. tract. 35 in Matt. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. Epiphan. hær. 47. contra Encratitas. Aug. lib. 3. de conſ. Euang. c. 1. & li. quæſt. Euang. ca. 43. Euthym. Theophil. Beda in ca. 27. Matth. Iſaias Cyrill. lib. 3. tom. 1. 2. Cant. c. 3. Theodoritus.

nionis Cyprian. epiſt. 68. Origenes, Chryſoſt. Epiph. Aug. Euthymius, Theophilactus & Beda: vbi aduerto vix ipſum cõmunicaſſe cum ſtatim ait, *ſurgite eamus*, incipit laborare, ſudare, orare, ac dare ortum operi illi fœliciſſimo noſtræ redemptionis, vt oſtenderet eum, qui cum fructu Diuinæ hoc vitæ ferculum voluerit ſuſcipere, Dominum ac Magiſtrum ſuum debere imitari, labori ſe dare, ac opera vere ſancta & Diuina, conformiaque vitæ Dei quam in illo recipit exercere: in hanc rem bene ait Iſaias, *dabit vobis Dominus panem arctum*: panis arctus ac breuis eſt, & quid hoſtia magis exiguum? Sed alia lectio habet: *dabit vobis Dominus panem afflictorum*: datur ſolis laborantibus hoc ſacrum edulium, abſcedant ab hac menſa otioſi, non in eo Diuinam vitam, ſed mortem haurient ſempiternam; ſolis illis paratur quos laborioſorum ac ſanctorum operum amor tenet; Optime Cyrill. *panis igitur Chriſtus eſt, ſed cum labore & ſudore inuenitur*: hæc ille: ſic eum quærebat illa in Cant. quæ dicebat, *ſurgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*: hi ſunt paſſionis vehementis affectus mirabiles, ſciebat ſponſum non ſe facile prodere aut communicare, niſi iis qui laboribus ſanctis aſſueta, Diuinis operibus incumberent, vt ergo illum reperirent, ac reperti fructibus & ſuauitate recrearetur, apud ſe ſtatuit incumbere labori, vitæ actiuæ & mixtæ ſtudia arripere, ac cœleſtes exercere operationes, ita tres Patres apud Theodoretum, cum eam ſic loquentem introducunt, *circuibo per actionem quidem, velut in foris alicuius ciuitatis, labores quaſi argentum probatum impendens & virtutes comparans, per contemplationem autem tanquam in plateis percurrens, in naturalibus ſpeculationibus, & variam illarum ſcientiam colligens*: Agnoſcis iam cur ſæpe rem Sacramenti ſuſcipiens fructum non ſentias eiuſdem? hoc ideo fit, quia non quæris ſicut ſponſa cum operibus ſanctis, quia ad hoc vitæ ferculum imparatus accedis, nulla præmiſſa virtutis actione qua te ad dignam eius ſuſceptio-

ceptionem diſponas: Ea eſt optima dipoſitio cum in peruigilio communionis aliqui generoſi virtutum actus producuntur, ac poſt communionem factam iidem reiterantur, fuge otium & ſomnolentiam, qui volueris Sacramenti huius fructum ſaporare; dedecet animum Diuino vitæ cœleſtis ferculo ſaginatum, animalis vitæ operationes elicere; ſi vixeris vt cœleſtis, cœleſtem etiam excipies remunerationem.

FERCVLVM TRANSFORMANS.

Diſcurſus Sextus.

QVidam olim Virgineæ Dei parenti parum affecti, glorioſo 1.
Θεοτόκου nomine illam vocitare recuſarunt, eo ſolum ipſo quod ſe nuncupaſſet ancillam, quaſi duæ hæ denominationes Matris atque ancillæ Dei incompatibiles eſſent in eodem ſubiecto; Idipſum præſtitere Arriani, qui ideo Seruatorem noſtrum filium eſſe Dei negabant naturalem, quia in ſcripturis ſerui aliquoties nomine nuncupatur; ſed ipſorum ora fortiter Athanaſius premit, adducto Berſabee & Salomonis exemplo: ait enim, *quin & Berſabee tametſi Mater, filium ſuum ſeruum nominat, dum Patri dicit, ſeruum tuum: deinde Nathan loquitur, & inter loquendum, Salomonem ſerui nomine appellat, Dauid autem talia audiens æque filium ſuum agnoſcebat: iſti vero ita loquendo non ignorabant eum genuinum filium eſſe, quin imo vt hæres patri inſtitueretur ſollicitabant, cum illum vt ſeruum nominarent.* Berſabee & Nathan vt Dauidis regnum Salomoni impetrarent, non alio maiori vſi ſunt illicio quam eum famulum nominare, cumque eum hoc nomine compellarent, non erat ipſis in animo negare quod eſſet filius, quin imo ita ſtatui filii, ſerui conditio conſona viſa eſt, quod vt diadema paternum obtinerent Salomoni, filii nomen ſuppreſſere: eodem plane modo ſi filium

S. Athanas.

Dei, ſerui aliquando nomine compellarint, non eſt quod eiuſdem negare voluerint filiationem; ita etiam Beatiſſima Virgo ſe ancillam nominans, nihil magnificæ Dei matris dignitati derogauit, quin imo hoc humilitatis actu Deum ſollicitauit potentiſſime, vt eum in Matrem Dei ac Reginam vniuerſi eligeret; cumque maiori potentia viguit, vt Deum ad ſe inclinaret, id fuit, cum vilem ancillæ ſtatum amplexa eſt: fallor niſi huc Propheta reſpexerit, cum dixit, *fœmina circumdabit virum:* multi legunt, *fœmina ambiuit virum:* quod proprium procorum eſt qui amaſias ſuas multa ambiunt amoris exhibitione, vt reciprocum quoque ex earum cordibus amorem valeant exprimere; id tamen feciſſe Virginem Propheta affirmat cuidam homini, *fœmina ambiuit virum.* Sed quem virum? niſi Deum hominem, niſi filium Deum Verbum carnem factum? ſed quomodo ambiuit? non aliter quam abiectam ancillæ conditionem induens, vt fatetur ipſa, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: hac humilitate, hoc abiecti animi ſenſu filium Dei ad ſe potentiori traxit illicio, quam ſi matris Dei aſſumpſiſſet dignitatem: quemadmodum Apollinem Diana, Aurora Solem trahit: ita ipſa Deum, loquatur Alcuinus: *ſicut Aurora valde rutilans ô Maria, veri ſolis ſplendorem præceſſiſti, vt vere diem ſalutis, diem propitiationis à tua claritate initiari dignum fuerit:* vis ſcire quando ſe exhibuit Auroram? ſane quando ſe nuncupauit ancillam, aurora enim ſolis nuntia eſt, illi famulatur, nec vſquam ſeſe oſtentat niſi ad ſolis imperium; cum igitur B. Virgo ſe ancillam dixit, vere tunc extitit Aurora, quæ ad ſua viſcera verbum Dei traxit, & in animum ſuum omnem inuexit gratiæ plenitudinem: quæ cum ita ſint quod ſanius conſilium arripere me debere putem, niſi vt tantæ Auroræ ſequar veſtigium, ac amplexatus humilitatem genibuſque ad pedes eius prouolutus, omni abiecti animi indicio gratiam implorem, quæ mihi ad incœptum proſequendum opus neceſſaria eſt: id lubens facio regina cœli, ac

Hierem. cap 31.

Alcuinus Serm de Nat. Virg.

tuo-

Digitized by Google

ſuorum famulorum ſortem exoptans, me impetraturum ſola humilitate confido, quod nullatenus poſſum dignitate.

Bernardus ingentem amoris vim contemplatus exclamat, *Amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax: quid violentius? triumphat de Deo Amor, quid tamen non tam violentum*: de omnibus triumphum agit amor potens, non ſolum humana corda aut affectus Angelicos ſuo ſubdit imperio, ſed & de ipſo Diuino numine glorioſus triumphat: non fecero perperam, ſi tres præcipuos eiuſdem triumphos adduxero in medium; priorem ſibi locum non præcellentia dignitatis ſed temporis, ſibi vendicat huius conditio vniuerſi, quæ aliunde non habet originem quam ab amore tanquam à mouente ac efficiente principio: ita Plato in Timæo: *mundus à Deo factus eſt: charitas Dei cauſa fuit factionis mundi, & originis omnium rerum*: & certe ſi quicquam Deum vt eſſe daret vniuerſo inuitauit, non dubito quin fuerit amor; bonum infinitum, eſſentialiter eſt ſumme ſui diffuſiuum; cum ergo Deus eiuſmodi bonum ſit, ab æterno ſeſe infinita communicatione ad intra diffudit, via intellectus Verbo, Spiritui autem ſancto, via voluntatis: cum enim hæc ſe infinite communicandi perfectio, intrinſeca & eſſentialis ſit ſummo bono, nunquam potuit vel leui momento eſſe ſine ea: vnde accidit quod ſe his duabus perſonis ab æterno infinite communicarit, in eas totum ſuarum perfectionum Oceanum deriuans; hæcque diffuſio ad intra, ita Deo neceſſaria fuit, vt ſine ea nemo mento quidem abſque imperfectionis nota eſſe potuerit; diffuſio vero ſui ad extra eiuſdem minimæ fuit conditionis, cum enim Deus iam ab æterno vſque ad primam mundi conditionem abſque eo quod ſe diffunderet ad extra, beatus extitiſſet, poterat etiam eamdem diffuſionem differre, aut omnino non exhibere, ex illa enim nullam aut gloriæ aut perfectionis acceſſionem erat habiturus, ſed ſolæ res creandæ magnum inde bonum, Diuini videlicet eſſe participationem erant hauſturæ;

2. Bern. Serm. 64. in Cãt.

Plato in Tim.

Digitized by Google

ſturæ; hæc igitur diffuſio ad extra, Deo plane voluntaria, libera, ac minime neceſſaria fuit, hancque propterea, aut longe amplius differre poterat, aut omnino non facere: Amor tamen (vt ait Plato) Deum ſollicitauit, vt præter infinitam ſui diffuſionem ad intra, aliam quoque ad extra ſuperadderet, ſeque creaturis communicaret, eo ordine, quo Diuina eius ſapientia eſſet diſpoſitura, cuique videlicet talem eſſe diffuſionem communicans, qualem natiua eius perfectio poſtularet, vt bene animaduertit Beatus Dionyſius Areop. cum ait: *Amorem ſiue Diuinum, ſiue Angelicum, ſiue ſpiritualem, ſiue animalem, aut naturalem dicas, inſitiuam intellige, commiſcentemque virtutem, quæ ſuperiora quidem ad inferiorum prouidentiam prolicit:* quaſi diceret, amorem Diuinum eſſe potentiam quamdam, quæ ſuperiora ad infimorum trahat regimen, ac Deum ipſum ſollicitauerit vt ex abyſſo nihili, quicquid in natura eſt ad eſſe vocaret, vt hac diffuſione libera & voluntaria Deo exiſtente, & amore Diuinam ad id exercendum operis voluntatem inclinante, vere dici poſſit hoc modo amorem de Deo egiſſe triumphum, *triumphat de Deo Amor.* quod elegantiſſime innuit ſponſa in Canticis cum ait, *Ordinauit in me Charitatem*, Hebræus habet: *vexillum eius ſuper me amor:* quaſi diceret, vexillum quod conditor ſupremus in mundo erexit, amor eſt, vt ſciat creatura omnis, ſub eo ſibi militandum, ac conuiuendum, mutuumque ſibi inuicem amorem impendendum, quod Plutarchus ſubtiliter aſſeruit, cum amorem vocat dictatorem: apud Romanos ea erat Dictatoris maieſtas, cui cæteri morem gerebant, & à cuius nutu pendebant omnia; ita & Amor vniuerſi huius dictator eſt, qui res omnes conditas debet ad nutum gubernare, ex cuius arbitrio quicquid eſſe induit, debet pendere: quemque ſicut ſuum milites vexillum ſequi par eſt: vt bene dicat Dionyſius de amore: *ſuperiora quidem ad inferiorum prouidentiam prolicit, æqualia rurſus ad ſocialem ſui inuicem communionem conciliat, ac poſtremo*

Dionyſ. Areop de Diuin. nomin.

Cant. ca. 2.

Plutarch.

Dionyſ. Areop. vbi ſupra.

Digitized by Google

ſtremo infima quæque proiectat, vt ad ſublimiora, potioraque conuertantur: hæc ille.

Alter amoris huius Diuini triumphus fuit Verbi Incarnatio, cum quanta elegantia id me doceat Bernardus, accipe: *denique ſemetipſum exinaniuit, vt ſcias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingulariter aſſociata eſt:* quaſi diceret, ſciendum eſſe omnibus, ſi verbum Dei factum eſt caro, id amori deberi, qui tam grande patrare potuit miraculum: & certe quo attentius vnigenitum Patris in vili iacentem præſepio naturæ humanæ vnitum contemplor, eo mihi modo eminentiori ſimulachrum amoris referre videtur: Ita antiqui amorem ſolebant depingere, vt totus eſſet iuuenculus, velatus oculos, humeros alatus, & pharetram geſtans in latere; vis Diuinum amorem vagientem in cunis audire? attende filium Dei in præſepio iacentem, dicentemque Prophetam, *paruulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis*: puer eſt vt nobis ſuo amore blandiatur, quod ipſe pollicetur apud eumdem Eſaiam: *quomodo ſi cui blandiatur Mater, ita ego conſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini:* Prophano Cupidini velantur oculi, non prodeſſet orbatus lumine, ſed quod quaſi cæcus eſſet, laborem proprium non attendit, non curat expenſas, honorem nihili facit, ſed ſolum æſtimat quod amat: ita plane accidit Diuino huic Amatori, etſi enim lynceis oculis abdita quæque peruadat, nullo tamen habito ad miſerias & calamitates ſibi aſſumendas reſpectu, cũ naturæ noſtræ eſt copulatus, nõ deſtitit quin illam aſſumeret, clauſis ad id quod proprium ſpectabat commodum oculis, & ad ea quæ ad noſtram attinebant ſalutem reſeratis: *O Amor præceps:* exclamat Bernard. *vehemens, flagrans impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus confundis Ordines, diſſimulas vſum, modum ignoras:* quia non aliter quam ſi Seruator mundi, vt miſerias; atque calamitates quibus ſubdebat ſeſe cum homo fiebat, intueretur, non habuiſſet o-

3. Bernard. Serm. 64. in Cant.

Eſaiæ. c. 9.

Eſaiæ. c. 6.

Bernard. Serm. 79. in Cant.

ſet oculos, eas omnes diſſimulabat, fingens ſuum illas tranſcendere obtutum, vt tantum eſſent homini profuturæ. Quod ſi amori alæ fuerint conceſſæ antiquitus, vt celer quo vellet aduolaret: ne nobis inducetis in animum, Diuinum hominis amatorem, illis caruiſſe, ſi enim alarum fuiſſet expers, qui potuiſſet tam cito è cœlis aduolare in terras, vt ideo eum appellarit Propheta, *accelera, feſtina?* num perniciſſimis debuit alis pollere, cum adhuc vagiens in cunis, ad paſtores aduolat, fertur in Chaldæam, vt ſui ortus fœliciſſimũ nuntium Magis aperiret, ideo propheta ait de eo, *orietur vobis timentibus nomen meum ſol Iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius*: Hebræus habet *in alis eius:* alas habet ſed gratiæ, ſed ſalutis, quibus cum aduolat in mundum, ſalutem etiam illi affert & redemptionem: pulchre in hanc rem Rupertus: *nam in eo quod dicit ſol Iuſtitiæ, iuſtificationem ſignificat animarum, qua timentes Deum fœlices erunt in die illa: atque dicendo, & ſanitas in pennis eius, immortalitatem, atque incorruptibilitatem deſignat corporum qua fœlices erunt:* hæc ille. Denique ſi tela & pharetram geſtabat antiquus Cupido, neutrum horum defuit Diuino amori, Cyrillus, & Procopius aſſerunt pharetram, eius eſſe humanitatem, Chryſoſt. de ea differens ait, *verbum Diuinum in pharetra ſua abſcondit me:* ô quot tela, quot continet ſagittas, quas Diuinus infantulus in dilecta ſe amantium corda emittit, accipe obſecro mellitã, in hanc rem, Origenis ſententiam, *tu nuda membra tua, & præbe te iaculo electo, formoſo, ſiquidem Deus ſagittarius eſt, audi illum quid loquatur, poſuit me vt ſagittã electam, & in pharetra ſua ſeruauit me, & dixit mihi magnum eſt tibi hoc vocari puerum meum, quam beatum eſt hoc iaculo vulnerari?* O tela ſuauiſſima, huic pharetræ incluſa, omnes eius labores, omnes gratiæ, beneficia ſingula, cuncta eius myſteria ſagittæ ſunt, ad vulnerandas animas noſtras aptatæ, *ſagittas ſuas ardentibus effecit:* ait Dauid: Tela ſunt ignea, quæ vulnerant, ſauciant, inflammant; vides ergo Ieſum amoris eſſe ſimulachrum, quod amor in nos ſuis proprieta-

Malach. cap. 4.

Rupertus in cap 4. Malach.

Cyrillus. Procop. in cap. 49. Eſaiæ.

Chryſoſt. hom de turture.

Orig. hom. 2. in Cant.

Pſal. 7.

Digitized by Google

prietatibus veſtiuit, ac vagientem exturbauit in cunas, vt veriſſimum illud eſſet, *triumphat de Deo Amor:* quidni enim de eo triumphum ageret, quem ita ſua exuit maieſtate; vt vili hominis natura indutum proſtrarit in præſepium: dicat iam audacter mellifluus Bernard. *totum quod oportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod conſilii iudiciiue videtur, triumphas in ſemetipſo, & redigis in captiuitatem.* Supereſt ergo vt ad tertium triumphum accedamus, qui quia in eo conſiſtit quod idem amor, Deum ſub Euchariſticis ſpeciebus collocarit, vt nos omnes Deos efficeret, ideo primæ parti ſuggeret materiam, poſtea oſtenſuro ſe hoc triumpho, ad aliam cordium noſtrorum victoriam aſpirare. Bernard. Serm. 79. in Cant.

PARS PRIOR.

Amor ſemper fuit naturæ adeo diffuſiuæ, quod non con- 4.
tentus feciſſe Deum communicare ſeipſum omnibus creaturis in prima earum conditione ex nihilo, non contentus effeciſſe quod ſe perſonaliter illi naturæ communicaret, quam aſſumpſit, & ad perſonalem filii Dei dignitatem euexit; voluit etiam idem fieri cuilibet homini particulari, vt quemadmodum illa natura quam aſſumpſit, eodem etiam ſibi vinculo quemlibet hominem copularet, quo fierent omnes dii, ſicut eadem natura ad participationem Diuinitatis in perſona verbi fuerat euecta: verum id neque decuiſſet, neque fuiſſet neceſſarium, non decuiſſet, quia vt homines omnes fierent Dei filii non erat expediens, nec neceſſarium, quandoquidem vna natura, ad eum conſequendum finem propter quem homo fieri voluerat, ſufficiebat, hoc eſt, vt in ea pro peccatis totius generis humani ſatisfaceret, quid ergo ageret hic Amor ſuo fine fruſtratus? quandoquidem ait ille neque expediens neque neceſſarium eſt, Verbum Dei in quolibet homine in particulari incarnari, vt eos filios Dei naturales

ſicut ipſe eſt, faceret; illis ſaltem bolum vnicum, in quo vita, ſubſtantia, & gloria Dei contineantur, largiatur, vt vita, ſubſtantia, ac gloria Diuina enutriti, fiant dii meliori quo fieri poterit modo: quod adeo efficaciter operatus eſt, vt filius Dei ante poſtremum ſuum ex hoc mundo egreſſum, iuxta hoc amoris inuentum, perexiguum panis bolum aſſumpſerit, cuius ſubſtantiam, in illam corporis ſui tranſſubſtantiauit, adeo vt caro eius ſub accidentibus panis, & ſanguis ſub vini ſpeciebus realiter contineretur, & Diuinitas ac tota gl ria eiuſdem ſub vtriſque, vnde facile liquet omnes gloriæ ſuæ diuitias in hoc ferculo concluſiſſe, vt ait Concilium Tri-dent. loquens de hoc Sacramento, *Chriſtus Diuitias ſui amoris effudit*: quatenus quilibet hominum Deus fieret, & ſic vere tertium de Deo amor ageret triumphum, *triumphat de Deo Amor.*

Concil. Trident. Seſſ.13.c.2.

5. Philoſophia tamen hoc Amoris aduertens inuentum, illi ſe acriter opponit, ac dicit, ſuppoſito quod filius Dei dixerit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo:* impoſſibile eſſe bolum hunc Euchariſticum, nutrimentum præbere, ac per conſequens (vt ſic loquar) ſe comedentem diuinizare, contrarium enim accidit in eo quod edimus, nam neque in nobis manet cibus, neque nos in illo, de hoc vero aſſeritur, *in me manet & ego in illo:* adeo vt amoris inuentum quia Philoſophicæ contrarium eſt rationi, ſuum effectum minime poſſit aſſequi: volo tamen hodie amoris partes tueri, eiuſque fieri Aduocatus, vt cibus aliquis ſuſtentet & vitam largiatur, operæpretium in primis eſt, vt qui illam comedit, ei quoque impertiatur vitam, cum enim ſit quid emortuum, nuſquam vitam concedet comedenti, niſi illum primo ab eo receperit; ex quo duo colligo, primum quod corporeus cibus, vt poſſit homini vitale præbere nutrimentum, debeat omnino primo ab ipſo viuificari, ac in illo manere, alias nuſquam vitam largietur: alterum, eamdem rem

rem iuxta Philoſophum naturaliter non poſſe pluribus formis ſubſtantialibus informari, quo fit, vt cibus vitam ac hominis eſſe ſuſcipiat, debere prius corrumpi, ac cibi formam amittere, vt viuentis ſumat in homine conditionem; neque ergo cibus manet in homine, neque homo in cibo. Hoc ſuppoſito, ſi aliquod daretur edulium quod vt vitam conferret homini, eamdem ab eo mendicare non indigeret, quia viuum eſt, & vitam habet in ſe, illud ſine dubio iuxta leges philoſophicas maneret in homine, & homo in illo, ratio eſt quia cum ab eo vitam ſumere deberet homo, vt id fieri poſſet, deberet etiam in eo manere, cumq; cib. hic non corrumperetur nec perderet eſſe, maneret ẽt in homine abſq; vlla corruptione ſui. Aduerte iam argutiam Amoris, & agnoſce quam ſapienter de eo dixerit Chryſoſt. *Amor eſt magnus doctor*: reperit enim, corporis & ſanguinis Christi cibum, viuentem, ac viuificantem, nec ab homine mendicantem vitam, ſed eam illi concedentem, vnde Ambroſius de eo dicit, *panis viuus & incorruptus*: vitã in ſe continet, nec debet corrumpi quemadmodum naturales cibi, vt eam homini largiatur, ſemel ergo comeſtum Euchariſticum ferculum, manet in homine, quia corruptionem non induit, & manet homo in illo, vt enim ab eo vitam recipiat, neceſſario in eo debet eſſe, quam ob cauſam Chriſtus cibum hunc Diſcipulis tradens ait, *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo*: vt ſciant omnes amorem eſſe magnum doctorem.

Chryſoſt.

Ambr.

6. At vero parum profuiſſet amorem cibum hunc vitam conferentem reperiſſe, niſi etiam quem in eius inſtitutione finem intenderat, fuiſſet aſſecutus, qui finis eſt, efficere vt vitam Diuinam ageremus, ac fieremus dii. videndum ergo eſt, qui ſit conſecutus illum: quod vt percipiatur clarius, aduertendum eſt diligenter, inter omnes hominis appetitus primum ſibi locum vendicare appetitum vitæ, qui quaſi cæterorum radix ac fundamentũ eſt, & ſine quo nihil homo poteſt

Digitized by Google

appetere, quod ita verum eſt, vt ipſum etiam gloriæ præcedat appetitum, neque enim quiſquam Deum videre appeteret ſine vita, quia vita medium eſt eius viſionis conſequendæ, idcirco noluit amor quod creatura vlla, ſed ſolus Deus vitam largiretur homini, vt viuendi appetitus qui nobilior eſt ac præſtantior in homine, ad Deum tanquam ad principium referretur, quocirca dicitur Geneſis cap. 2. *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ:* habet alia verſio, *ſpiraculum vitarum:* Deus vno halitu, vitam naturæ, & gratiæ qui Spiritus ſanctus eſt, homini inſpirauit, vt ait Cyrillus, *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ inſpirato Spiritu ſancto, ipſe enim eſt Spiritus vitæ, quandoquidem ſecundum naturam vita eſt.* Cum igitur homo polleret vita adeo diuite bonorum naturalium & ſupernaturalium, in tantam ſeſe deuoluit calamitatem, vt propter cibum male comeſtum, vtriuſque vitæ fecerit iacturam: vitæ quidem gratiæ actualiter, naturalis autem aptitudinaliter; Cum ergo Amor author fuiſſet harum duarum vitarum conferendarum homini, ad ipſum etiam ſpectabat earum iacturam reſarcire; quod præſtitit in inſtitutione Auguſtiſſimi Sacramenti, vt qui digne illud comederet, vitam reciperet gratuitam & Diuinam, ſed ſuperabundanter, vt dicit ipſemet Seruator apud Ioan. *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant,* quod dum explicat Theodoretus, aſſerit filium Dei vitam quidem humano generi in Incarnatione, ſed ſuperabundantem vitam in altaris Sacramento contuliſſe, veriſſimum eſt cum Verbum Dei factum eſt homo, nobis ad æternam vitam Ius & actionem dediſſe, ſed vita hæc nec copioſa fuit nec ſuperabundans, neque enim Diuinitati participauimus in nobis ipſis, ſed tantum in ea natura quam aſſumpſit, ſed in Euchariſtia confert illam ſuperabundanter, quia ſe ipſum cuilibet homini in particulari communicat; Secundo, ait Ioannes vitam dediſſe ſed ſuperabundantem; quæ enim in Incarnatione collata eſt, vita fuit ſupra mortem, mortuum enim genus

Gen. cap. 2.

Cyrill. Alexandr. lib. de ador. in Spir. & verit.

Ioan c. 10.
Theodor.

Digitized by Google

nus humanum reperit, cui factus homo vitam inſpirauit; quæ autem in Euchariſtia datur, vita eſt ſupra vitam, viuum enim Sacramentum eſt, quod iam vitam gratiæ in anima præſupponit; vita etiam quam impertitur, æternæ vitæ principium eſt; ſuppoſito quippe per impoſſibile non dari vitam æternam, efficeret omnino hoc Sacramentum vt illa eſſet, vitæ enim ſuperabundantia, nihil minus quam beatæ vitæ fœlicem appetit perennitatem.

Et hic quidem fuit vnus ex finibus quos habuit Amor, in huius inſtitutione Sacramenti, ſed non præcipuus, primo enim intendit, vt omnes qui digne ad Euchariſtiam accederent fierent dii, ac alii Ieſu Chriſti, recipientes in hoſtia vitam, ſubſtantiam & gloriam Dei, Auguſt. in hæc Dauid verba, *mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas*: legit, *ſicut fruſta panis*: aſſeritque omnes qui digne communicant, tot eſſe fruſta hoſtiæ conſecratæ, & probat ex illo Pauli: *vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus*: nos qui conſecratum panem comedimus, vnum idemque corpus ſumus; quod tandem ſic concludit, *ergo ſi vnus panis totum corpus Chriſti, membra Chriſti fruſta panis ſunt*: quaſi diceret, certum eſt ex Apoſtolo fideles omnes Chriſti corpus eſſe, ex Euangelio etiam conſtat Chriſti corpus in Euchariſtia realiter eſſe ſub ſpeciebus panis, ergo omnino concludendum, membra corporis huius, eſſe fruſta panis. Idē aſſerit Algerus, *quia conſacramentales & concorporales ſumus Chriſto*: dum panem Euchariſticum comedimus, ſimus ipſum Sacramentum, & alibi ait, *panis Dominicus facti eſtis*: ſumus conſecratus panis, quid autem panis hic niſi Chriſtus? ergo ſumus vnuſquiſque alter Chriſtus; bene, fœliciter amori cedat quod ſui inuenti ſit effectum conſecutus.

Auguſt. in Pſal. 147.

1. Cor. 10.

Algerus lib. de corp. & ſang. Domini.

Sed rationem hanc acrius vrgeo: in voluntate filii Dei fuit hominem fieri, vel non, ſuppoſito tamen, quod homo fieri voluit, noſtræque naturæ vniri, impoſſibile eſt eandem

natu-

naturam non viuere eadem vita cum verbo, propter vnionem hypoſtaticam: ſimiliter, in Diuina ſitum eſt voluntate, vt ego ſacrum Euchariſtiæ ferculum ſumam, ſuppoſito tamen quod permittat me id facere cum debita diſpoſitione, omnino neceſſe erit me viuere vita Chriſti, propter vnionis vinculum quod inter ipſum & me in communione intercedit. Exemplum ſuggero, Habetis Rhenum fluuium ingentem ac non exiguam Germaniæ partem alluentem, habetis & alium ſed minorem, Moſam intellige, qui dum in Rhenum influit, ita deperdit quod ſuum erat, vt nec nomen, nec alueum retineat; ſed maioris nomine compelletur; ſimiliter dum communicamus duę ſe inuicem vitæ commiſcent, quaſi duo flumina, vita Chriſti quæ fluuius eſt ingens, & vita communicantis, quæ perexiguum eſt flumen, vbi ergo vtraque coniungitur, vitæ noſtræ curſum ac nomen amittimus, propter vnionem eius cum vita Chriſti, adeo vt in cœlum curramus, ſed curſu & vita fœliciori, quam noſtra, quia Chriſti vita eſt, in quam noſtra abſorbetur: fluuius enim ille copioſus vitæ Diuinæ, efficit vt vita noſtra ſuauiter & amanter ſine vi, ſine coactione vlla, effluat in æternæ beatitudinis Oceanum; ſi ergo quærat aliquis, quis ille ſit qui ita effluit in gloriam, non reſpondebitur amplius eſſe Petrum, aut Ioannem, ſed Chriſtum, quia nomen amiſit in ingenti flumine vitæ eius. Audi Paulum, *viuo ego*, ante communionem, *iam non ego*; poſt communionem, quis ergo viuit? *viuit vero in me Chriſtus:* O fœlicem transformationem, ô metamorphoſim optandam, quis mihi tribuat hoc transformans ferculum ita ſuſcipere, vt iam non viuam ego, ſed totus in Chriſtum abſcorptus, viuat ipſe in me, ac deperdito vitæ meæ fluxu ac nomine, pergam ad
Tertull. æternitatem curſu fœliciore: Optime in hanc rem Tertull. verba hæc exponens orationis Dominicæ, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, dicit, *itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & indiuiduitatem à corpore eius*;
vnio

vnio quæ inter Chriſtum & communicantem intercedit, tanta eſt, vt Doctor hic non dicat quod rogemus Deum, Indiuiduationem, quæ primum eſt abſtractum ſecundum Dialecticam, ſed indiuiduitatem, quæ poſtremus conceptus eſt quem de re aliqua formamus. Vnde S. Paſchaſ. in hæc verba Pſalmi *memorare quæ mea ſubſtantia*, bene dicit, *quæ igitur maior ſecuritas hominis, quam ad ſubſtantiam orare, & eam in Deo venerari, atque per vnitatem perſonæ fidentes, dicere, ô Deus mea ſubſtantia*: etſi in rigore mihi videatur hic Doctor de Incarnatione loqui, nihilominus hæc exponit de vnione quæ in hoc Sacramento inter Chriſtum & communicantem intercedit, paulo enim ſuperius ait, *carni quidem caro ſpiritualiter conuiſcerata transformatur, vt Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inueniatur, ſicut & ipſe noſtram, in ſuam conſtat aſſumpſiſſe deitatem:* poſſetne maior transformatio reperiri? Mater Darii, Alexandrum Magnum ſemel inuiſens, cum in aula Principem expectaret, aduenit Epheſtion intimus Alexandri amicus, cui illa ipſum arbitrata Alexand. ſalutem, eumdemq; quem Principi honorem impertiit; cum autem paulo poſt Alexander introiſſet, admiſſi conſcia erroris erubuit, cui ille, *non erraſti Mater, nam & hic Alexander eſt:* Quodnam de anima digne communicante fertis iudicium? ne arbitremini eam amplius eſſe quæ ſolebat, totum exuit quod ſibi proprium, ac Chriſti induta formam, in alterius Ieſu, conditionem tranſiit; transformans enim hoc ferculum ſumens, in quo Amor Seruatorem realiter conſtituit, tranſit in Chriſtum, vitamque propriam & nomen perdit, vt iam non niſi vita Ieſu viuat, non niſi ſuauiſſimo Ieſu Nomine debeat compellari. Liceat mihi in hanc rem id eloqui quod in aliam dicit Auguſt. *ama amorem illius qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulauit, humiliando ſe, ſublimando te, coniungendo lumen ſuæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis*: afficere erga Diuinum hunc amorem, qui ita fœliciter de Deo triumphum egit, vt illum tibi dederit

Pſal. 88. S. Paſch.

Auguſt. lib. de catechiſ. rud.

O cum

Digitized by Google

cum eius vita, ſubſtantia, & gloria in hoc transformanti ferculo comedendum, vt te mutaret in ſe, ac alterum Ieſum efficeret, & vere cum regio vate dicere poſſes, *memorare quæ mea ſubſtantia:* reminiſcere ô Domine eamdem communem nobis eſſe ſubſtantiam, ac me in te transformatum per dignam tui corporis in altaris Sacramento ſumptionem, vt vitæ meæ curſu deperdito & nomine, vita tua viuerem, ac alter Ieſus nuncuparer. Non eſt meæ intentionis aſſerere communicantem deſinere eſſe, ac transformari in Diuinitatem & humanitatem Chriſti quem in Euchariſtia ſuſcipit, id enim eum ad æqualitatem cum Chriſto eueheret, ſed quod intendo dicere hac Quintiliani ſententia facilius pateſcet: *vnire non eſt animorum ſtudium, ſed dilectionis ſolatium, non eſt amoris quies, ſed dilectionis requies.* Id quidem in votis eſt amori, vt eadem omnino ſubſtantia, ac idem fiat indiuiduum cum obiecto amato, quod cum impoſſibile ſit, quia illud eſſet deſtruere amatum, eique eſſe adimere, quod non cuperet Amor; ſufficit ergo ſi vnione intima quæ illi quietem præbeat, illum ſibi copulauerit; Iam vero vt ad inſtitutum veniam, qui communicat, non fit idem cum Diuinitate & humanitate Chriſti, ſed illum amor adeo fortiter cum Chriſto copulat, vt eadem vita viuat, eiuſque opera, ab æterno Patre quaſi filii naturalis actiones recipiantur, qui fit vt iam me non capiat in admirationem, quod ait Chryſoſtomus: *dæmones cum Dominicum corpus & ſanguinem in nobis vident, in fugam conuertuntur:* Barbara tartarorum cohors cum aliquem intuetur qui bene communicauit, ab eo diffugit, quaſi ab altero filio Dei, idque quia eum cum Chriſto nexu arctiſſimo vident copulatum: *neque Hercules contra duos:* ait adagium, quomodo ergo poterit dæmon reſiſtere Chriſto & ei qui in ſuſceptione Sacramenti fuit illi ita arcte vnitus? Quis non hunc amoris effectum demiretur? quis non ſtupeat prodigioſum inuentũ, quo vſus eſt, vt meliori quo poſſet modo nos in Deum transformaret,

Quintilianus.

Chriſoſt.

Digitized by Google

ret,ac alios Dei filios efficeret: *O iugum ſancti amoris* exclamat Bernard. *quam dulciter capis, glorioſe laqueas, ſuauiter premis, delectanter oneras. fortiter ſtringis*: qualiter amor iugum ſuum impoſuit Deo in huius inſtitutione Sacramenti? quam potenter de eo egit quod voluit, qualiter illum ſuauiſſime ac glorioſiſſime ſub accidentibus panis & vini alligauit, certe nexu adeo forti id præſtitit, vt ad ſponſæ ſuæ Eccleſiæ conſolationem, vſque ad conſummationem ſæculi ſit ſub ſpeciebus Sacramentalibus permanſurus: non poterat glorioſiorem de eo Triumphum agere, quam illum ita alligando, ac efficiendo, vt verbis conſecrationis rite prolatis realiſſime ſub accidentibus Euchariſticis præſens adeſſet, ad arbitrium ſacerdotis, *triumphat de Deo Amor: triumphat de Deo Amor.* Bernard. tract. de dilig. Deo.

PARS ALTERA.

Magnificum hunc amoris triumphum ſponſa ingenioſiſſime deſcripſit in Canticis, cum dixit, *ferculum fecit tibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit:* non parũ laborant Doctores vt inueniant quid ſignificet τὸ ἀπίϱιον quod Hieronymus, nomine ferculi expoſuit, Rabbi Dauid Kimkhi, intelligit lectum pretioſiſſime ſtratum, Rabbi Abraham Aben Ezra, magnificum atque ſuperbum palatium; Rabbi Salomo, ſedem in qua ferri ſolitæ erant ſponſæ: Sed Patres Græci, Nyſſenus præſertim & Theodoretus, per ferculum, currum triumphalem, ſua magnificentia ornatum intelligunt, & Philo Carpathius aſſerit currum hunc ſignificare carnem & humanitatem filii Dei, ille eſt currus triumphalis qui Verbum Dei per totum mundum euexit, ac in quo cœlos aſcendit: vt ait Propheta, *aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio:* ſed qui obſecro fuere iugales, qui currum hunc traxerunt? Rupert. lib. 6. in Cant. dicit eſſe quatuor myſteria

Cant. c. 3. Rabbi Dauid. Rabbi Abraham. Rabbi Salomon. Nyſſenus. Theodor. Philo Carpath. in ca. 3. Cant. Abacuc. cap. 3. Rub. lib. 6. in Cant.

Digitized by Google

humanitatis filii Dei, Incarnationem, paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem, *quadrigæ Aminadab, quatuor ſunt Euangelica Sacramenta dilecti, videlicet Incarnatio vel Diuinitas eius, paſſio eius, reſurrectio eius, & aſcenſio eius*: hi ſunt quatuor equi, qui currum hunc triumphalem, hoc eſt, carnem Chriſti traxerunt, ſed obſecro quando id peractum eſt? quo tempore hæ quadrigæ viſæ ſunt in hoc curru? non ignoro Doctores paſſim aſſerere fuiſſe cum Apoſtoli quatuor hæc myſteria mundo nuntiarunt: ſed liceat mihi non ſine fundamento affirmare, ſi vſquam humanitas filii Dei currus triumphalis formam aſſumpſerit, id ſpeciatim fuiſſe cum Sacramentum altaris inſtituit, videte obſecro quatuor hos iugales currum trahentes? Chryſoſt. vocat Euchariſtiam *extenſionem Incarnationis*, habes ergo Incarnationis iugalem, Damaſcenus *dixit: eleuatur in manibus ſacerdotis in Crucem, & frangitur & diſtribuitur & in nobis ſepelitur, & facit nos ſecum à corruptione liberos*: agnoſce modo & paſſionem. Vis videre reſurrectionem? audi Ireneum: *corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia*: claudat quadrigam Ignatius, qui aſſerit communicantem, gloriam qua in ſua aſcenſione coronatus eſt filius Dei, comedere: *feſtinate ergo frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei*: Ne miretur ergo quiſpiam, ſi dixerim Chriſti corpus in Euchariſtia currum triumphalem eſſe, oſtendi enim quadrigam illam trahentem, de qua loquens Nahum ait, *quadrigæ colliſæ ſunt in plateis*, quod accidit cum Chriſtus dixit *niſi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: volebat currum hunc Euchariſticum in arenam procedere, ſed illico ſcribæ & Phariſæi ſeſe illi opponentes, quadrigas colliſerunt in plateis, non volentes ſibi perſuadere hanc veritatem, ac dicentes: *quomodo poteſt hic carnem ſuam dare nobis ad manducandum?* Rupert. optime ait in hanc rem: *cœtus Phariſaicus in ſeditiones excitauit me, vt talium quadrigarum curſum non poſſem diſcernere, videlicet præuenta*

Chryſoſt.
Damaſc. lib. de cap. Chriſti.
Ireneus li. 3. cap. 33.
Ignatius epiſt. ad Epheſeos.
Nahum. cap 3.

Digitized by Google

uenta quadrigarum earumdem non bona æſtimatione. Si igitur caro Chriſti in Euchariſtia, currus triumphalis eſt, hac nobiliſſima, quam modo deſcripſi, quadriga inſtructus, quis erit triumphator quem vehet? reſpondet ſponſa, *media charitate conſtrauit:* apparet in medio huius currus amor triumphans, quod apertius legunt Rabbini, *medium eius accenſum & ardens charitate,* triumphum agit magnificum amor in hoc curru, ac totus ſplendidus totus igneus apparet, ſicut olim Perſæ factitare ſolebant, qui in ſuis triumphis ignem addebant in victoriæ ſignum & gloriæ, quod etiam de quibuſdam Romanis Imperatoribus aſſeritur, ſimiliter Amor ſeſe medium in Euchariſtico curru conſtituit, ſed totum igneum atque flammantem, vt indicaret homini ſe in hoc Sacramento nobiliſſimum de Deo agere triumphum, *triumphat de Deo Amor.* Alexand. ab Alexan. lib. 1. gen. dier. ca. 28.

Enim vero quem finem intendere hunc amorem, cum ora veſtra glorioſus triumphator ingreditur, autumatis? nihil aliud ſane, niſi de cordibus quoque veſtris agere triumphum: in quo & illius demiror potentiam, & noſtrum teporem ſtupeo, tanta fortitudine polluit vt de ipſo Deo potuerit triumphare, & tamen nos illi non concedimus corda noſtra ſuo ſubiugare arbitrio; quod Ezechiel prophetico obtutu intuitus eſt, cum vidit currum triumphalem, in quo ſolæ tædæ, ac ignes promicabant: *hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens:* Sed inquiro rationem ob quam adeo copioſus ignis, nec currum, nec rotas abſumeret? reſpondet optime ad præſens inſtitutum idem Vates: *& aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris:* rotæ maris formam induerant, & quæ flamma mare poſſet abſumere? Heu quot hodie animæ, rotæ ſunt volubiles, in omne peccati genus ſeſe rotantes, ſed quod peius eſt, *aſpectus earũ & opus earũ quaſi viſio maris:* adeo frigidæ, adeo cõgelatæ ſunt, vt nulla amoris Diuini flamma, hoc ſceleratũ peccati frigus, valeat fugare; multi ſingulis dieb. feſtiuis aut Dominico amorẽ in Eu- Ezech. c. 1.

chariſtia, excipient in ſinus ſuos, totus eſt igneus, totus flammeus, & tamen eorum corda, quaſi ſeptentrionalis maris, quod in glaciei ſoliditatem induruit, naturam imbiberint, incaleſcere non poſſunt; Hic auream illam Salomonis ſententiam hebeſcere deprehendo, qua aſſerit, *fortis eſt vt mors dilectio:* noſter enim tepor, amorem adeo debilem efficit, vt licet de Deo triumpharit, quo minus tamen de cordibus quoque triumphum agat, addimus impedimentum: Iſidorus pulchre oſtendit modum quo poſſit cognoſci, triumpharitne de cordibus noſtris, *valida eſt vt mors dilectio*, ait ille; *ſicut mors violenter ſeparat animas à corpore, ita dilectio Dei violenter ſegregat hominem, à mundano & carnali amore:* cum vel vnicum de Aliquo amor agit triumphum, omnem alium rerum mundialium affectum præſcindit, vt totus cœleſtibus inhians, peritura quæque deſpiciat, ſed quis reperitur qui hanc in ſuis affectibus præſciſſionem amori permittat? quis non reſiſtit, quid non ſe obiicit volenti? vt vere debilior videatur amoris vis in nos, quam fuerit in ipſam Diuinitatem.

Iſidorus.

S. Baſilius.

Concludat aurea Baſilii ſententia hunc diſcurſum, *qui vult veram dilectionem prægustare, Chriſtum diſcat ſuauiter amare, quia Chriſtus Amor eſt:* vis ô fidelis anime, guſtare ſuauitatem Amoris, Chriſtum ama, *& quia Chriſtus amor eſt:* in eo ſummam reperies amoris voluptatem, reperies inquam ſed in altaris Sacramento, vbi inebriaberis, triumphaberis, & accenderis. Beatus Laurentius Iuſtinianus ſubtiliter animaduertit in lege veteri neminem amore excelluiſſe, in fide præcelluit Abraham, Iſaac in obedientia, in patientia Iacob, Ioſeph in caſtimonia, ſed nullus in amore: illud enim legi gratiæ ſeruabatur, in qua in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, recipitur amor in ſuo triumpho, vt corda ſe digne ſuſcipientium ſuo ſubdat arbitratui, quia vero lex antiqua Euchariſtiam non habuit, ideo factum eſt, neminem in ea præcelluiſſe charitate, vnde bene Ozeas dicit *viuent tritico,*

Laur. Iuſtin. Serm. de Euch.

Oſeæ. c. 14.

legunt

legunt alii, *inebriabuntur frumento*: præcipuus amoris effectus eſt inebriatio, quemadmodum enim qui ebrius eſt, omnium memoriam exuit, vt nullius videatur reminiſci, ita & amor in Euchariſtia ſuſceptus ita potenter inebriat animum, vt non ſolum ab eo fuget rerum mundialium memoriam, ſed & etiam affectum, vt ſolius Dei valeat reminiſci; ideo Dionyſ. ait, *facit exſtaſim diuinus amor*: exſtaſis eſt omnium obliuio, ita & Euchariſtia digne ſuſcepta, obliuionem affert, ac ſolius Dei ingerit recordationem; dicat ergo Dauid: *& calix meus inebrians quam præclarus eſt*: quod ita explicat Auguſt. *& poculum tuum obliuionem præſtans, priorum vanarum delectationum, quam præclarum eſt*. Is eſt genuinus auguſtiſſimi Sacramenti effectus, qui enim illud digne ſuſcipit, ita amor de cordibus triumphat, eaque adeo ſubiugat potenter, vt nulla ratione permittat, periturarum rerum aut cogitatione teneri aut affectu, ſed vnius ſolum Dei. Præcepit Deus in Exodo ne vllus agnum paſchalem comederet, crudum, aut aqua coctum, ſed aſſum; Aſſerunt Patres communiter agnum hunc Chriſtum in Euchariſtia ſignificare, cum ad communionem accedis, vt fœlicem tuæ lites ſortiantur effectum, vt prolem ſuſcipias, ſine alio reſpectu, agnum comedis, ſed crudum, cum tepidus, indeuotus, ac ex conſuetudine ſacro appropinquas altari, tunc aqua coctum comedis; non vult Deus agnum ſuum hac ratione edi, ſed aſſum, quomodo illi qui cum feruenti ad eius ſumptionem deſiderio accedunt: totus feruidus huic transformanti ferculo appropinqua, & de te amor triumphabit, ac alterius Chriſti faciet mores induere, vt tibi dicat Deus Pater, *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*.

Dionyſius Areop. Pſal. 22. Auguſt.

Exod. c. 12.

FERCV-

FERCVLVM GLORIÆ.

Diſcurſus Septimus.

NVſquam Diuinæ gratiæ fluuius libentius effluit, quam in humilem: ita me docuit Dauid cum ait, *qui emittis fontes in conuallibus*: quaſi diceret, anima quæ Diuinæ gratiæ cupit imbre irrorari, debet eſſe vallis, hoc eſt, vilis & abiecta in oculis ſuis, ſuperbum ad ſydera montes verticem erigant, ſed ſeſe valles deprimant in profundum, quo facilius Diuinorum in ſe chariſmatum fluxum excipiant, illi vero feroci fulminis ictu quatiantur: pulchre Auguſt. *audi Prophetam, ſuper quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem verba mea? quid eſt ſuper quem requieſcit ſpiritus meus? ſuper humilem & quietum; quis habebit fontem meum? conuallis:* citius montes excipiunt decidentē imbrem, ſed conualles econuerſo ſerius, ſed copioſius, ſed diutius, quia q, ſuo ſinu ſemel clauſerint, non facile alio poteſt relabi, ita animus quem contemptus ſui, ac regina virtutum humilitas fecit conuallem, magna gratiarum copia irroratur, cuius facile non patiatur effluxum: *qui emittis fontes in conuallibus:* Iob hominem Iuſtum contemplatus audet aſſerere camporum eius glebas aurum eſſe puriſſimum: *glebæ illius aurus*; O grande paradoxum, quid commune habet Iuſtitia cum glebis, aut ſi aliquid tale habet, quid cum glebis aureis? quot ſanctos viros hodie poſſidet mundus, quos ingens rerum omnium premit inopia? quis vſquam glebas aureas intuitus eſt, ænigma eſt maius reconditum, cuius non facile ſenſum fuero aſſecutus ex me ipſo: ſed adeſt S. Paſchaſius illius ſolutionem afferens, cum ait, *glebæ ex humore & puluere conſtringuntur, omnes ergo qui rore gratiæ infuſi, ex mortis debito ſe puluerem eſſe veraci cognitione confitentur, dum vitæ*

Pſal. 103. — Auguſt. in Pſal. 103. — Iob cap. 28. — S. Paſch. li. 4. in Threnos.

vitæ virtutibus clareſcunt, quaſi aureæ glebæ in Eccleſia reniteſcunt: quid vilius gleba? terrea maſſa eſt, nihil ignobilius, docet tamen vir hic ſanctus modum quo effici poſſit aurum, quod tunc fiet, cum animus ſuſcepto cœleſti dono rore gratiæ irrigatus, ad natiuam vilitatem oculos deflectit, ac ſe vlla gratia fatetur indignum, tunc gleba aurum fit, quia nouo eoq; copioſo Diuinorum chariſmatum irroratur imbre, *glebæ illius aurum*; Quod quam verum ſit, elucet in virgine: quid tenera virgine deſpicabilius, domi remanet, vix domeſticis nota, ſacrum virginitatis propoſitum colebat, ſeſe omnibus ſubdens, vt omniũ ſe exhiberet ancillam, glebã habẽs, ſed vilem, ſed abiectam in oculis ſuis, cũ ecce ſubito copioſo adeo gratię cœleſtis rore fuit reſperſa, vt repente in matris Dei euecta ſit dignitatem, & hoc glebæ aurum eſt, quo tota reſplenduit, vt iam nemo ſit, qui Virgineæ huius glebæ non ſtupeat maieſtatem, *glebæ illius aurum:* Liceat ergo mihi puluerulentos animi conceptus, cum omni quo poſſum humilitatis ſenſu, aureæ huic glebæ offerre, vt licet viles ſint ac terrei, humilis tamen animi veſtiti teſtimonio, aurum eius interceſſione induant, quæ ſola humilitate auream matris Dei promerita eſt dignitatem.

Si filius Dei Verbum Patris pendens in Cruce beatiſſimo prædoni cœleſtis paradyſi valuas reſerauit, idem omnino mihi videtur præſtare iis qui Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum digne ſumunt, cum in Caluario inter extremos vitæ halitus verſaretur, ac iam iam fœliciſſimum Spiritum in manus Patris eſſet emiſſurus, perditam cœleſtis regni hæreditatem latroni reſtituit; ſpeciebus quoque velatus Euchariſticis idem præſtat, quid enim in hoc ſacro epulo reperitur, quod non oleat paradyſum; quod non vitæ referat arborem, ac innocentiæ quod Adam perdidit, non promittat tegumentum? Antipater optime in hanc rem Beatiſſimam Dei Parentem alloquitur; *benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus*

Antipater Epiſcop. Boſtior. orat. de Ioan. Bapt.

P *ventris*

Digitized by Google

ventris tui, ex quo cum comederit Adam vicit inimicum; benedictus fructus, qui fuit mundi cibus & amictus: hominis conditio in ſtatu Innocentiæ adeo fœlix extitit, vt Adam ſolum arboris vitæ fructum guſtans, alio non indiguiſſet cibo vel amictu, hoc admirabili fructu, illi omnia ad victum & veſtitum neceſſaria ſuppeditante; ſed ô ſcelus, arbori vetitæ manum admouit, ac eius mortifero guſtato fructu, manſit indigus cibi & indumenti; Quid huic medebitur malo? quis famelicum ſatiabit hominem, quis nudo, & à patria extorri ſuppetias feret? certe non alius quam filius Dei, qui Euchariſtiam inſtituens, vitæ arborem in ea plantauit, vt qui ad eius digne accederet ſumptionem, famem ſatiaret, ac tegeret nuditatem: Idem antiquo manna conceſſum fuit priuilegium, quamdiu enim in deſerto Iſraëliticus populus eo paſtus eſt, nullam

Deut. c. 29. veſtimentorum paſſus eſt attritionem: ita Deuter. cap. 29. *adduxit vos quadraginta annis per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt:* qua in re figuram expreſſit venerabilis Sacramenti, quod tantam habet facultatem, vt famem hominis ac nudita-

Oseæ. c. 11. tem per peccatum inuectam poſſit reparare: dicit Oſeas in rem præſentem in perſona Chriſti, *in funiculis Adam traham eos*, ſed qui ſunt hi Adami funiculi niſi paradyſi hæreditas quam

Ruffinus in illud citatum. perdiderat? ita me docet Ruffinus, *funiculus eius id eſt ſortitio Adæ primi hominis, antequam peccato è fœlicitate decidiſſet, qui paradyſi fuerat habitator effectus, vt nō laboratis ſed ſponte naſcentib. fructibus veſceretur, ita iſte populus ſolis miraculis cōparata pabula ſuſcepit:* talis erat Adami paradyſus, adeo fœlix illi contigerat portio atq; hereditas, vt nullo labore indigeret ad colendā terrā, ſed ipſe fœcunditate natiua ſe diſponeret ad meſſem, frugeſque & fructus ſuo præberet hæredi; eamdem omnino portionem ſeu fœlicitatem manna Hebræis inuexit, ſpatio enim quadraginta annorum, non fuit illis opus terreas glebas, ruſtico aratro ſubducere, ſed pluebat in dies de cœlo manna, quod cibi
loco

loco famelicos paſcebat: Verum fœliciores longe ſunt fideles, qui epulum Euchariſticum digne ſuſcipientes, ad hæreditatis ac portionis paternæ poſſeſſionem rurſus admittuntur, vt in ea quod proficiat fami reperiant, & quod nuditati.

Chryſoſt. aſſerit quiddam Diuinum quo eleganter ſtabilitam aſſertionem confirmo: ait enim Euchariſticum panem proprium locum ac ſitum in Seruatoris latere ſibi vendicare, *quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas*: hæc ille, res mira! cur in latere Chriſti altaris Sacramentum conſtituit? numne nobiliorem ſedem haberet in manibus? & ſi deſiderantur vulnera, habent quoque manus ſua, cur ergo ſtatuitur in latere, & non in ſacratiſſimis manibus? grande ſane myſterium; prodit Eua ex latere protoplaſti, & infœlix mulier, quæ data fuerat in ſubſidium, in ruinam ingentem illum traxit à quo vitam acceperat, hoc eſt, ſua perſuaſione occaſionem dedit Adamo, vt Diuino mandato contrairet, cuius gratia cum poſteris ex paradyſi hæreditate expulſus eſt, ac flammeus gladius eiuſdem hæreditatis cuſtos conſtitutus, vt paterna ſorte æternùm eius poſteritas priuaretur, cum igitur Euchariſtiæ Sacramentum hominem in hæreditatis huius poſſeſſionem eſſet reſtituturum, decuit omnino vt ex noui Adami latere prodiret, vt illi opponeretur quæ priuationis illius cauſa extiterat; hanc mihi mentem ingeſſit Procopius cum ait: *ſic Chriſtus proprium latus, ceu firmamentum aliquod haſtæ oppoſuit, paradyſum aperiens, qui propter latus nempe mulierem fuerat obſtructus*: quemadmodum mulier ex Adami latere prodiens paradyſum obſerauit, ita Euchariſtia ex noui Adami procedens latere, reſerauit illum, acumen enim gladii in introitu conſtituti in Chriſti latere fuit hebetatum, quaſi in æs impenetrabile ſuam vim exeruiſſet; huic cogitationi non parum fauet Dauid, cum ait, *erit firmamentum in terra in ſummis montium*; Hebræa origo habet, *erit memoria-*

Chryſoſt. in cap. 15. Ioan.

Procop. in Gen cap. 2.

Pſal. 71.

ventris tui,, ex quo cum comederit Adam vicit inimicum; benedictus fructus, qui fuit mundi cibus & amictus: hominis conditio in ſtatu Innocentiæ adeo fœlix extitit, vt Adam ſolum arboris vitæ fructum guſtans, alio non indiguiſſet cibo vel amictu, hoc admirabili fructu, illi omnia ad victum & veſtitum neceſſaria ſuppeditante; ſed ô ſcelus, arbori vetitæ manum admouit, ac eius mortifero guſtato fructu, manſit indigus cibi & indumenti; Quid huic medebitur malo? quis famelicum ſatiabit hominem, quis nudo, & à patria extorri ſuppetias feret? certe non alius quam filius Dei, qui Euchariſtiam inſtituens, vitæ arborem in ea plantauit, vt qui ad eius digne accederet ſumptionem, famem ſatiaret, ac tegeret nuditatem: Idem antiquo manna conceſſum fuit priuilegium, quamdiu enim in deſerto Iſraëliticus populus eo paſtus eſt, nullam

Deut.c.29. veſtimentorum paſſus eſt attritionem: ita Deuter. cap. 29. *adduxit vos quadraginta annis per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt:* qua in re figuram expreſſit venerabilis Sacramenti, quod tantam habet facultatem, vt famem hominis ac nuditatem

Oſeæ. c. 11. tem per peccatum inuectam poſſit reparare: dicit Oſeas in rem præſentem in perſona Chriſti, *in funiculis Adam traham eos*, ſed qui ſunt hi Adami funiculi niſi paradyſi hæreditas quam

Ruffinus in illud citatum. perdiderat? ita me docet Ruffinus, *funiculus eius id eſt ſortitio Adæ primi hominis, antequam peccato è fœlicitate decidiſſet, qui paradyſi fuerat habitator effectus, vt nō laboratis ſed ſponte naſcentib. fructibus veſceretur, ita iſte populus ſolis miraculis cōparata pabula ſuſcepit:* talis erat Adami paradyſus, adeo fœlix illi contigerat portio atq; hereditas, vt nullo labore indigeret ad colendā terrā, ſed ipſe fœcunditate natiua ſe diſponeret ad meſſem, frugeſque & fructus ſuo præberet hæredi; eamdem omnino portionem ſeu fœlicitatem manna Hebræis inuexit, ſpatio enim quadraginta annorum, non fuit illis opus terreas glebas, ruſtico aratro ſubducere, ſed pluebat in dies de cœlo manna, quod cibi

loco

Digitized by Google

loco famelicos paſcebat: Verum fœliciores longe ſunt fideles, qui epulum Euchariſticum digne ſuſcipientes, ad hæreditatis ac portionis paternæ poſſeſſionem rurſus admittuntur, vt in ea quod proficiat fami reperiant, & quod nuditati.

Chryſoſt. aſſerit quiddam Diuinum quo eleganter ſtabilitam aſſertionem confirmo: ait enim Euchariſticum panem proprium locum ac ſitum in Seruatoris latere ſibi vendicare, *quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas*: hæc ille, res mira! cur in latere Chriſti altaris Sacramentum conſtituit? numne nobiliorem ſedem haberet in manibus? & ſi deſiderantur vulnera, habent quoque manus ſua, cur ergo ſtatuitur in latere, & non in ſacratiſſimis manibus? grande ſane myſterium; prodit Eua ex latere protoplaſti, & infœlix mulier, quæ data fuerat in ſubſidium, in ruinam ingentem illum traxit à quo vitam acceperat, hoc eſt, ſua perſuaſione occaſionem dedit Adamo, vt Diuino mandato contrairet, cuius gratia cum poſteris ex paradyſi hæreditate expulſus eſt, ac flammeus gladius eiuſdem hæreditatis cuſtos conſtitutus, vt paterna ſorte æternùm eius poſteritas priuaretur, cum igitur Euchariſtiæ Sacramentum hominem in hæreditatis huius poſſeſſionem eſſet reſtituturum, decuit omnino vt ex noui Adami latere prodiret, vt illi opponeretur quæ priuationis illius cauſa exstiterat; hanc mihi mentem ingeſſit Procopius cum ait: *ſic Chriſtus proprium latus, ceu firmamentum aliquod haſtæ oppoſuit, paradyſum aperiens, qui propter latus nempe mulierem fuerat obſtructus*: quemadmodum mulier ex Adami latere prodiens paradyſum obſerauit, ita Euchariſtia ex noui Adami procedens latere, reſerauit illum, acumen enim gladii in introitu conſtituti in Chriſti latere fuit hebetatum, quaſi in æs impenetrabile ſuam vim exeruiſſet; huic cogitationi non parum fauet Dauid, cum ait, *erit firmamentum in terra in ſummis montium*; Hebræa origo habet, *erit memoria-*

Chryſoſt. in cap. 15. Ioan.

Procop. in Gen cap. 2.

Pſal. 71.

le tritici: aut, *placenta tritici:* ſed cum Auguſt. hæreo vulgatæ, quæ legit *firmamentum*, quod non ſolum cœlum quod firmamentum vocamus, ſed & firmitatem ſignificat, vult ergo dicere Euchariſticum triticum, vel triticeam altaris placentam, firmitatem indidiſſe gladio verſatili, quem in Paradyſo introitu manus cherubica rotabat: ideo vocatur in Scriptura *gladius verſatilis*: ante triticeæ huius placentæ inſtitutionem, verſabatur rotabatur in mille partes hic gladius, ſed vbi ſemel adfuit Sacramentale triticum, nihil amplius timendum eſt, quia verſaltilem gladium firmauit, ac paradyſi introitum reddidit expeditum: *facit corpus & ſangnis:* ait *S. Paſchaſ. quod ipſum feciſſe Chriſtum in Cruce legimus, dum vni eorum qui erant cum eo in patibulo confitenti, paradyſi præſtitit regnum; alteri vero blaſphemanti iudicium determinauit:* vides iam Euchariſticum frumentum idem præſtare quod Chriſtus in Cruce, ſi enim paradyſi valuæ latroni ſunt reſeratæ, hic quoque liber eiuſdem ingreſſus efficitur, cum verſatilis gladius in ęternum firmatur.

Paſch. ep. ad Frudeg.

Sed adeſt Rupertus ſuum quoque ſymbolum in hanc rem additurus, non enim gladium in manu Angeli rotatum contemplatur, ſed quod longe magis timendum eſt, eum ſtupet eſſe flammeum ac ignitum, dicit enim ſacer textus *flammeum gladium atque verſatilem:* primo, *flammeum*; quod terribilius magiſque eſt formidandum, poſtea vero *verſatilem*: aſſerit ergo hic Doctor Deum ideo voluiſſe vt flammeus eſſet, quo ex ſolo fumi eius aſpectu, de recuperanda vnquam paterna hæreditate, extorres miſeri deſperarent, quid ergo? nihil dabit mundus quod voracem hanc flammam poſſit extinguere? panem & vinum Melchiſedech hunc in finem obtulit, ſed vbi ardentem ignem debuiſſet extinguere, ab ipſo potius abſumptus eſt; Abel ſanguinem ſuum præbuit, ſed flammæ maius addidit incrementum, quî enim fieri poterat, vt leuis ſanguinis maſſa extingueret incendium, quod dilu-

Rup. lib. 4. de Trinit. & oper. eius cap. 2.

uium non poterat, denique à prima orbis conditione, id ſollicite homines factitarunt, vt tauros, boues, & arietes immolarent, quo harum victimarum ſanguine flammeus gladius tepeſceret; ſed hæc omnia fuerunt inutilia, id Euchariſtico ſanguini debebatur, quod ait Rupert. *vt ſciret non tantum fore ſemen mulieris, ſed & filium Dei, qui verus Agnus Dei per ſuam Innocentiam malitiam ſerpentis conculcaret, & per ſuum ſanguinem flammeum gladium reſtingueret*: ſanguis Euchariſticus cum non ſolius hominis, ſed & ipſius Dei ſit ſanguis, inde vim accepit flammantis gladii reſtinguendi, quam omnes hoſtiæ in templo iugulatæ non habuerunt: Immaculato huic Chriſti cruori quem in Euchariſtico calice bibimus, debetur ardentis flammæ quæ paradyſi obſerabat introitum, extinctio: Ipſe enim nos in Paternam hæreditatem aſſeruit, & ad cœleſtem vnde excideramus paradyſum, reuocauit, vt vere dicat Seruator, *qui manducat hunc panem viuet in æternum*: in quantum in ſe claudit, beatam vitam, ac fœlicem perennitatem, quam animæ communicanti tribuit, eam etiam in hac vita fœlicem conſtituens ac beatam: gloriæ ferculum eſt quod ſe ſumentes beatos facit, ſed ea vi, ea efficacia, vt non ad futuram vitam ſuam fœlicitatem differat, ſed in hac etiam etſi calamitoſa, etſi miſera, impertiatur: oſtendam ergo in primis, in hoc gloriæ ferculo quatuor beatorum dotes contineri, quas largiatur communicantibus: poſtmodum de debita gratiarum actione acturus.

PARS PRIOR.

Magnum intercedit diſcrimen inter auguſtiſſimam Euchariſtiam, & alia Sacramenta & gratiam, hæc enim cum Sacramentis nos ſolum gloriæ hæredes conſtituit, Euchariſtia autem in actualem eius introducit poſſeſſionem; S. Ioan. de aliis Sacramentis differens, ait, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; Ioan. cap. 1.

Digitized by Google

Deus facultatem hominibus conceſſit, vt filii Dei fierent ac gloriæ hæredes; interlinearis habet, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri per Spiritum ſanctum, non tantum reformari: ſed adoptiuos & cohæredes per gratiam:* ordinaria gloſſa id applicat in particulari Sacramento baptiſmi, per quod generamur in vitam gratiæ, ac filiationem Diuinam & ius ad gloriam conſequimur; *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri per baptiſmum.* & Hugo Cardinalis *per gratiam adoptionis:* ex quo patet Sacramenta & gratiam nos gloriæ hæredes conſtituere, quod breuiter dicit Apoſtolus, *ſi filii, & hæredes:* ſed Euchariſtiæ Sacramentum, ea ſuper cætera prærogatiua pollet, vt non ſolum efficiat hæredes gloriæ, ſed & in actualem eiuſdem poſſeſſionem in hac vita introducat; quod ſatis clare innuit S. Proſper, cum ait, *qui corpus Chriſti ſumit, eſcam ſalutis accipit, & æternitatis poculum bibit,* qui digne communicat, immortalitatem & gloriam quam in cœlis eſt habiturus deglutit; quod facile in animum vobis inducere me poſſe confido, ſi reuocauero in memoriam quatuor corporis glorioſi dotes, quas beati in cœlo ſunt habituri, impaſſibilitatem videlicet, ſubtilitatem, agilitatem & claritatem; oſtendi alias nos in hoc gloriæ ferculo ſuſcipere quicquid ſeraphicos Spiritus beat, quia Diuinitatem humanitatemque continet filii Dei, iam vero oſtendere aggredior quatuor has etiam dotes communicare, ac primum impaſſibilitatem.

Hugo Card.

S. Proſper.

Ex communione Sancti Martyres tantam virtutem hauriebant, vt quaſi impaſſibiles ac expertes corporis in ſumma laborum tolerantia viderentur, vnde fiebat vt optime adnotauit Illuſtriſſimus Baronius, eos antea quam bellum cum Tyrannis inirent, ac deſcenderent in agonem ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere ſolitos fuiſſe; quod intellexiſſe videtur ſponſa in Canticis cum dicit, *ſicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata eſt cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* per collum ſponſæ S. Ambroſius intel-

Cant. ca. 4.

Ambroſi. Serm. 4. in

intelligit erectam ad Deum ceruicem, quam nullum poteſt peccati pondus ad terram deflectere, hanc ſuis blanditiis titillet caro, ſuas in eam mundus vanitates torqueat, ac mille tentamentis diabolus premat, vt ſub peccati iugo deprimat ceruicem, tantum abſit quod conſentiat illa, quin potius ceruicem erigit, & quaſi ad hæc omnia eſſet inſenſibilis nuſquam flectitur, quia illi Diuinus ſponſus arma conceſſit atque cuſtodiam, quæ his tentamentis ſeruet agitatam, *erecta ad Deum ceruix*, ait Ambroſi. *& iugo Chriſti habilis, quæ nulla in terrarum illecebras inflexione curuetur, ſicut Chriſti regalis eſt turris, cui iugum ſuum Nabuchodonoſor non poſſit imponere:* Sed quibus armis, quibus propugnaculis, adeo fortiter collum hoc cuſtoditur, vt inſenſibile atque impaſſibile videatur? reſpondet Aponius, eſſe corpus & ſanguinem filii Dei ſub panis & vini ſpeciebus, vix cœleſte hoc gloriæ ferculum ſponſæ collum ſeu guttur attigit, cum illam tuetur ac protegit, atque ita reddit impaſſibilem, vt hoſtium tentamenta non noceant animæ, & quælibet præſentis vitæ calamitates corpus illi grauent, quaſi maſſam carneam non gereret ſicuti & nos, ſed iam in Beatorum tranſiſſet conditionem: ſed audi Aponium, *Chriſtus ad ſimilitudinem Regis Dauid, cum ad cælos aſcendit, nobis in arce Sion, turrim carnis ſuæ, cibum animarum noſtrarum, corporis & ſanguinis ſui, & Crucis, arma defenſionis noſtræ poſuit*: hæc Euchariſtica arma atque propugnacula vix martyrum collum & guttur attigerant, cum eos quaſi inſenſibiles efficiebant, quod multi in mediis tormentis conſtituti, ac immanem perferentes lanienam palam confeſſi ſunt Tyrannis, ſe nihil omnino tot atrocium pœnarum ſentire, iam recipientes in hac vita impaſſibilitatis dotem, quam hoc gloriæ ferculum impertiebatur.

Pſal. 118.

Aponius in cap. 4. Cant.

Benedictio Aſer non parum myſterii claudere mihi ſemper viſa eſt, habetur enim in Geneſi, *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus:* quorſum obſecro panis Aſer & melle & pin-

Gen. ca. 49.

& pinguedine condiebatur? quid virtutis continere poterat, quo regum animos ſumma perfunderet voluptate? hanc ego eſſe putem, dotem impaſſibilitatis, quæ tanta fortitudine facit eos pollere qui eum ſuſcipiunt, vt quaſi omnem carnis ac debilitatis ſenſum exuiſſent, atrociſſimá quælibet tormenta ſumma perferunt alacritate, flamma iis nocére, ac tota barathri cohors commouere minime poteſt: Matthæus poſtquam Petrus eminentem illam Diuinitatis filii Dei con-
Matt.c. 16. feſſionem emiſit, refert, quod reſpondit Ieſus dicens, *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: ſed aduerſus quem Inferorum valuæ, nullam ſunt potentiam habituræ? an aduerſus Eccle-
Chryſoſt. ſiam, an vero ipſam Petram? Chryſoſt. reſpondet aduerſus vtrumque, *manifeſtum eſt quia neque aduerſus Petram, neque aduerſus Eccleſiam, portæ inferi præualebunt*: Petrus in vltima cœna pinguem hunc panem Azer qui Reges delectat, erat ſuſcepturus, à quo tanta donandus erat impaſſibilitate, vt totus inferorum exercitus nullum illi in re vel minima detrimen-
Virgil. 9. Æneid. tum eſſet allaturus: Neque enim nouum eſt inferorum valuas, melleum panem horrere, ſiquidem ait Poëta Sybillam inferos expugnaſſe, melleo pane porrecto tricipiti Cerbero illorum cuſtodi,

Cui vates horrere videns iam colla Colubris,
Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Obiicit, ille fame rabida tria guttura pandens,
Corripit obiectum, atque immania terga reſoluit
Fuſus humi.

Nec mirum? quid enim Cerberus ac tota barathri turba, ei quem dos impaſſibilitatis ornaret, nocere potuiſſet? indubitatum itaque eſt, melleum hunc panem Azer Euchariſticum intelligo dotem hanc ita potenter communicaturum ei qui ſe comederit, vt nullæ ei inferorum poteſtates, nullæ purgatorii ignis aut tartarorum flammæ ſint detrimentum allaturæ:

Digitized by Google

laturæ: ſi præſertim ad myſticam menſam in qua ſumitur, rite diſpoſitus acceſſerit, aduertens enim flamma impaſſibilitatis dotem in ſuo pabulo, lambet potius quam abſumet, quam ſuauiter in hanc rem eloquatur S.Paulinus audiamus, *non ardebit opus noſtrum, & ignis ille ſapiens tranſeuntes nos per examen ſuum, non ſeuero ardore ambiet puniendos, ſed vt commendatos blando lambet attactu:* quaſi diceret impaſſibilitatis dotem quam in Euchariſtia ſuſceperimus, nos commendaturam apud flammas, vt non modo non noceant, ſed amice lambant & blandiantur, quaſi impaſſibili materiæ nullum poſſint detrimentum afferre. S Paulinus epiſt.9.

Altera beatorum corporum dos eſt ſubtilitas; Doctor Angelicus aſſerit corpora noſtra hac dote vegetata, omnia nullo negotio peruaſura, ſicut humanitas Chriſti in glorioſa reſurrectione lapidem ſepulchrum obſerantem, & in aſcenſione ipſos cœlos penetrauit; affirmo igitur Euchariſtiæ Sacramentum hanc digne communicantibus ſubtilitatis dotem concedere, adeo vt quicquid illis ſeſe velit opponere, nulla difficultate peruadant: id me docet Dauid pereleganter cum ait, *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis:* videbis iuuenem qui repertis in rubo perdicis ouis, matrem occidit, ac poſtmodum oua gallinæ ſupponit, quæ natiuo eius calore tepefacta, pullos egerunt, quorum ipſa ſuſcipit curam: ſed quam diſcrepantes ſunt à ſeipſis, ſi propriæ matris ſenſiſſent fomentum, videbis eos timidos, macilentos, infirmos, quia eius quæ ipſos confouit hauſere qualitates, quid fuiſſet ſi eos, aquila, aut falco, ex ouo eduxiſſet? ſine dubio generoſarum harum auium quoque qualitates aſſumpſiſſent, atque eſſent leues, magnanimi, fortes, ipſa ſidera penetraſſent, ac tantum laboris in vno ex his pullis capiendo quam in aquila ipſa fuiſſet impendendum: Tertullianus affirmat naturam humanam in paradyſo fuiſſe, tanquam in nido, duo oua excluſit Adamum videlicet & Euam, ex quibus tota huma- S.Thom. 4. Sent. diſt. 44. q. 2. ait. 2. Pſal.90. Tertull. lib. de reſurr. carn.

Digitized by Google

ni generis poſteritas erat oriunda, ſed vbi hæc oua in nido dæmon reperit, admota illa arripuit manu, vt ait Eſaias eius nomine, *inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populum:* Parentem ergo vtrumque occidit, pulloſque infirmos, miſeros, timidos, ac morti effecit ſubiectos, *abſit ergo* ait Tertull. *vt Deus manuum ſuarum operam, ingenii ſui curam, adflatus ſui vaginam, Chriſti ſui ſororem in æternum deſtituat interitum:* fieri ne poſſet, vt Deus miſeros hos pullos, ſemper in terra repere, ac tot miſeriis opprimi ſineret, nec vnquam ad cœleſtia volandi concederet facultatem? minime vero, ait hic Doctor, illos enim arripit, in Eccleſiæ conſtituit nido, illis incubat, Euchariſticis alis eos protegit, ac demum carne & ſanguine ſuo paſcit, *caro ſalutis eſt cardo, caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur:* ſed quorſum ſub Sacramentalibus alis illos conſtituit, ac amice fouet & incubat? certe non in alium finem quam vt Diuinæ parentis naturam induant, ſubtilitatis dote ornentur, quo non iam terræ repentes mundialia ſola appetant, ſed ad ſupera dirigentes volatum, ſolis cœleſtibus afficiantur; quid dicam? vt hac dote corpora ditata, in finali reſurrectione ſepulchra penetrent, peruadant cœlos, & ad ipſum quoque Diuinum thronum efferantur: Quocirca idem Tertull. Nyſſen. & Cyrill. Alexand. plures in finali reſurrectione, ad vitam reuocandos, qui nuſquam communicauerint, hos tamen non penetraturos ſydera, nec ad ipſum beatæ Trinitatis conſeſſum auolaturos, ſed eos ſolos qui digne ſumpſerint hoc gloriæ ferculũ, duabus ſpei ac Sacramẽti alis erectos, hac dote ſubtilitatis ornatos, peruaſuros ſepulchra, penetraturos ſydera, & ad beatam volaturos immortalitatem; optime in hanc rem S. Petrus ſecundum lectionem Auguſtini, *exultabitis gaudio honorato, percipientes teſtamentum fidei, ſalutem animarum veſtrarum:* quid cogitatis eſſe Sacramentum altaris, niſi clauſum teſtamentum? ita illud nuncupat ipſe Seruator, *ſanguis noui teſtamenti*: & ratio eſt,

Eſaiæ cap. 10.

Tertull. vbi ſ.

Tertull. Nyſſen. Cyrillus Alexand.

tio eſt,

tio eſt, quia qui præ manibus habet teſtamentum clauſum in quo hęres inſtituitur, iam in hæreditatis poſſeſſione eſt: ita qui digne communicat, iam totam cœleſtem hæreditatem poſſidet tanquam in teſtamento obſerato, iam dote ſubtil tatis fruitur modo explicato, iam cœleſtis ac beatus effectus eſt.

Tertium eſt agilitatis donum, quod corpora noſtra habeat in cœlo: Auguſtinus affirmat ſanctos hac dote ornatos agiliores fore noſtris intellectibus, *qui motus illic talium corporum ſint futuri, temere definire non audeo, quod cogitare non valeo:* ita ille: etſi qui digne communicant intellectus agilitate non æquant, illam tamen in gradu ſummo recipiunt, cum agiliſſimi ac diligentiſſimi in virtutis ſtadio fiunt, ſæpe accidit naturam puero qui materna clauſus in aluo eſt, alicuius rei deſiderium infundere, quod illico puero, ſiue parenti communicat, vt illa ei ſatisfaciat, ſi neglexerit, ſæpius ortum anticipat puer, ac natus materna ſugere vbera abnuit, donec eius deſideriũ expleatur, ſemper macilentus, & infirmus eſt, nec vnquam perfectam ſoſpitatem recuperat niſi eius appetitui ſatisfiat. Primi parentes in paradyſo ac tota ſimul eorum progenies quemdam Diuinitatis appetitum habuerunt, ita Rupertus, *nempe hoc eodem flatu tumida dixit mulier, dixit inquam, quia putauit quod comedendo fieret ſimilis Altiſſimo*: ſed accidit quod huic appetitui non fuit ſatisfactum, vnde Iuſtitia originalis, quæ de nobis ac protoplaſto erat grauida, aborſum perpeſſa ſit, ac præpoſterum habuerit partum, extremum enim diem obiit inter partus dolores, ac Adam & Eua mammarum ſalutaris doctrinæ nauſeam paſſi ſunt, quas Eccleſia quæ vtrumque alendum ſuſceperat, erat porrectura, vt ait B. Petrus 1. cap. 2. *quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite:* quod ad litteram de Eccleſia ac eius doctrina eſt intelligendum, hæc ergo ſalutifera vbera homo ſugere recuſauit, quia patiebatur nauſeam, illi ex Diuinitatis appetitu ortam, vnde accidit

Auguſt.

Rup. lib 3. de Trinit. & operib. eius cap. 8.

1. Petri c. 2.

quod ita debilis ac infirmus eſſet, vt in virtutis ſtadio ne paſſum quidem poſſet addere, ſed vel leui occaſione oblata ingentem ruinam pateretur, & in grauia peccata rueret, ſcripturam conſule, & reperies in lege naturæ ac ſcripta, vix hominem duos annos ad Dei nutum viuere potuiſſe, quin ſtatim excuſſo iugo rueret in pecora, & ad vomitum rediret: quid ergo remedii, vt hæc homini tollatur nauſea, ac matris Eccleſiæ ſacra ſugens vbera, perditam recuperet ſoſpitatem? Chriſtus in Euchariſtico ferculo Diuinitatem illi & gloriam quam ambiuit impertitur, ac ſimul agilitatis dotem concedit, vt ablata nauſea, mammam parentis accipiat, vireſque ac plenam ſanitatem reſumat, vt agiliter ac diligenter virtutis poſſit ſtadium percurrere: hanc me conceptionem docuit Rupertus, cum ait, *ergo & nobis tam ſapienter quam miſericorditer idem in alia ſpecie remedium prouidit, quomodo ſapiens, quomodo ſapientia Dei, fecit enim nobis Sacramentum, per quod corpus eius in noſtra corpora, & vita corporis eius, id eſt, verbum Deus in noſtras animas infunderetur*: hoc reperit Diuina ſapientia remedium, vt ſanaret hominem, Euchariſticum enim ferculum conceſſit homini in quo Diuinitas & gloria continetur, vt allata nauſea, ac appetitu ſatiato, vires ſumeret & animos, agiliſque effectus diligenter virtutis ſtadium percurreret. Idipſum ſponſa in Canticis mihi videtur innuiſſe, cum ait, *ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*: Ambroſius de filio Dei intelligit, qui mirabiles in montibus & collibus ſaltus edidit, quibus ipſum Diuinum Patrem recreauit, *ludens in orbe terrarum, ſalit de cælo in Virginem ait Ambroſius, de vtero in præſepe, de præſepio in Iordanem, de Iordane in Crucem, de Cruce in tumulum, in cælum de tumulo*: quis non miretur hos ſaltus noſtri Seruatoris, ſed quis non ſumme ſtupeat quod ex primo in Virginem ſaltu, illi tantam fuerit impertitus agilitatem, vt in corpore & anima in cœlum vſque ſaltarit? vix ſaltum egit in tumulum, cum terram adeo agilem reddidit, vt licet ſuis ſit librata

Rup. lib. 2. de Sapient. cap. 20.

Cant. c. 2. Ambroſi. Serm. in Pſal. 6. in Pſal. 118.

Digitized by Google

brata ponderibus, mota tamen ſit præ gaudio, quod ſuum reciperet conditorem: quocumque ergo Seruator egerit ſaltum, eò agilitatem introducit, idque præſertim cum in Euchariſtico exiſtens ferculo, communicantis ſtomachum ingreditur, illum enim in virtutis exercitio agilem reddit ac diligentem, ſed in eo gradu, vt aliquid de beatorum corporum videatur agilitate habere: volo id Beatus Anſelmus dicat, *ecce enim iſte venit, id eſt, iſte qui ita commouet venit in naturam humanam, ſaliens in montibus, ideſt, pedes ponens, & habitans in perfectis, & etiam eos ſalire facit, ſicut Paulum*: duos ſaltus edidit in humanam naturam, primum in Incarnatione, alterum in communione, ſalit enim in iuſtos cum digne ſuſcipitur, eoſque ita reddit agiles, vt perniciſſime in virtutis itinere gradiatur, vide exemplum in Paulo: in quem vbi Seruator ſaliit, ſtatim eum à ſtatu perſecutoris Ieſu, in Ieſu prædicatoris conditionem fecit ſalire, vt ſciant omnes in hoc gloriæ ferculo diuinitatem quam homo appetierit, concludi, quæ dum guſtatur, virtutis tollit nauſeam, animumque impinguat, quo celeriter viam poſſit mandatorum Dei percurrere. Anſelm. in c. 2. Cant.

Claritas eſt poſtrema dos corporum beatorum: quam diabolus diſcipulo proditori concedi timuit; ideo enim ita præceps fuit in eo adigendo, vt ſceleratum aduerſus Deum ſuum propoſitum impleret, quod vix ſpecierum Sacramentalium conſumptionem expectarit, quin illum auocarit ex cœnaculo, ſciebat nequam ille ſpiritus panem hunc ſacroſanctum intellectus illuſtrare, animæque vt ſuum agnoſcat ſtatum, aperire obtutus: timuit ergo ne vel ſcintillam vnam in cor Iudæ emitteret, qua Diuinum radium incendente, ſui propoſiti agnoſceret turpitudinem, & quam meditatus fuerat proditionem non impleret, ideo ita præceps fuit in ſuadendo, vt illã mandaret executioni, ita ſentit Cyrill. cum ait, *ne ſcintilla aliqua in animo eius aſcenderet, ac inde illuminaret, & ad meliora retraheret, magna præcipitem agit celeritate*: Dauid idem Cyrill. lib. 9. in Ioan. cap. 19.

Pſal.33. innuit aſſerens, *guſtate & videte*: primo gloriæ ferculum gu-
Auguſt.in ſtandum, vt animus poſſit illuſtrari, vnde Auguſt. *ſi ignoras,*
Pſal.33. *guſta & vide quam ſuauis eſt Dominus, ſi autem non intelligis Rex es Achis*: qui guſtat de hoc Angelorum pane cœleſtem recipit claritatem, qui vero cœcus manet, Rex Achis eſt, qui errorem & ignorantiam ſignificat, nec mirum animum nuſquam ad hoc ſacratum epulum accedentem, in errorum ac ignorantiæ tenebris deliteſcere: ſed ſi idem contingeret communicanti digne, omni ſane admiratione maius eſſet, neque enim fieri poteſt vt qui ferculum gloriæ rite ſumpſerit, eiuſdem gloriæ non ſuſcipiat dotes, quarum vna eſt claritas, quæ animum ſuo ſplendore irradiat, *ſi ignoras, guſta, & vide*, qui volet, eius faciat experimentum; S. Apoſtolus hanc me veri-
Hebr.c.10. tatem ſub eleganti tropo edocet, cum ait: *initiauit nobis viam*
Anſelmus *nouam & viuentem, per velamen id eſt, carnem ſuam*: Anſelmus &
S.Thom. S. Thomas id intelligunt de Auguſtiſſimo Sacramento: quaſi diceret Paulus: Chriſtus primus fuit qui cœlorum viam per Sacramentum carnis ſuæ aperuit, ante enim eius inſtitutionem nemo cœlorum atria poterat penetrare, ruebant omnes ad lymbum, quia necdum paradyſi via ſciebatur, initiare, non ſignificat ſimpliciter viam alicui oſtendere, ſed eamdem ipſam inire, ac alteri eſſe in ducem: ita Chriſtus cœli iter hoc Sacramentum initiauit, etſi enim in quantum Deus vnico paſſu cœlos potuiſſet attingere, tamen in quantum homo illud ipſe inire voluit, cum carnem ſuam ſpeciebus Sacramentalibus obductam ſumpſit, (quod alias probaui) ita Anſelm. *per carnem ſuam initiauit nobis viam, quia carne velatus tranſiit primo per eam*: quapropter eam vocat Apoſtolus, viam nouam, noua enim eſt ſpectato à prima orbis conditione vſque ad eius inſtitutionem tempore, noua eſt, quia nemo ante Chriſtum eam pertranſiit, ſed ipſe prior omnium iniuit, quod ſi à primis mundi Incunabulis patuiſſet, tot homines cœlum per illam adiuiſſent, vt eius ampliare limites fuiſſet omnino neceſſa-

ceſſarium. Codex Iuſtiniani permittit, ſi via publica aliqua alluuione tolleretur, viam inire in viciniori tritico: in veteri lege ſola regia in cœlum via, erant Taurorum & hircorum victimæ, ſed vbi legis gratiæ aduenit alluuio, viam illam euertit ac peſſumdedit; liceat ergo iam omnibus per Euchariſticum triticum viam arripere, quia ſecurior, ac longe facilior eſt præcedenti, poſtquam præſertim eam Seruator noſter prior iniuit: vt ait Apoſtolus *initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam.*

PARS ALTERA.

Quiddam elegans in præſentem materiam dicit Zacharias, *& ego ero ei ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius:* quis eſt obſecro ille cui tantum priuilegium Dominus pollicetur? quis tantæ fælicitatis particeps eſſe poſſit, vt Deum habeat ſe pro muro igneo vallantem, quis ita beatus, vt glorioſum Dominum poſſideat in medio ſui? pulchre reſpondet Rupert. *quia videlicet non ſicut homo localis & terrenus, in medio hominum localium & terrenorum, ſed ſicut Deus creator ſpirituum in medio erit Angelorum & hominum: in templis cordium, in domibus quæ ipſa corpora ſanctorum, & animarum præcordia ſunt:* corda ergo, corpora, & animæ iuſtorum, Deum poſſident, illa ſunt quorum in medio eſt eius gloria, illa ſunt quæ tanta dignantur fœlicitate: ſed id quando, & quomodo, quando Dei gloria vel qua ratione cordis poteſt occupare medium; *& in gloria ero in medio eius?* hoc in vita præſenti non alias poteſt contingere, quam in actuali auguſtiſſimi Sacramenti ſuſceptione, ferculum enim gloriæ eſt, quod omnem cœleſtium claudit beatitudinem, cumque recipitur, quam includit gloriam toti communicat homini, vt ſecundum corpus & animam, modo explicato, illum reddat glorioſum: *in domibus quæ ipſa corpora ſanctorum, & animarum præcordia ſunt:* ſed

Zach. c. 2.

Rupert. lib. 1. in Zach.

ſed aliter habent origines, *& ero iecur eius:* adeo vt idem verbum gloriam & iecur ſignificet, grande & inauditum myſterium, quod qui digne communicat, iecur habeat glorioſum, docet Hippocrates corporum temperamenta & qualitates à iecore præſertim dependere, qui illud habet frigidum, frigidus quoque ſit ipſe neceſſe eſt, qui calidum, pronus in Venerem, qui ergo iecur habuerit glorioſum, iiſdem complexionibus quibus Beati, polleat oportet: ſed quæ indoles, quæ naturalis beatorum diſpoſitio eſſe poteſt? reſpondet & dicit Eſaias talem eſſe, vt ſemper cum reuerentia ſumma Diuinæ aſſiſtant maieſtati, ac externo opere internum animi ſenſum prodant, nec vnquam ab eius laudibus & gratiarum actione ceſſent: vidit enim duo Seraphim Propheta: *qui duabus alis velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercitu- um, plena eſt omnis terra gloria eius*: debet ergo qui digne communicat, hos beatos Spiritus imitari, hoc eſt debet pro beneficio accepto, illum adorare & venerari, humileſque grates referre, eodem penitus modo, quo illi qui iam beati ſunt, ac in hoc Sacramento quatuor corporum beatorum dotes ſuſcipiunt; eo quo explicui modo. Ac primum magna veneratio requiritur ac eadem cum illa quam Seraphici Spiritus apud Prophetam exhibebant, de quibus ita loquitur Chryſoſtom. *O miraculum, menſa tam magnifice inſtructa, in qua agnus Dei pro te mactatur, ad quam aſſiſtunt Cherubim, deſcendunt Seraphim, qui ſenis præditi alis vultus demittunt:* hæc eſt veneratio quam beati Spiritus exhibent huic gloriæ ferculo, quæ tanta eſt, vt ſuos in illud attollere non audeant obtutus, ſed ſuis alis vultum obducant, quo ſummam humilius venerentur Maieſtatem: idem cuilibet fideli agendum, cum enim illius medio iam ſimus in terra beati, ad illud nobis cum beatorum veneratione accedendum, videlicet capite modeſte inclinato, demiſſis oculis, corporis neglecto cultu, omni ſuppreſſa vanitate, nec ſolum

Eſaiæ ca. 6.

Chryſoſt. hom. de Sacra & Diuina menſa.

Digitized by Google

ſolum interius, ſed & in toto exteriori habitu nos tanta gratia profiteamur indignos, hæc eſt veneratio beatorum æqualis quam ſacrato huic ferculo nos deferre par eſt; ſed heu quot illi approximant ſicut canes, immodeſti, inuerecundi, indeuoti, tremendæ illi menſæ aſſiſtunt, ad cuius aſpectum ſeraphici Spiritus alis faciem obducunt: procul hinc procul eſte prophani, non admittit niſi Cherubim & Seraphim hæc menſa, qui debitam deferre norunt venerationem: Pulchre in illos inuehitur Athan *occiſa eſt hæc hoſtia propter te, & tu deſeris illam, ipſam immolatam aſpiciens, vbi cadauer inquit, ibi & aquilæ, ſed vt canes accedimus, tanta noſtra eſt impudentia*: hæc ille. Athan. orat in paraſc.

Alterum debitæ venerationis cultum quem ſummo numini, Prophetici Seraphim exhibebant, fuit laus & gratiarum actio continua: quod & nobis præſtandum eſt, neque enim ſufficit æquales pendere gratias iis quas pro aliis beneficiis abs Deo acceptis rependimus, ſed in morem beatorum hoc eſt, nuſquam ceſſandum ab eius laude, & actione gratiarum, ſed omnia illum in finem Deo offerenda, corda, corpora, & animæ, cogitationes, locutiones, ac totius vitæ opera, nec vnquam ab hoc exercitio ceſſandum: quemadmodum Seraphim Eſaiæ, optime Rupertus: *quid enim eſt quod totidem alis faciem, quot & pedes velabant, totidemque volabant, niſi pari intentione, tam Diuinitatem quam humanitatem Chriſti, & pro tempore ſiue loco annuntiabant*: Si n. qꝰ in eo recipitur ſpectauerimus, reperiemus omnino, beatorum in morem, decantandas laudes, & gratias rependendas, qui minus laudat, non laudat ſatis, qui minus refert gratiarum, indignus eſt tanto bono; Rupertus ſubtilem mouet quæſtionem, cur ante huius inſtitutionem Sacramenti, non meminit expreſſe ſcriptura, quod vllus gratias Deo reddiderit, niſi Seruator poſt communionem: tum reſpondet: *iſte ſeruus Domini primus eſt, qui Deo gratias egit, ante quem haud facile inuenies, ſiue in lege, ſiue in prophetis, de quo manifeſtum ſcriptum ſit, quod Deo gratias egerit, nondum* Rup lib. 1. in Eſaiam cap 28. Rup lib. 8. de glorific. Trinit. cap. 10.

R *quippe*

quippe impleta fuerant beneficia Dei, quorum hoc ſummum eſt: Patres veteris teſtamenti cætera beneficia huic collata parui faciebant, cæteris enim & nobilitate & exhibitione amoris antecellit, ideo poſt eius inſtitutionem voluit Chriſtus prior gratias agere Patri, vt nobis earũ rependendarum formam daret, ac doceret eos qui digne vellent illas agere, in modum ipſius Dei ſi eſſet poſſibile, eſſe agendas, non ſufficeret ſicut Beati id præſtare, ſi humana tenuitas pateretur, ſed eodem modo quo ipſe Deus, quo vnigenitus Patris: Iam ergo beneficii tanti pondus attende, ac incipe laudes & gratiarum actiones Deo reddere, quas nullo vſquam termino claudas, caue ne incurras ingrati animi vitium, quia nihil ſceleſtius communicanti, quam exhibitum non agnoſcere beneficium: ſed age dic cum Auguſtino, *ſicut ergo nulla eſt hora vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non vtar, ſic nullum debet eſſe momentum, quo te non habeam ante oculos meos, in mea memoria, & te non diligam, ex omni fortitudine mea:* ſic tibi faciendum, ſi glorioſi huius ferculi, effectum cupias obtinere.

Aug. ca. 18. medit.

FERCVLVM PVRITATIS.

Diſcurſus Octauus.

INtemeratæ Dei-parentis Sanctimonia ad illud peruenit extremum, vt Incarnati Verbi inhærens veſtigiis, aliquam cum eius perfectione præſe tulerit ſimilitudinem: quod facillime concedatur ſi illud quod libri tertii Regum cap. 18. continetur in memoriam reuocauero: cum enim magna animi anxietas atque ſollicitudo Eliam premeret, num nubecula parua aſcenderet ex mari, famulum miſit diligenter inſpecturum quid fieret, qui reuerſus dixit, *ecce nubecula quaſi veſtigium hominis:* ſed quæ reſponſio, quis vnquam nubem ſimilitudinem

lib. 3. Regum ca. 18.

nem

nem hominis referentem animaduertit? Ioannes Patriarcha Hieroſolymitanus reſpondet, *ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis, aſcendit in Carmelum, quia Maria in hoc ſuo ſpirituali aſcenſu, non fœminam quam imitaretur, ſed hominem Diuinum habuit exemplum:* Volauit Maria ſupra omnem ſui ſexus gloriam, etiam ſummam creaturarum omnium ſanctimoniam exiguam reperit quam imitaretur, ad ipſius ſummi omnium conditoris perfectionem ſanctiſſimus eius animus debuit aſpirare, non aliud intuita eſt ſpeculum, ad cuius ſuos mores normam componeret niſi filium ſuum, & quia ad id peruenit ſanctimoniæ extremum, quo purarum omniũ creaturarum virtutibus præcelleret, idcirco famulus illam non vidit cuiuslibet formam referentem, ſed hominis tantum, eiuſque qui filius ſit Dei, ita ſimilem Diuinæ exprimebat ſanctitatem. Illud ipſum non obſcure innuit Sancta illa vetula Eliſabeth, quæ viſa Matre Dei apud Lucam, *exclamauit voce magna & dixit, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui:* vbi ſanctiſſimam Verbi Diuini Parentem intuita eſt, cœleſti quoque reuelatione, ſanctimoniæ eius magnitudinem agnouit, quæ illam ita extra ſe præ nimio admirantis animi affectu poſuit, vt vicinam illam ac ſimilimam vnigeniti ſui fuerit profeſſa: quod ſatis præſtitit, cum poſt illa verba *benedicta tu inter mulieres*, ſtatim ſubiunxit, *& benedictus fructus ventris tui*: quaſi dixiſſet, tua perfectio, tua ſanctimonia adeo condita omnia præcellit, vt Virginum omnium virtutes longe ſit ſupergreſſa, & ſi alicui poſſit conferri, vnicam filii tui gratiam reperio, quam etſi non æques, vicinis tamen adeo cum illa paſſibus incedas, vt ei omnino ſimilis videare: hanc mihi ſuggeſſit mentem Chryſoſt. cum ait, *merito is quoque qui eſt natus, talia præbuit matri priuilegia, quæ etiam habuit ſolus, ea illi quoque ſoli dedit: non habuit ipſe fratrem ad generationem, neque dedit Matri ſororem miraculi*, ſed velim peculiariter aduertas quod dixit: *quæ enim habuit ſolus, ea quoque illi ſoli dedit:* ex quibus conſtat

Ioannes Patriarc. Hierol. de init. monach. c. 33

Luc. cap. 1.

Chryſoſt. hom. de Nat. Ioan. apud Metaphr.

quam vicina ac ſimilis filio Mater extiterit, *cui ſoli, quæ ſolus habuit ipſe, dedit:* vt nulla ſit creata aut Increata perſona illi adeo ſimilis, quod enim ſolus habet filius neque Patri communicat, neque Spiritui ſancto, ſed ſoli Matri, quæ nata eſt, vt ipſe, Diuinam produxit perſonam, vt ipſe, ac tanta gratiarum omnium copia redundauit, vt ſicut ex filio totus mundus hauſit redemtionem, ita ex parente hauriat qui volet miſericordiam & veniam. Quæ cum ita ſint, quid aliud mihi in votis eſſe poteſt, quam ad perfectam hanc filii ſui imaginem accedere, & aliquid de tanta plenitudine gratiarum rogare: Id lubens facio ô vaſtum cœleſtium chariſmatum mare, quod ſolis æterni ita formam exprimit vt ei non al ſimile videare: impetra obſecro gratiam quam requiro, & quam nemini recuſas infundere, mihi quoque ne deneges pie dicendi facultatem.

Cogitanti mihi cur filius Dei ſeſe ſub Euchariſticis ſpeciebus comedendum præbeat fidelibus, pro ratione illico occurrit id eſſe vt ſacrum Eccleſiæ alueare, ſanctarum atque cœleſtium animarum produceret examina. H c me docuit eleganter Moyſes cum ait, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* ſeptuaginta duo Interpretes legunt, *Spiritus Domini incubabat ſuper aquas*, eodem modo quo Aquila, quæ cupiens habere pullos, primum oua format, quibus incubat, eaque fouet diligentia vt pullos parturiant; ita Diuinus Spiritus, cœleſtes ſphæras volens ex aquis educere quaſi ex materia quam in illum finem ſapientia Dei præſtituerat, illis incubauit, ac tanta fouit poteſtate, vt ingentes illos cœlorum globos fuerint enixæ: Quod contemplatus B. ſilius latens in hoc opere retegit myſterium cum ait, *quam reuerenda eſt hora iſta dilectiſſimi, cum Spiritus viuus & ſanctus, è ſupernis cælorum ſedibus deſcendit, atque incubat, manetque ſuper hanc Euchariſtiam propoſitam:* quaſi diceret eodem modo quo Spiritus Dei aquis in prima earum conditione incubabat vt ſphæras cœleſtes parturi-

Gen. cap. 1.

Baſil. in miſſa.

turirent; ita idem Diuinus ſpiritus, auguſtiſſimo Euchariſtiæ incubat Sacramento, vt illud Eccleſia in membris ſuis recipiens, non ſphæras producat, ſed homines cœleſtes: inde accidit in primitiua Eccleſiæ ſacrarium in quod conſecrata hoſtia condebatur, in columbæ formam aptari ſolitum, vt qui illud intueretur, Oceanum intelligeret, cui Spiritus Dei ad formandas inde cœleſtes animas, incubaret: Idcirco in Exodo, vbi cœleſtis manna in Hebræorum caſtra deſcribitur deſcenſus, origines habent, *manna fuit cubatio:* manna hoc, Euchariſtiæ figuram præferebat igitur vt agnoſcant omnes eam eſſe quæ Eccleſiæ ſanctorum facit parturire examina, dicitur, *manna fuit cubatio*: ſicut olim Spiritus Dei aquis incubauit, vt cœlos producerent: Quod S. Drogo Epiſc. Hoſtienſis ſubtiliter animaduertit, cum inquirit rationem cur ſacer textus de Lia vxore Iacob ſermonem inſtituens, dicat eam parere deſiiſſe, quod neutiquam de formoſa Rachele affirmat? poſt, ſibi ita reſpondet: *Rachel iuxta Bethlehem ſubter ſilicem Crucis ſuperpoſita eſt, nimirum ſedet ad pedes Ieſu, vt de domo panis ſemper fœcunda pariat*: ſcis ait ille cur Rachel quæ typus fuit Eccleſiæ non dicatur parere deſiiſſe, & tamen id de Lia affirmetur quæ ſignificat ſynagogam? id fuit quia Eccleſia panem poſſidet Euchariſticum, quo fœcunda efficitur in ſempiternum.

Exod. c. 16.

Drogo lib. de ſacram. Domini. paſſionis.

Chriſtus apud Ioannem eiuſdem eſt veritatis aſſertor, cum ait, *ſicut miſit me viuens Pater & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me:* quod explico hoc modo cum Doctore graui qui ſcribit in hunc locum, Pater in Diuinis prima perſona eſt ſanctiſſima Trinitatis, ſed adeo fœcunda, vt filium generet & producat, qui eius character eſt, & imago: hinc igitur Seruator noſter rationem elicit inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ, cum ait, *ſicut miſit me viuens Pater*; hoc eſt, quemadmodum Pater æternus producit ac generat filium, eiuſque principium vnicum eſt & totale, quia

Ioan. ca. 6.

genuina eſt Pat is imago: ita filius Dei in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini comeſtus, principium eſt quod generat & producit Sanctos, qui Diuinam in ſe ſine macula conſeruant imaginem; quod paucis verbis S. Paſchaſius aſſerit: *hæc ſunt vitæ ſemina, quibus Virgines generantur*: quo rationem reddit inſtitutionis Euchariſtiæ, quæ eſt, vt quemadmodum propter Patrem generatur imago Patris, qui filius eius eſt, ita propter filium Eccleſia producat Virgines & ſanctos, qui Dei imagines ſunt per naturam, & gratiam, & aliquando futuri ſunt per gloriam: Idipſum oratione eleganti proſequitur Arelatenſis Cæſarius cum examinat rationem cur in Euchariſtico calice aqua vino admiſceatur, quam vt afferat, meminit illius miraculi quo Chriſtus aquam nuptialem in vinum commutauit; ait ergo hunc vini defectum, ſignificaſſe defectum fidei aliquando in Iſraël futurum, qui debebat efficere vt loco maturæ vuæ quam ſuo Meſſiæ offerre debuiſſet, ſolam acerbam, ſpinaſque ac tribulos obiiceret, quod ſcelerata gens præſtitit, cum vino myrrhato potauit in Cruce, ac ſenticoſa corona Diuinum caput terebrauit: *expectauit Dominus vt faceret vuas, fecit autem ſpinas, vnde ſertum ſpineum capiti redemtoris impoſuit*: ait ille, ſed quid ſibi voluit Seruator, cum vino fidei in Iſrahel deficiente, aquam in vinum conuertit? reſpondet immediate poſt Cæſarius; *quando Dominus nuptiali tempore aquas in vina conuertit, manifeſte præfigurans multitudinem gentium de ſanguinis ſui gratia eſſe venturam*: id ergo fuit, vt gentes quæ aquæ erant fœtidiſſimæ in purum veræ fidei vinum fore conuertendas indicaret, & quod Diuinum eſt, per gratiam & virtutem pretioſiſſimi ſanguinis ſui, in Chriſto Ieſu regenerandas, *præfigurans multitudinem gentium de ſanguinis ſui gratia eſſe venturam*: eam vim ſanguis habet Euchariſticus, ea pollet Chriſti caro in Sacramento ſumpta facultate, vt qui eam digne ſuſcipiunt, ſancti fiant, ac Chriſti imagines per gratiam & virtutem.

Paſchaſ. li. de corp. & ſang. Domini c. 22.

Cæſarius Arelat. hom. 7.

Plinius

Plinius dum proprietates tritici quod ſeruire debet in ſemen, diſquirit, ait, *quod in ima area ſubſedit, ad ſemen reſeruandum eſt, id enim optimum quoniam grauiſſimum, neque alio modo vtilius diſcernitur*. quod filius Dei perfectiſſime adimpleuit, voluit ſe in Inſtitutione venerabilis Sacramenti, dare pro ſemine, ſed antequam id faceret, ſui ponderis tentare voluit quantitatem, diſponit ergo ſe ad diſcipulorum lauandos pedes, ac ad omnium etiam infœliciſſimi proditoris ſeſe veſtigia deprimit, ô triticũ Diuinum, ô vere ponderis infiniti, iam iam pro ſemine aptiſſimum es, audacter Euchariſticæ te condementiæ, vix enim in fidelium animas quaſi terras excipiere, cum ſolos produces ſanctos, ſolos Angelos generabis. Pulchre in hanc rem ait S. Methodius *Excipit autem illud ipſum ſemen & format Eccleſia, ad generandam virtutem & alendam, non enim poteſt aliter Eccleſia concipere credentes, & regenerare per lauacrum, niſi & Chriſtus propter eos ſe exinaniens, vt capi poſſit ſecundum paſſionis commemorationem, iterum moriatur è cœlo deſcendens:* vbi moritur hoc frumenti granum: vbinam gentium paſſionis commemoratio niſi in Euchariſtia reperitur? mortuum ergo myſtice in Sacramento hoc frumentum aptiſſimum eſt vt homines ferat cœleſtes in Eccleſiæ campo: idem ait Ioan. *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert:* ad litteram de morte Chriſti in paſſione intelligitur; ſed iam ſequendus mihi eſt S. Methodius, qui ait granum hoc pretioſum frumenti in Eccleſiæ aut digne communicantis animæ campum decidens, ac in illo myſtice mortuum per paſſionis & mortis eius memoriam quæ fit in Euchariſtia, tunc fructus vberes germinare Deo, tunc homines ſanctos producere & Angelicos: Clemens Alexandrinus pulchre in hoc ait inſtitutum: *corpus Chriſti nouum cœtum verbo nutrit, quem ipſe Dominus carnali labore peperit, quem ipſe faſciis illigauit Dominus pretioſo ſanguine O partum ſanctum?* ſed in qua terra cœleſte hoc granum eiuſmodi

Plin lib. 18. cap. 24.

S. Methodius in conuiuio decem Virgin.

Ioan. ca. 12.

Clemens Alexan. lib. 1. pædag. cap. 6.

modi fructus edere cogitatis? forſitan in terra inuia & inaquoſa ſolis obſita veprihus, ſolis ſentibus onerata? minime ſane, terras appetit, ſed pingues ſed cœleſti gratiæ ac puritatis imbre irriguas, puritatis ferculum eſt quod non niſi in puris cordib. valet commorari. Videamus itaque primum quam purum ſolum requirat hoc granum frumenti, vt tandem non omnibus eſſe tutum illud ſæpius excipere poſſit oſtendi.

PARS PRIOR.

Quid non pati debuit in deſerto populus Iſrahel priuſquam manna paſceretur? num prius domorum valuæ paſchalis agni cruore debuerunt purpurari? num tota populorum vniuerſitas, maris rubri aquis debuit lauari? ita me docet Apoſtolus, *omnes in mari baptizati ſunt:* adeo vt, quo manna veſci poſſent, & agni ſanguine tingi, & rubris maris aquis debuerint ablui: Ita & accidit fideli populo, vt enim digne Euchariſticum ſumere manna poſſet, prius ſacrato Chriſti ſanguine debuit intingi, & non maris rubri aquis, ſed toto eiuſdem Chriſti cruoris Oceano lauari. Quam pulchre in hanc rem ait Rupertus: *qua hora patefacto lancea militis Chriſti latere, ſanguis & aqua prorupit: ibi pariter totam Eccleſiam quæ iam erat vel ab initio mundi fuerat, lauit Chriſtus à peccatis eius in ſanguine ſuo, vt exhiberet ſibi ſponſam glorioſam, non habentem maculam aut rugam;* vt venuſta fieret Eccleſia, quæ tota ſordida erat, debuit maris rubri ſanguinis filii Dei ſubire lauacrum, Apoſtolus idem ait: *paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur:* prius mortis Agni mentionem facit, prius vaſti Oceani ſanguinis Chriſti effuſi in Cruce meminit, prius dolorum atque immanitum fluctus & tempeſtatis, quæ agnum abſorbſerunt & quibus fideles omnes abluti ſunt, proponit, tum nos ad Euchariſticam menſam inuitat, *itaque epulemur* quaſi deduceret conſequentiam, iam in agni ſanguine lauti eſtis, *ergo epulemur,*

Rup. lib. 6. de Diuin. Offic. c. 35.

1. Cor. ca. 5.

mur, euidentius illam deducit Anſelmus, cum ait, *epulemur* Anſelmus.
ergo, id eſt, epulis corporis & ſanguinis eius reficiamur: quandoquidem ſtolæ veſtræ in cruore agni tinctæ ſunt, tempus eſt cõmedendi manna, iam non eſt Euchariſtici agni eſus vltra differendus: S. Ioannes inter cæteras quas in Inſula Pathmos Apoc.ca.7.
reuelationes habuit, aſſerit ſe ingentem hominum multitudinem aſpexiſſe qui in huius ſanguinis rubro mari lauti fuerant, quo factum eſt vt Diuinæ Maieſtatis throno aſtiterint, *ideo ſunt ante thronum Dei:* verum qualis hic eſſe thronus poteſt, ad quem priuſquam accedat aliquis, ſanguinis patiatur lauacrum neceſſe eſt? Non ignoro Andream Cretenſem gloriæ Andreas Cretenſ.
atque beatitudinis thronum intelligere, ad quem priuſquam ſancti perueniant, diuerſos perpeti tribulationum aculeos, & in Agni ſanguine ablui debent in Baptiſmo: ſed magis arridet Petri Cellenſis interpretatio, qui auguſtiſſimum Euchariſtiæ Petrus Cel.
Sacramentum Dei eſſe thronum dicit, *tranſeundum igitur ma-* lib. de pa-
re rubrum, vt comedas panem mundum, hoc enim oſtenſum eſt in A- nibus c. 15.
pocalypſi ab Angelo Ioanni, cum dicit hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, ideo ſunt ante thronum Dei: hæc ille: quaſi diceret, hi ſolum digni ſunt & capaces qui ad menſam Euchariſticam accedant, quæ thronus eſt auguſtiſſimus, vbi humanitas filii Dei realiter exiſtens, ab Seraphinis & Cherubinis adoratur, teſte Chryſoſtomo: hi ergo ſoli huic poſſunt adſtare throno, qui ſanguinis veri agni hoc eſt, Seruatoris noſtri lauacrum ſubiere. Idcirco peringenioſe quæſtionem mouet Theophi- Theophil. Alexand.
lus Alexandrinus, cur licitum ſit homini Euchariſtico throno Epiſt. 2.
adſtare, ac myſticæ aſſidere menſæ, non vero dæmoni, tum Paſch.
reſpondet eius eſſe cauſam, quia Chriſtus non pro cacodæmonibus ſed pro hominibus crucifixus eſt, non ſunt immundi illi Spiritus in mari rubro ſanguinis filii Dei abluti, ideo ſacratiſſima hæc menſa illis prohibeatur, quaſi non habentibus ſtolam candidam, in agni cruore dealbatam; ſed fideles qui

S pur-

Digitized by Google

purpureum hunc Oceanum ſemel in communione Eccleſiæ traiecere, ac toties in eo abluuntur quoties per bonorum operum exercitium ſibi quilibet in peculiari merita ſanguinis Chriſti applicat, accedant audacter ad hunc thronum, Diuinæ huic menſæ appropinquent, non eſt quod timeant repulſam: *ſi enim pro dæmonibus crucifixus eſt, quod erit priuilegium atque ratio, vt ſoli homines, corpori eius ſanguinique communicent, & non dæmones quoque, pro quibus in paſſione ſanguinem fuderit? ſed neque Dæmones audient, accipite & edite:* hæc Theophilus.

O ſummam munditiem, ô inenarrabilem puritatem, quam Euchariſticum à nobis exigit ferculum, quandoquidem vt ad illud digne poſſemus accedere, neceſſarium fuit vniuerſo Oceano Chriſti ſanguine purpurato quo ablueremur, S. Paſchaſius elegantem reddit rationem cur aqua & vinum in calice miſceantur, aſſeritque eamdem eſſe propter quam ſanguis & aqua ex Chriſti latere profluxere; Aqua ſignificat Eccleſiam quæ populos omnes complectitur, *aquæ multæ, populi multi:* ait ergo vt fideles omnes participare poſſent, & vniri ſanguini filii Dei qui eſt in calice, neceſſarium fuiſſe vt prius ex aperto eius latere ipſi prodirent vna cum ſanguine, quod factum eſt, cum exiuit ſanguis & aqua, tunc enim in eo ſanguine abluti ſunt cum ipſa aqua, quæ ex latere fluxit ſanguini immixta eſt, vnde factum eſt, vt capaces ſint effecti effundi in calicem ſimul cum ſanguine, neque enim Diuino huic cruori vniri potuiſſent, niſi prius in Chriſti latere eiuſdem ſubiiſſent lauacrum, & vt vno verbo omnia dicam, nuſquam fuiſſent Chriſto per Euchariſticam ſumptionem copulati, niſi prius in eius ſanguine lauti, ſed præſtat audire Paſchaſium: *& ideo recte prouiſum eſt, quia aqua ſimul cum ſanguine fluxit, vt hoc in myſterio admiſceatur: quatenus & nos in illo ſimus, vt per hoc ſalutis Sacramentum Diuinis obtutibus illico vniti myſtice offeramur: nam ſi vinum ſine aqua offerretur, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Quis non videat quanta debeat eſſe mundities, quam ſacratiſſimum hoc epulum requirit, quan-

Paſchaſ. lib. de corp. & ſang. Dom. c. 11.

quandoquidem toto ſanguinis Chriſti pelago debuimus ablui, vt digne ad illud accederemus, qui in Salomonico templo ſacrificia erant oblaturi, quot lotiones & lauacra non debuerunt ſubire? mare æneum in latere atrii conſtitutum, in quo ſeſe debebant abluere, quam id verum ſit, ſatis prodit, nos igitur Iure potiori cum æterno Patri ſacrificium corporis filii ſui paramus offerre, aut ſub Euchariſticis ſpeciebus ſumere, quam æquum eſt ſubire lauacra vt ſordes omnes abluantur: mari indiget, toto indiget Oceano qui velit hoc digne puritatis ferculum ſumere; *lauamini, mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini*; ait quidam, qui cupit vas eſſe honoris in quod vnigeniti Dei ſanguis & caro recondantur, animæ ſuæ ſordes abluat neceſſe eſt. Tertullianus ſubtiliter inquirit, cur Chriſtus de patefacto lancea militis latere ſanguinem cum aqua effudit, tum reſpondet: *quia qui ſanguinem crederent, aqua lauarentur, qui aqua ſe lauiſſent, etiam ſanguinem potarent*: quem Chriſtus effudit ſanguinem, fidelibus ipſe bibendum propinauit, ſed ſimul effudit & aquam, vt ante potum ſanguinis, prius aquæ ſubirent lauacrum, quo digne illum poſſent ebibere. Tertull li. de Baptiſ. cap. 16.

S. Lucas hiſtoriam referens qua Chriſtus cum Diſcipulis comedit paſcha, vt illi neceſſaria omnia ad agni eſum pararetur ait Chriſtus, *ecce introeuntibus Ciuitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, ſequimini eum*: ſed quid obſecro myſterii continet, q; vt cognoſcatur locus in quo filius Dei cœnam vltimam eſt celebraturus, atque in ea corpus & ſanguinem ſub Euchariſticis ſpeciebus daturus dicat ſequendum eſſe hominem, qui ferat aquæ lagenam? Venerabilis Beda rem aperit paucis his verbis, *parent Paſcha, vbi amphora infertur aquæ*: vbi habetur aqua, Paſcha celebrandum, vbi lotus eſt animus non ſolum genitali ſacri baptiſmi vnda, ſed etiam pœnitentiæ ablutus profluuio, Chriſtum facile ſub ſpeciebus Sacramenti poſſidebit, denique qui hoc munditiei ferculum digno velit ore guſtare, ſordes lauet neceſſe eſt. Luc. ca 22. Beda.

Chryſologus Serm. 5. de Epiph. Chryſologus quærit cur volens Seruator quinque hominum millia ſe ſequentium ſatiare, nullam aſſumpſerit materiam quam in panem conuerteret, ſed continuo cremento ita quinque panes auxerit, vt ad multitudinem hanc explendam ſufficerent; & tamen deficiente vino in nuptiis, nouum non creauit, ſed aquam in hydriis poſtulatã in vinum puriſſimum conuerterit, num æqualis in vtroque fuit illi potentia, vt ſicut multiplicationem præſtitit in vno, eamdem quoque in altero præſtaret? omnino: quorſum igitur id non egit? reſpondet Chryſologus: *qui panes quinque fragmento profluo, & furtiuo incremento ad quinque hominum millia tetendit, & dilatauit ſaginam, potuit augmentis creſcentibus ad nuptiarum feſta, vini ampliare & perpetuare menſuras, ſed aqua in ſanguinis erat conuertenda myſterium, vt mera pocula de vaſe corporis ſui Chriſtus bibentibus propinaret:* ratio igitur eſt quia vinum Euchariſtici ſanguinis gerebat figuram, vt ergo Seruator oſtenderet hydrias ſeu animas quæ illud eſſent ſuſcepturæ, prius debere ablui, iubet in hydrias aquam infundi, nullus enim animus digne poteſt auguſtiſſimum ſanguinis Chriſti muſtum excipere, niſi prius admoto pœnitentiæ lauacro omnem à ſe peccati maculam abſterſerit.

Zach. ca. 9. Zacharias elegans quiddam ad hoc propoſitum ingerit, cum ait, *quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum*? vt facile acumen percipias nota, id eſſe apud fœminas nobiles ſolemne, cum faciem ſtibio aut venuſto alio colore pingere intendunt, omnia ſuis locis ita decenter aptare, vt genæ roſarum exprimant purpuram, & frons candorem liliorum, quod antequam præſtent, faciem prius debent frigida abluere, vt fortior hæreat color applicatus: ſcis quid animorum vultibus inducat venuſtatem? *quid bonum & quid pulchrum eius?* reſpondet Zacharias: *frumentum electorum*: nihil aliud eſt quam corpus & ſanguis Domini ſub ſpeciebus vini & frumenti: hanc mihi mentem ingeſſit Paſchaſius, cum ait,

ait, *pulchrum eius eſt corpus, ex quo iam ſpecioſa per lauacrum, amplius pulchreſcit, vt candore lilii, & rubore ſanguinis in hoc myſterio decoretur*: lilii candor hoc eſt filii Dei corpus, ac roſæ purpura id eſt, ſanguis eiuſdem, animæ vultum decorant, quid te putas agere, cum ad Euchariſticum puritatis ferculum accedis? faciem tuam venuſtas, illique ceruſſam & ſtybium ſuperinducis, ſed caue ne aliqua infecta ſit ſorde peccati, hanc prius diligenter ablue, hanc pœnitentiæ vndis ſollicitus laua, tum colores hos audacter applica, hoc eſt, panem Euchariſticum ſume, & mira tibi facies venuſtate pulchreſcet, Deoq; euadet iucundiſſima: Verbum Dei ſponſam alloquens non ſolum eam pulchram appellat, ſed perfecte decoram, *perfecta mea:* quia hi euchariſtici colores, illam non ſimpliciter venuſtant, ſed perfecte, rugas enim tollunt quas mundialibus coloribus conceſſum quidem eſt operire, ſed non auferre omino: Maritos inuitat Apoſtolus: *diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*: Solent viri vxoribus aquam vitæ ad abſtergendas faciei maculas impertiri; quod teſte Paulo ſponſæ ſuæ Eccleſiæ filius Dei conceſſit, *nam ſeipſum tradidit vt illam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ:* vides vitæ aquam qua illam abluit, neque eo ſolo contentus, vlterius proceſſit, omnes enim ab eius facie rugas, quod alii viri non poſſunt, voluit expungere, multæ, ſenectutis ſuæ indicia (rugas appello) diſſimulare quidem poſſunt fuco ſuperinducto, ſed nequaquam omnino tollere, hoc ſoli Diuino ſponſo debetur, ſolus ille tantam habet facultatem, vt ait Paulus, *vt exhiberet ipſe ſibi ſponſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam*: ſed qua vſus ſit arte, aduerte, rugæ ex ſanguinis defectu oriuntur, qui defectus epoto cruore reparatur, bibat ergo ſponſa Eccleſia quæ tota rugoſa eſt, bibat ſanguinem meum in Sacramento altaris, *ſanguis meus vero eſt potus*: vt ſublata rugarum cauſſa, ipſæ quoque auferantur, ac ſciant omnes mihi ſoli tantam eſſe conceſſam facultatem;

Paſchaſ. li. de corp. & Sang. Domin. cap. 2.

Digitized by Google

cum igitur corpus & ſanguis Chriſti fuci ſint & colores qui animarum facies venuſtant, priuſquam ſuperinducantur aquæ, præmittatur lotio quo decentius ac venuſtius illam exornent, *quid bonum & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum.*

Cant. ca. 4. Nyſſenus. Aliquid in rem præſentem non iniucundum Salomon dixit in Canticis, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Nyſſenus fontem hunc hortorum ait eſſe animam, ac affirmat eam tanta virtute pollere vt ſola præſtet quod Paulus & Apollo faciebant: *Ego plantaui, Apollo rigauit*: ipſa enim amœniſſimos virtutum hortos quos in ſe poſſidet, propria induſtria ac labore non ſolum plantauit, ſed & fons eſt quo irrorantur ac abluuntur: *ipſam vero eamdem plantatos à ſe hortos irrigare, hic expreſſe ſignificatur fons hortorum:* ait Nyſſenus, ſed forſan te ſubeat cogitatio, quid ſignificet puteus aquæ viuæ qui torrentis in modum effluit de Libano? Richardus à S. Victore ait eſſe Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ô profundum & admirandum puteum quam viuentibus atque Diuinis aquis ſcates? quot gratiarum atque benedictionum riuulis exundas? loquatur obſecro Richardus: *de Libano fluxerunt aquæ iſtæ, id eſt, de Chriſto, quando Spiritus ſanctus tanquam torrens diſcipulis influxit, & ſuaui eos vbertate donorum inebriauit; Et quando Chriſto in cæna benedicente panem, Sacramentum Euchariſtiæ celebrari cœpit, & vna poſſibili ipſius præſentia ſublata, multis in locis vſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum manſit.* Ecce puteum aquarum viuentium qui in altaris myſterio cernitur ac ſcatet: Iam vero quærendum occurrit cur communicantis animus vocetur fons, Euchariſtia autem puteus aquarum viuentium? reſpondeo id eſſe, quia animus qui in Euchariſticum puteum volet immergi, in eoque aquæ vitæ copulari, fons ſit ſed viuentis, ſed cryſtallinæ aquæ oportet; Chriſtus in Sacramento puteus eſt, qui in huius putei vndam ſancta volet mutatione transformari, qui cum

Richard. Victor. in 4. Cant.

cum ea volet miſceri, aqua ſit ipſe, ſed mundiſſima, ſed viua, ſed limpidiſſima neceſſe eſt: id eſt animum habeat nulla peccati ſorde maculatum, ſed puriſſimum, ſed ſumma munditie præcellentem, qui ſic fecerit, ac optato curſu in Euchariſticum puteum ſeſe immerſerit per actualem eius ſuſceptionem, in aquas illius Diuinas ſub ſpeciebus latentes, miſcebitur, immutabitur, transformabitur; procul abſint animæ quę turbidarum aquarum imaginem referunt, quæ ſolam lutoſitatem habent, in hoc ſacratiſſimo puteo ſubmerſionem reperient, non optatam transformationem: qui igitur digne ſacrum hoc munditiei ferculum volet ſuſcipere, prius diligenti lotione animum purget, vt vniatur ac transformetur in viuentes aquas quæ in Euchariſtico puteo ſcaturiunt, tantæ eum decet eſſe puritatis, vt non abſimilem, à cryſtallino ac viuo fonte munditiem præſe ferat: etſi mundiſſimum ſe iudicet quiſpiam, non deſiſtat tamen ampliori ſe lotione purgare: *qui mundus eſt non indiget niſi vt pedes lauet*; ait Seruator apud Ioannem: quantumlibet ergo mundus ſis, ſemper aliqua egebis purificatione, & qui ſe ſatis mundum auſus fuerit iudicare, cauendum eſt ne hoc ipſo ſordidus ſit, ac lotione opus habeat: Deus cæremonias inſtituens ſeruandas in Vaccæ rufæ ſacrificio ait, *colliget autem vir mundus cineres vaccæ & effundet eos extra caſtra in loco mundiſſimo, cumque lauerit qui vaccæ portauerit cineres, immundus erit vſque ad veſperam*: Papæ: ergo ſacrificium Deo offerre, immundum facit? qui ad ferendos vaccæ cineres acceſſerit, mundus ſit neceſſe eſt, vbi vero Diuino obtemperauerit mandato ſordidus efficitur, quis concipiat? ergone debitum religionis cultum ſummo impendere Numini, facit immundum? Minime ait Rudolphus: *omnis qui ſancta tractat non exinde polluitur, ſed quia ſe mundum reputat, cum Deo approximat, inter immundos & ſuperbos ipſe reputatur*: Aduertis iam quiſquis te mundum reputas ac dignum qui ſacræ menſæ participas, qui te pœnitentiæ lauacro ideo minime indi-

Ioan.ca.13.

Num.ca.9.

Rudolph.

indigere aſſeris, quod conſcientiam nulla peccati lethalis culpa grauatam ſentias, ſed ſolis tantummodo imperfectionibus pulſatam, quæ Deo non reddant inimicos, nec charitatis flammam reſtinguant: aduertis iam eo ipſo te immundum effici, propter eam quam de te habes præſumptionem; Mihi crede, ſi digne communicandum tibi putas, animum ſeria lotione ablue, nec vſquam, puritatis ferculum ſumas, niſi prius ſacro pœnitentiæ abſorptus profundo, in eo enim ſordes ablues, gratiæ ſuſcipies augmentum, ac dignus ad ſuperinducendos Euchariſtiæ, tuæ faciei fucos & colores, quo venuſtior Angeli in modum euadas, efficiere.

PARS ALTERA.

Ex dictis occaſionem arripio illos ſugillandi, qui attento ſolum deuotionis ſuæ ſenſu ſæpius quam ferat ratio ad myſticam menſam volunt accedere: ſi enim magnitudinem ac maieſtatem ferculi aperto viuæ fidei oculo ſpectarent, ac munditiei exceſſum ad eius ſuſceptionem neceſſarium attenderent, cauerent omnino frequentiorem illius ſumptionem inire; non inſimulo eos qui moderate & diſcrete ad hoc Sacramentum accedunt, ſed illos qui ſolo habito proprii deſiderii reſpectu, ſine fructu vllo appropinquant: Quam id periculoſum ſit, conabor oſtendere; refert Euangelicus vates Eſaias id in more poſitum non ſolum apud gentiles, ſed etiam apud Hebræos fuiſſe, vt qui proſperæ fortunæ ſacra facerent, magnificum inſtruerent epulum, quo peracto inuitatis omnibus poculum offerebatur in ſphæram, quo Deum venerabantur, eumque rogabant, ne vſquam appetentius quam poſtularet ratio, vinum ſumerent, id annotauit ingenioſe Theophraſtus his verbis, *illud de menſa dum ſumunt, Deum adorant, tanquam ſupplices rogent, ne quicquam agant turpiter, ne huius potionis appetitiores fiant æquo, ſed ex ea percipiant quod honeſtum ſit & vti-*

Eſaiæ.c.66.

Theophraſtus lib. de temul.

& vtile: nihil ſimile in ipſo epuli apparatu poſtulauerant, ſed eo peracto, dum poculum habent præ manibus, illud primum in mentem venit, vt Deum rogent ſe nunquam immoderatius æquo vinum appetituros, quorſum obſecro Seruator poſt oblatum diſcipulis ſub ſpeciebus panis corpus proprium, ſanguinem etiam ſub vini accidentibus obtulit in calice? ſuffeciſſet omnino ſi ſanguinem per concomitantiam ſimul cum corpore ſumpſiſſemus, quorſum igitur illum obtulit ſeparatim? id ſane præſtitit eo fine vt nobis Sacramenti fructum non ex immodica eiuſdem appetentia commendaret, ſed ex ſobria & prudenti eius ſuſceptione, tunc enim ingentes gratiæ fructus parit in anima cum digne & moderate ſumitur, non leuiter, aut ad primum qui animum pulſauerit motum: quod optime docuit Clemens Alexand. *O admirabile myſterium, veterem & carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum & vetus nutrimentum:* ſed aduerte quod ſequitur: *alit autem noua Chriſti diætæ effectos participes*: quaſi diceret eadem ſobrietate ac moderatione ad ſacrum epulum eſſe accedendum, qua qui diætam facit menſæ appropinquat, parum enim & raro comedit: qui hoc Diuino cibo refici voluerit, qui eius fructu ac ſubſtantia cupierit ſaginari, eum qui diætam ſeruat imitetur, non frequentius illũ ſumat, ſed ſobrie, ſed moderate, qui comedit immoderatius, ſtomachũ grauat, nec cibum poteſt bene coquere, quo fit vt cedat in detrimentum: ita plane ſi hoc ſacrum ferculum frequentius ac immoderatius ſumpſeris, caue ne ſtomachum grauet, nimis enim debilis eſt vt illud concoquat, non inde ſenties profectum, bene autem ſi ſobrie ſumpſeris & moderate: optime Democritus, τῶν ἰδέων τὰ σπανιώντατα γενόμενα, μάλιςα περπεῖ: εἴ τις ὑπερβάλλει τὸ μέτριον, τὰ ἐπιτερπέςατα, τὰ ἀπερπέςατα ἂν γίγνοιτο; dulcia quæ rariſſima ſunt maxime delectant, ſi quis modum exceſſerit, iucundiſſima fient: qui ſobrie & moderate huic ferculo quod omnem continet ſuauitatem appropinquauerit, Diuinam percipiet iu-

Clemens Alexandrinus.

cunditatem, ſi vero id fecerit æquo frequentius & immodice, voluptatem nõn ſuauiabitur, dulcia enim quo rariora, eo & ſuauiora.

Ad magnum aliquid in hanc rem aſſerendum, præſens me materies cogit: cum Virginea Dei Parens in nuptiis tota ſuperplena pietate, ad filium acceſſit, dicens *vinum non habent*: Chriſtus indignantis in morem illi reſpondit, *quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea?* in quam reſponſionem ita fatur Irenæus, *properante Maria ad admirabile vini ſignum, Dominus repellens feſtinationem dixit, quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea?* nota illud *properante Maria ad admirabile vini ſignum:* cum ſanctiſſima Virgo nimium eſſet feſtina in roganda aquæ in vinum mutatione, repulſam paſſa eſt à filio, quaſi hanc feſtinationem non probaret: quid? ergo, non feret filius feſtinationem iuſtam & ſanctam in Parente? quid ſanctius quam indigenti proximo miſereri, quid æquius quam illi procurare medelam? & tamen feſtinationem ſanctimonia ac iuſtitia pleniſſimam non tulit Verbum Dei in matre, forſan ergo in homine patietur? feret frequentiorem æquo ſui corporis ſumptionem in nobis, qui præproperum pietatis affectum in matre non tulit? non ſit tibi ſumptionis Euchariſtiæ menſura, ſenſus interior, cordis teneritudo, lachrymarum profluuium, aut paucula quam ſentis deuotio, non hæc menſura eſt: Sed Pater ſpiritualis cui animæ tuæ curam demandaſti, ſed profectus quem ex illa percipis: ſi te aduerſus tentamenta fortiorem reddit, ſi in virtute amplexanda alacriorem, in iis quæ ſpiritalem animæ prouentum ſpectant illuminatiorem, ſi minus terrenis affectum, ac potiori ſtudio cœleſtia efficiant appetentem, veram menſuram habes, qua ſobrie & moderate ad Diuinum epulum accedas, nemo eius ſuſceptionem octo quibuſque diebus rationabiliter negauerit, vbi talem in te aduerterit menſuram.

Irenæus.

Concludat Ambroſius hunc diſcurſum, qui rationem diſqui-

Ambroſ. in c. 9. Lucæ.

diſquirens, cur poſt quinque hominum millia à Chriſto ſatiata, duodecim panis cophini fuere reſidui, vbi vero quatuor millibus tribuit annonam, pauciores, reſpondet, *quia quatuor millia iſta triduo cum Chriſto fuerunt, & ideo ampliorem cæleſtis panis alimoniam receperunt:* tridui ieiunium quatuor millia paſſa fuerant, idcirco appetentia vehementiori comedentia pauciores dedere reliquias, alia autem quinque hominum millia quia minus abſtinuerant, minori etiam comedere appetitu, ac plures corbes reliquerunt; ô quam vtile eſt tridui ieiunium, quam proficuum quibuſque octo diebus à pane Euchariſtico abſtinere, cum enim Dominica die ſuſcipitur, tunc animum reficit, tunc mira pinguedine ſaginat; nec eſt quod omnibus eamdem velim regulam præſtituere, neque enim omnes eodem debent itinere dirigi, ſed loquor pro magis ordinario, cætera Patrum ſpiritalium relinquens prudentiæ. Salomon eximium aliquid ad hoc inſtitutum ſuggerit cum ait, *quando ſederis vt comedas cum principe, ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam:* communior ſenſus eſt, cum Regis gloriæ menſæ accubueris, quæ Euchariſtica eſt menſa, cultrum admoue gutturi tuo, hoc eſt, ita ſerio animam tuam diſpone, ac ſi iam iam tuæ ceruici carnificis gladius immineret, ſed aliam mihi liceat addere expoſitionem, *ſtatue cultrum in gutture tuo*: cum princeps adeſt in Eccleſia, eum tota militum cingit cuſtodia, vt ad eum nulla ratione pateat acceſſus, niſi cuſtodes ipſi illum aperiant, idipſum agere debet animus ſub ſpeciebus Euchariſticis Regem gloriæ ſuſcipiens, cuſtodiam enim ſuo debet gutturi apponere, vt nihil ei appropinquet, imo neque ipſa ad ſacrum accedat epulum niſi cuſtodib. iter illi pandentibus, id poſtulabat Dauid, *pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis:* vt non accedam ad te in Euchariſtia velatum ſuſcipiendum cum voluero, ſed mihi eius faciundi rectæ rationis cuſtodia facultatem præbente, ſcio enim quod qui immodice

Prouerb. cap. 23.

Pſal. 14.

& æquo frequentius id agit, tanti ferculi non ſuſcipere prouentum.

FERCVLVM SVAVITATIS.

Diſcurſus Nonus.

NOn raro me rapuit in admirationem, quod Deus qui in lege veteri, non alio quam Dei exercituum nomine vocabatur, qui tyrannorum ſeſe prædicabat flagellum, vt populum Iſraël ab Ægyptiaca ſeruitute liberaret, Moyſem mortalium omnium manſuetiſſimum elegerit in ſui populi Ducem ac rectorem, quorſum obſecro hoc illum Deus inſigniuit munere, cum non niſi vulnerum, armorum, atq; bellorum tumultus audiretur, cur id præſertim Deo in flamma rubi toto igneo apparente? id mihi ſæpius ſtuporem mouit, ac etiamnum moueret, niſi Damaſcenus omnem eius occaſionem tolleret, cum ait de Moyſe, *per ſimulachrum quoddam & vmbram Mariæ, tantus legislator & Princeps creatus eſt:* deſinat ergo mirari Deum in igne rubi totum flammeum, manſuetudinis tamen ac pietatis meminiſſe, quandoquidem ante oculos ſuos intemeratę Virginis habebat ſimulachrum: Moyſes vt ait Damaſcenus Beatæ Mariæ referebat ſpeciem, quem vbi Deus intuitus eſt, etſi medius eſſet inter ignes & flammas, inter prælia & bombardas, inter cadauera & vulnera, pietatis tamen ſenſum habuit, cum in ſui populi ducem, mortalium omnium manſuetiſſimum elegit: Virgine iam illum ad pietatem inclinante, cum tantum eſſet in ſuo ſimulachro ſeu figura; vnde genus humanum apud Iſaiam ita Deo gratulatur: *confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me:* Deus enim qui totus erat igneus ac furore ardens, ſuauis ac manſuetus effectus eſt, & vt Rupertus legit,

Damaſc. orat. 2. de aſſumpt.

Iſaiæ c. 12.

legit, *iuſte oratus es, miſericorditer autem conuerſus eſt furor tuus in gratiam, videlicet quando Virga ſupradicta de radice Ieſſe egreſſa eſt*: cum Virga Mariana quæ Diuinum erat florem editura, ex Ieſſea radice prodiit, Deum ſuauẽ reddidit ac manſuetum: & qui niſi arma & gladios in hominum ſupplicium manibus tenebat, iam ſolas gerit gratias iiſdem infundendas. Iam ergo Beatum Zenonem intelligo ſic dicentem, de B. Virgine & S. Eliſabeth, *illa præconem port.t, hæc Iudicem, exultate iam fœminæ culpa deleta veteri:* ſed quæ occaſio gaudii, rei ſubire poteſt animum, cum lata à Iudice ſententia, iam à Præcone proclamatur, ſi Eliſabeth geſtat præconem, & Maria Iudicem quis lætetur? quandoquidem: *in eius conſpectu, non iuſtificabitur omnis viuens:* parato Iudice & præcone, ſolus carnifex ſupereſt, qui ſententiam exequatur, quis ergo lætus eſſe poſſit? Nihil minus ait Zeno, geſtat enim Maria Iudicem à qua non niſi accipere poteſt manſuetudinem, Iudex inter eius amplexus ſolum pius ſolũ miſericors eſſe poteſt; gerit illa eũ qui iudicaturus eſt omnia, ſed ab eius ore ſententia prodiens, ſolum mel, ſolam gratiam, ſolam ſpirabit ſuauitatem, ſed audiendus eſt Hugo Victorinus pulchre in hanc rem ſic diſſerens: *Chriſtus in cœlo ex Patre, ſine Matre, Deus: Chriſtus in terra ex Matre ſine Patre, homo: in cœlo qualis Pater, talis filius, in terra qualis Mater, talis filius, in cœlo cum Patre æternus & immenſus, in terra cum Matre incorruptus & manſuetus*: quis ergo non videat ad aſpectum Virginis Deum exercituum miteſcere, ac qui ſola ſpirabat bella & vulnera, iam ſolam gratiam, ſolam beneuolentiam reſpirare? ad te ergo ſanctiſſima tui conditoris Parens humilis accedo, tu quæ illum pium efficis ac manſuetum, neceſſariam mihi gratiam impetra quam imploro, videbit te ille, audiet ſermones tuos, & ſi quam in me concepit auerſionem, tu diſſipabis, ac Diuinas eius manus cœleſtia dona, mihi facies ſtillare.

S. Zeno. Serm. 2. in Nat.

Hugo de S. Vict. lib. 1. miſcel. cap. 85.

Matthæus relata eorum qui vineam conduxerant para-

Matt. c. 22.

bola, quorum tanta exiterat barbaries, vt Domini famulis morti traditis, ad eam etiam deuenere immanitatẽ, vt filium quoque mactarent; affirmat Dominum vineæ non deſiiſſe ob id, magnificum illis inſtruere epulum, cum tamen in tantæ crudelitatis pœnam ſummo illos afficere ſupplicio debuiſſet, & S. Lucas de hoc diſſerens epulo, *homo quidam fecit cænam magnam*: ait, Chryſoſt. ſtupet manſuetudinem huius Domini, *quando grauiſſima eos ſupplicia luere oportebat, tunc ad nuptias trahit, & ſummo paratus eſt honore afficere:* inquit ille; & notandum cum eodem Chryſoſtomo, filium hunc cum tanta immanitate occiſum eſſe filium Dei, quem cum æternus Pater miſſiſſet in mundum vt vineam ſuam, ideſt, ſynagogam inuiſeret; ſcribæ & Phariſæi qui eam conduxerant, illum occidere, cum ergo eos tantæ reos proditionis extrema debebat pœna afficere, ſumptuoſiſſimo recreat epulo, quis non ſtupeat, quis non miretur? Deinde, cum opus eſſet filii celebrare exequias, ac ſolas nænias defuncto concinere, ſola epithalamia, ſoli audiuntur hymenæi, & nuptiale conuiuium apparatur, ſi alterum habuiſſet qui defuncti potuiſſet ſupplere vices, vno extincto potuiſſent tædæ nuptiales accendi, ſed primogenitus fuit, vnicus fuit, cum tanto ſcelere occiſus, quis ergo non ſtupeat, tanto honore affectos homicidas? id fateor ingenii mei ſummum tranſcendere: Chryſoſt. tamen myſterium retegit, cum ait, *nam quoniam in ſuperioribus de morte dictum eſt, poſt mortem modo nuptias, & ſponſam videmus:* quod explico per illam conſuetudinem inueteratam obſeruari ſolitam in aulis Principum, ſolent liberos deſponſare cum adhuc pueruli, parentes inter ſe ſponſaliorum contractũ ineunt, appoſita pœna ei qui reſilierit, creſcunt interim pueri, ac iocis puerilibus tempus fallunt, ſed grandiores effecti, de donis mutuis, de litteris mittendis affectus reciproci indicibus cogitare incipiunt, donec optata conſummandi matrimonii dies aduenerit; Eodem ſe modo Deus olim habuit cum humana

Luc. 14. Chryſoſt. homil. 70. in Matth.

Chryſoſt. vbi ſupr.

Digitized by Google

mana natura, vt ait S. Anaſt. Synaita: illam enim ſibi totam adhuc iuuenculam & vagientem in cunis, ſibi deſponſauit in paradyſo, donec effecta grandior conſummandi apta eſſet matrimonii, *humana quidem aliquando natura:* inquit ille, *erat ab initio veluti Dei coniux, eum agnoſcens & colens, & ab eo inſeparabilis, tanquam Eua, quæ dicitur mulier, & vxor Protoplaſti Deum indiuidue deſiderans:* Diuinus igitur ſponſus maius in dies ſponſam ſuam incrementum ſumere animaduertens, è cœlo deſcendit in terras, factus homo eſt, vt illam procaretur, quicq id docuit, quicquid prædicauit, epiſtolarum quas ad ſponſam dirigebat, habuit ſimilitudinem: quot miracula quot prodigia patrauit, tot etiam amoris ſui fuere teſtimonia; vbi ergo matrimonii cõſummandi dies aduenit, floridum Crucis lectum ſterni iuſſit, id me docuit ipſa ſponſa cũ ait, *ferculum fecit ſibi Rex Salomon*: vbi Ambroſius legit, *lectum:* quem Aponius dicit eſſe Crucem Seruatoris: quia vero illa lethale vulnus acceperat in paradyſo, per quod amarulentum peccati virus ſerpens afflauerat, ad cuius medelam necdum vllum reperire poterat antidotum, nec aqua vlla ſordes abſtergere faciei quas idem ſerpens impreſſerat: idcirco ſponſus, ei medelam & lauacrum præſtare volens, antequam cum ea matrimonium celebraret, iacenti ſibi in Crucis ſtrato permiſit latus transfodi, & mortem inferri, vt in fluente de vulnere ſanguine, ſordium lauacrum, & in truculenta morte reperire poſſet medicinam: Papæ, quam eleganter id me docet ſponſus ipſe in Canticis cum ait, *ſub arbore malo ſuſcitaui te*: Caſſiodorus, Beda, Iuſtus, Rupertus, Anſelmus, & Gregorius, Crucem arborem eſſe dicunt, ſub qua teſte Carpathio Philone, vulneris medelam ſponſa reperit, & quod maius eſt reuocata eſt ad vitam: loquatur ille ſeptuaginta interpretum lectionem ſequutus, *ibi in dolore te peperit, quæ te concepit, quandoquidem caro Chriſti in tormento Crucis paſſa, ſponſum ſibi peperit ſanguine redemptam, & aqua quæ de eius ſanguine fluxere:* vixque ſanata & lota

Anaſt. Syn. lib. 10. anagog. contemp. in hexamer.

Cant. ca. 3.

Cant. ca. 8.

Caſſiodorus. Beda. Iuſtus. Rupertus. Anſelmus. Gregorius. Philo Carpath.

lota fuit, cum ſtatim ad ſacri huius matrimonii conſummationem vocata, & in vnitate Eccleſiæ, æterno amoris fœdere, ſuo copulata Seruatori.

Leuit. ca. 1. Idem ſub eleganti tropo expreſſum lego in Leuitico, in quo iubet Deus volucri in ſacrificium oblatæ caput ad pectus à ſacerdote retorqueri: *ſi de auibus holocauſti oblatio fuerit, offerat eam ſacerdos ad altare, retorto ad collum capite*: quod de filio Dei iacente in Cruce ad victimam intelligo: auis eſt ſed Diuina, quę quoad vixit erecto ſemper inceſſit capite, quia ne leui quidem vllius peccati pondere premebatur, illud ſolum, moriens retorſit ad pectus, *cum inclinato capite emiſit Spiritum*, vt notum eſſet omnibus, iam caput copulatum eſſe corpori, ſponſum dilectæ, Chriſtum Eccleſiæ, tunc enim cum ea matrimonium conſummauit, atque vt auguſtiora, harum nuptiarum forent ſolemnia, magnificum inſtruxit epulum, ad quod filias Hieruſalem inuitauit, vnde Lucas, *homo quidam fecit cœnam magnam:* quod ad litteram de Verbo Dei, ſecundum anagogiam, de beatitudine, & myſtice de Euchariſtia intelligo, illa enim fuit auguſtiſſimum epulum, quod in ſacris Chriſti cum Eccleſia nuptiis fuit apparatum, quod iure merito vocat Euangeliſta *cœnam magnam:* qui enim illud inſtruxit, vere magnus eſt, quia Deus; mannæ epulum Hebræis ſoli Angeli appararunt, quo iſtud longe auguſtius eſſe ac nobilius ſatis patet, nulla facta ſubſtantiæ vtriuſque collatione, accidit duos amicos, alterius ſibi familiaris facere velle experimentum, hora prandii domum eius adeunt, ac ſalute impertita, heus bone amice, hodie apud te epulum ſumere, omnino apud nos eſt conſtitutum, tui hodie hoſpites erimus, ſi quid lauti habes imperti, ita ne ex improuiſo ait ille, itane imparatum viſitatis? heus mulier, liberi, famuli, coquinam apparate, menſam inſtruite, duos hos nobiles ſumus hodie hoſpites habituri. Idem omnino contigiſſe mihi videtur in deſerto, vbi populus ſuo conditori rebellis, illum auſus eſt tenta-

tentare, *nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto*, quaſi diceret, Domine ſumus hodie apud te cænaturi, hodie tuæ prouidentiæ in vaſta hac ſolitudine capturi ſumus experimentum; tum, Deus heus inquit Angeli, heus famuli quicquid habetis ad manum apparatus? his manna pluite hoſpitibus, quo de Diuina mea prouidentia non amplius addubitent? ſed in ſolemni Chriſti cum Eccleſia nuptiarum die, vbi nulla tentatio, ſed ſyncera dilectio amantium corda poſſidebat, Deus ipſe inſtruit epulum, *homo quidam fecit cœnam magnam:* Euchariſticam videlicet, quam ſatis agnouit Dauid, cum dixit, *paraſti in conſpectu meo menſam*: quaſi diceret, tu ipſe es mi Seruator, non Angeli, non famuli tui, non creatura aliqua, qui Euchariſticam menſam inſtruxiſti, pulchre in hanc rem Rupertus, *ergo panis cœli panis Angelorum, ipſe eſt qui in Euangelio ſuo dicit, ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: hic enim victus eſt, & vita eſt Angelicæ ſubſtantiæ, nam in eum deſiderant Angeli proſpicere, quod quia facere contempſit Angelus, cecidit & factus eſt diabolus, qui & huius panis ſempiternam patiens inediam, ſemper eſt pallidus & mors illum ſequitur:* hæc eſt menſa quam Deus in prima creatione Angelis inſtruxit, de qua aliqui tantam percepere ſuauitatem, vt illam ſemper in labiis ſint habituri, ſed alii qui ad eam accedere renuerunt, æterna fame conflictati, perpetuam quoq; amaritudinem guſtabunt, quod etiam fidelibus iis continget qui ad Euchariſticum hoc ſuauitatis ferculum appropinquare abnuerint: qui vero cum omni pietatis ac humilitatis ſenſu ad illud acceſſerint, in illo miram ſuauitatem reperient atque iucunditatem, quia voluptatis ferculum eſt quod ſe quærentibus filius Dei apparauit, illud in primis mihi probandum aſſumo, poſt oſtenſurus eius voluptatem, omnem in nobis mundialium iucunditatum extinguere debere affectum.

Pſal. 22.

Rup. lib. 3. in Exod. cap. 10.

PARS PRIOR.

Nemini dubitandum eſt, auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cœleſtis ſuauitatis copia non redundare, & ſi de eo dubium aliquod in animum alicuius irreperet, facile hac Iacobi Patriarchæ benedictione tolleretur, ait enim: *Azer* Gen. ca 10. *pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus:* Rupertus per hunc panem, Euchariſticum ferculum intelligit, *vere enim pinguis eſt iſte panis Dei qui deſcendit de cælo, quia dat vitam huic mundo,* ait ille, ſaccarum quod menſis Principum apponitur, non ordinarium eſt, ſed miræ confectionis, cuius compoſitionem quicquid melleum ac ſuaue eſt ingreditur, ita plane Euchariſticum ſaccarum, non pro quibuslibet eſt inſtitutum, hoc eſt non pro peccatoribus & iniquis, ſed pro iis tantum qui modo regio ſeipſos moderantur, vnde quicquid in cœlis ſuaue, quicquid iucundum intrat in eius confectionem, ibi habes humanitatem & Diuinitatem filii Dei, quæ Angelos beant, ac miræ voluptatis iucundiſſimo torrente perfundunt, id attigit Rupertus cum ait, *præbebit ergo delicias Regibus Azer, qui huius panis pinguedine perfruitur, regibus inquam, id eſt, eis qui ſemetipſos ſtudent regere, vt ſint digni menſa regalis Curiæ, delicias præbebit vitalis alimoniæ, ſiue Euchariſtiam porrigendo, ſiue pinguem medullam ſcripturarum exponendo;* eius exemplum in Regia perſona Verbi Dei videre eſt: refert enim Matthæus Chriſtum Dominum immediate poſt communionem dixiſſe diſcipulis, *dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum, in regno Patris mei:* vbi Chriſtus ſeipſum Sacramentaliter communicauit, tanta fuit perfuſus ſuauitate, vt dixerit ſe tunc non idem præſtiturum amplius, quia iam iam moriturus erat, ſed cum eiuſdem Sacramenti vſus in Eccleſia inciperet, ſe etiam cum omnibus fidelibus quotieſcunque Euchariſticæ menſæ appropinquarent

Rupertus lib. 9. de Trinit. & oper. eius cap. 34.

Rupert. vbi ſupr.

Matt. c. 26.

rent communicaturum: Paſchaſius Abbas ſic intelligit hunc locũ, in cœlo n. non erit communio, cũ ergo ſe de nouo ſacratiſſimũ hoc ferculum in regno ſuo ſuſcepturũ affirmat, de Eccleſia debet intelligi q̃ hoc nomine ſæpius nuncupauit, *ſimile eſt regnum cælorum decem Virginibus*: hoc regnum ſignificare Eccleſiam arbitratur Gregorius, & Hugo Cardinalis in hæc verba, *in regno Patris mei*: dicit, *id eſt in Eccleſia militante*: ait ergo Paſchaſius Chriſtum dum communicauit tanta ſuauitate perfuſum, vt promiſerit Apoſtolis ſe idem cum omnibus fidelibus præſtiturum cum viuifici Sacramenti vſus in Eccleſia inciperet: ratio eſt, quia cum viuorum Sacramentum ſit non mortuorum, ideo animum in ſtatu gratiæ conſtitutum præſupponit, ac per conſequens Chriſtum in illo, qui dum illa communicat, communicat & ipſe, additque idem Doctor quod eodẽ modo, quo cum anguſtiato animo eſt, ſit etiã cum communicante, *cum ipſo ſum in tribulatione, cum ipſo ſum in communione*: adeo vt ſecundum quod fieri poteſt, eiuſque Diuina ſapientia diſponit, in nobis toties communicet, quoties & nos Euchariſticum ferculum ſuſcipimus, *ſic quoque bibit illud nouum in regno Patris, id eſt, in Eccleſia, quoties eum digne ſui comedimus aut potamus*: ita ille: quod adhuc clarius Lucas innuit, cum inquit, *dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, quod exponens Hugo: ait, *id eſt, donec Sacramentum Dominici corporis & ſanguinis ab Eccleſia celebretur*: vnde liquet tanta illum in communione voluptate perfuſum, vt ſtatuerit ſe de nouo idem acturum cum fidelibus quotieſcumque auguſtiſſimum Sacramentum digne ſuſciperent; ſi homini famem patienti, ferculum quod appellaretur fames, apponeretur, nemini dubium eſt, nuſquam ſtomachum expleturum, quin imo maiori arſurum fame, cum alio cibo non vteretur: Sapientia Patris dicit apud Eccleſiaſticum, *qui edunt me adhuc eſurient, qui bibunt me adhuc ſitient*: ſeipſum Chriſtus ſub ſpeciebus panis ſumpſit, cum ea quæ requiritur

Paſchaſ li. de corp. & ſang Domini cap. 21.

Gregorius. Hugo Card.

Luc. ca. 22.

Eccleſ. cap. 24.

diſpoſitione, quid ergo mirum ſi tantam expertus fuerit iucunditatem, vt ſeſe eſurierit, ac fuerit pollicitus toties communicaturum quoties fideles ſe digne ſuſciperent?

Ambr. li. 5. de Sacram. cap. 3.

Vel fallor, vel illud idem ſponſus innuit in Canticis, cum ait, *comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo:* quod S. Ambroſius de Sacramento altaris intelligit, quod maiorem in ſe ſuauitatem continet, quam mel ipſum, *vides quod in hoc pane nulla ſit amaritudo inquit ille, ſed omnis ſuauitas? vides huiuſmodi eſſe lætitiam quæ nullius peccati ſordibus polluatur:* Seruator ergo verus animæ ſponſus, ſtatim vbi communicauit, ſe mel ſuum comediſſe, ac bibiſſe lac affirmauit, in quibus miram expertus fuerat voluptatem; idcirco immediate poſt addidit, *comedite amici, & bibite: & inebriamini chariſſimi:* quaſi diceret, feſtinate fideles mei, ad Euchariſticam menſam accedere, vt vobiſcum ego quoque communicem, ac ea quam iam expertus ſum perfruar ſuauitate, quod ſatis manifeſte affirmat Nyſſenus cum ait, *comedite & bibite, idem eſt quod in Euangelio idem ſponſus dixit in inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti, accipite & comedite:* & quia dum communicauit tantam ſenſit voluptatem vt totus famelicus ac ebrius effectus ſit, ideo peculiariter addidit, *inebriamini:* vt inuitaret fideles ad crebram & frequentem ſui ſub ſpeciebus Euchariſticis latentis ſuſceptionem, quatenus & ipſe quoque frequentius ſumma illa repleretur iucunditate, *inebriamini*, quaſi diceret bibite audacter de myſtico poculo quod nobis pr pinaui, vt eius ſuauitate perfuſi ad illud ſolum aſpiretis, ſed præſtat audire Nyſſenum, *quod autem hic additur & inebriamini, tunc quoque reipſa factum eſt, quandoquidem ebrietas ſolet efficere, vt mens excedat à vino ſuperata, & cauſare exceſſum;* ô optandam ebrietatem, ô famem ſacratiſſimam, quando viſcera noſtra depaſces? quando animos nobis tua ſuauitate perfundes, vt toti tuis inebriati deliciis, ad mundiales amplius non aſpiremus?

Nyſſenus hom. 10. in Cant.

Nyſſ. vbi ſupr.

S. Thom.

Alterum placet addere effectum ſuauitatis huius Sacramenti

menti in Chriſto, qui talis eſt vt vocem eius ſuauem reddiderit: adnotauit Doctor Angelicus, id Sacramento eſſe proprium, *recedant vetera, noua ſint omnia, corda voces & opera:* voces, opera, & corda dulcorat: quantum ad vocem facile in Chriſto deprehenditur, antequam enim communicaſſet terribilem adeo ſemper vocem habuit, vt ſyluas & nemora concuſſerit miro fragore, *vox Domini cōcutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades:* ait Dauid, populus Iſrael ita ab huius vocis ſtrepitu horrebat, vt nulla ratione vellet illam excipere, *non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur:* hæc omnia eius Incarnationem præceſſere, ſed poſtquam homo factus eſt, eamdem etiam habuit horrendam, quod in ipſa vltima cœna, ſatis prodidit, in qua terribilē hunc quē refert Euangeliſta aduerſus ſceleratum proditorē, fragorē intonuit, *væ homini illi per quem filius hominis tradetur, melius fuerat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille:* ô tonitruum horrendum, ô tremendam vocem, vbi tamen communicauit, ita omnem fragorem vox eius exuit, ita fuit dulcorata, vt eidem proditori, cum impiæ cohortis, quæ ad illud capiendum acceſſerat, dux eſſet effectus, non niſi ſuauiſſimis his verbis, *amice ad quid veniſti?* fuerit loquutus, & poſtmodum donec extremum egiſſet Spiritum ita vox eius fuit dulcorata, vt omni excuſſa acerbitate, ſolam fuerit ſuauitatem proloquuta: vnde fit etiam quod cum fidelibus communicet, vox eius ita ſit ſuauis, vt nemini etſi peccatori grauiſſimo minetur, neminem à ſua menſa arceat, ſed omnes potius inuitet: ſed cum aliquot ante iudicium extremum diebus, vſus communionis ceſſaturus ſit, in potiori ſaltem Eccleſiæ parte, quod Ireneus, Hippolytus, Imperfectus, Primaſius & Ephrem affirmant, quamuis nemini dubium ſit, in ſecretis & abditis locis, ſicuti olim tempore grauiſſimarum perſecutionum, celebraturos fideles & communicaturos; cum igitur huius Sacramenti vſus ſit deſiturus, certum eſt etiam ſuauitatem quam Chriſtus ex eo ſenſit deſituram,

Ireneus li. 5. adu hæ. cap 25. Hippol. apud Hiero. cap 9 in Dan. Imperf. hom. 49. in

V 3 quo

Matth. Primaſ lib. 3. in Apoc. Ephræm. Serm. de Antichriſt.

quo fiet vt vox eius in priſtinam ſit acerbitatem reditura, ac taliter omnem exutura dulcorem, vt in horrendum illud ſit proceſſura, *ite maledicti in ignem æternum*, quo veluti ingenti tonitruo, ac ictu fulminis damnatos præcipites aget in infernum.

Cant. ca. 2. Ambroſius Aponius.

Hanc autem ſuauitatem non in ſola Chriſti Domini voce fuit Euchariſtia operata, ſed etiam in voce Eccleſiæ, quod me docuit ſponſus in Canticis, cum dixit, *oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora:* quod Ambroſius & Aponius de Eccleſia dictum intelligunt, faciem habebat mille Idololatriæ ac vitiorum ſordibus fœdatam, ſed omnes effuſus redemptoris cruor abluit; antequam autem Euchariſticum ferculum deglutiret, quam ingrata, quam rauca, quam erat ſuauis vox eius? cum aduerſus Aaron inſurrexit ac dixit, *fac nobis Deos alienos qui nos præcedant*: quid poterat inſuauius intonare? quam raucus fuit ille clamor ad Pilatum, *Crucifige Crucifige eum*; quid magis inconditum ac barbarũ, triſtiq; bubonis cantui ſimilius quam illud, *ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros:* ſed paulo poſt vix ſanctiſſimi Sacramenti ſuauitatem guſtauerat, vix ad ſacrum Euchariſtiæ vſum acceſſerat, cum reformato ſpiritu, in aliam vocem prorupit, quæ tota dulcorata, nõ niſi ſuauitatẽ, non niſi iucunditatem fuit proloquuta, vix n. aliud habuit in ore quam hymnos honoris, ac gratiarum actionis & laudis cantus, quos eidem quem voce rauca in ignominioſum expoſtularat ſupplicium, concinebat, loquatur Aponius, *ſicque vox eius quæ horridam, interclusſam, impietatis raucedine amariſſimam, & lamentabilem reuocauerat vocem dicendo Crucifige, Crucifige: tali hauſtu & medicinali potu ſanguinis quem effuderant, Chriſti ad canoram dulcedinem reuocata eſt, confitendo ſe credere Deum, quem vt hominem ante Pilatum damnauerat:* ex quo apparet huius ferculi ſuauitatem, raucam etiam Eccleſiæ vocem dulcoraſſe.

Apon. in c. 2. Cant.

Sed ad vltimum ſuauitatis eiuſdem effectum feſtinans,

me

me rapit oratio, nihil enim apud me certius eſſe poteſt quam illud quod ait Doctor Angelicus, *omne delectamentum in ſe habentem:* de Euchariſtico pane loquitur, cuius iucunditas ad illud vſque peruenit extremum, vt amarulentiora quæque dulcoret, quin imo vnicum aptiſſimumque ſit aduerſus calamitates tribulationeſque omnes remedium. Videamus illud obſecro in noſtro Seruatore? Indubitatum eſt potiorem aduerſus omnes anguſtias medelam eſſe gratiam, quem ergo tribulatio aliqua preſſerit, is ad Sacramenta accedat, in iis enim reperiet gratiam, quæ illarum remedium eſt, ſuſcipit afflictio incrementum, id age vt creſcat & gratia; In cœna vltima dolores & pœnæ, grande in intimo filii Dei corde ſuſcepere augmentum, etſi enim ante oculos ſolam diſcipuli proditionem habuiſſet præſentem, ſufficiens erat omnino vitam illi adimere, quid ergo remedii? augeſcit doloris acerbitas in corde Chriſti, & gratia in illius animo non poteſt accipere incrementum, quid igitur? ſciunt docti gratiam Chriſti licet in genere entis finita fuerit, quia in eius anima quæ creatura finita & limitata erat, tanquam in ſubiecto inerat, in genere tamen gratiæ omnino fuiſſe infinitam, eo quod non fuit dabilis maior gratia, cum enim ſit illa principium meriti, quod in Chriſto valoris fuit infiniti, oportuit omnino vt & gratia eſſet quoque infinita, ideo dicit Concilium Conſtantinopolitanum, *ſi quis dixerit Chriſtum, ex aliqua actione, vel ex aliquo opere melioratum fuiſſe, anathema ſit:* quid ergo remedii ſumet Dei filius, quia in cœna dolor augeſcit, & gratia non poteſt ſuſcipere augmentum? quia infinita? fecit Chriſtus quod ſapientiſſimus Medicus, qui dum graui morbo aut paſſione cor infirmi animaduertit agitari, medicamentis illum exterius interiuſque iuuare feſtinat, ita & filius Dei, cum enim timeret ne Iudæ proditio quæ illum ſummè affligebat, cogeret in cœna diem extremum claudere, ac mortem Crucis anteuerteret, duplici ad hunc dolorem leniendum vſus eſt re-

Concil. Conſtant. Canon. 12.

eſt remedio, primum quidem exterius tanquam Epithema fidelem amicum Ioannem ſibi applicauit, ait enim Eccleſiaſticus, *amicus fidelis medicamentum vitæ eſt*: interius vero ſanctiſſimo vſus eſt Sacramento, quod Ignatius, *pharmacum Immortalitatis*, appellat, quo factum eſt vt corpus ſuum panis ſpeciebus velatum ſumpſerit, quod quia ſanctimoniæ eius conferre non potuit Incrementum, quia ipſamet erat ſanctitudo, neque augere gratiam, quæ infinita erat, cum ſummam in ſe contineret ſuauitatem, doloris eius acerbitatem ſua iucunditate mitigauit, vt mitigato doloris ſenſu non moreretur in Cœnaculo, ſed eius vita ad Caluariam vſque protraheretur, quod facile liquet ex eo quod in horto contigit, in quo tantam induit mœſtitiam, vt ipſemet confeſſus fuerit, *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: quod inde procedebat, quia iam Sacramenti ſpecies erant in ſtomacho conſumptæ, iam deſierat eius ſuauitas, quæ quandiu fuit integra mitigauit dolorem, vt vitam conſumeret, vbi vero deſiit, egit doloris acerbitas ſuas vices de nouo ac mortem indixit.

Ignat. epiſt. 14.

Matth. ca. 26.

Quis hæc miretur, cum Euchariſtia ſit ſuauitatis ferculum omnem cœleſtis mellis dulcedinem continens, quod corda, voces, & labores digne ſuſcipientium dulcorat, hos Euchariſticæ ſuauitatis effectus ſponſa ſenſerat in Canticis cum dicebat, *meliora ſunt vbera tua vino*: Ambroſius per hæc vbera auguſtiſſimum Sacramentum intelligit, quod mammæ in morem communicantium animas cœleſti atque Diuina ſuauitate perfundit, cum debile cor morbum minatur alicui, nihil efficacius hauſtu vini optimi; vis dolorum ac tribulationum quæ tibi cor pungunt hebetare aculeos? Chriſtum imitare, ſuauitatis ſume ferculum, Euchariſtica vbera ſuge, & tantam percipies voluptatem, vt omnem laborum ſenſum ſit mitigatura: ſed præſtat audire Ambroſium, *quia meliora vbera tua ſuper vinum, hoc eſt meliores ſenſus, meliora Sacramenta tua ſuper illud vinum, quod etſi ſuauitatem habet, gratiam habet, tamen in*

Cant. ca. 1. Ambr. lib. 5. de Sacramentis.

illo

illo lætitia ſæcularis, in te autem iucunditas eſt ſpiritualis: fateare ergo aliter fieri minime poſſe, quin hoc ferculum omnem mellis ſuauitatem quæ Spiritus exhilarat Angelicos, continens, animæ deuote communicanti illam communicet, omnemque laborum ac calamitatum eius amaritudinem leniat & dulcoret: vnde optime Bernardus, *deliciari nos oportet in pane iſto:* quia nihil eo iuçundius, ſuauius nihil poteſt omnino reperiri.

PARS ALTERA.

Quod vt melius deprehendas, ſcito hoc ſuauitatis ferculum, virtutis eſſe tantæ, vt omnem honorum, ac voluptatum mundialium famem reſtinguat: Salomon elegans quiddam in hanc rem ingerit cum ait, *non affliget Dominus fame animam iuſti:* quod Baſilius, Beda, & Hugo, non de fame corporis, ſed de ſpirituali animæ eſurie intelligunt, *non interficit Dominus animam iuſti fame*: inquit Baſilius, *non enim hic loquitur de fame corporis, vtique enim dixiſſet de corporibus iuſtorum ſed de inedia animarum:* Sed qualis eſt hæc animæ eſuries? illam non melius potero oſtendere, quam ſi examinauero famem corporis, Galenus & Hippocrates tres famis ſpecies conſtituunt, prima eſt λιμοκτονία, id eſt, fames radida ſeu canina: altera λιμαγχονία qua poſt longam inediam gutturis meatus adeo arctantur vt nihil omnino poſſint recipere, de qua Egeſippus facit mentionem, poſtrema eſt βούλιμον id eſt, eſuries bouina, quæ omnes famis ſpecies lethiferæ ſunt, niſi præceps adhibeatur remedium, his ſuppoſitis aſſero iiſdem omnino modis animas noſtras famem poſſe perpeti, quod Hugo Cardinalis paucis his verbis dicit: *quid eſt luxuria, niſi fames inſatiabilis voluptatum? quid ſuperbia, niſi fames inſatiabilis dignitatum? quid auaritia, niſi fames inſatiabilis facultatum?* hæ ſunt tres famis ſpecies quæ animas premunt, voluptatum eſuries eſt λιμοκτονία,

Prou.c. 10.
Baſil.in c.1. Eſaiæ.
Beda hic
Hugo Card.hic.

Egeſipp. lib. 5. de excid. Hieroſ. ca. 24.

honorum λιμαγχονία, facultatum autem βέλιμον: quantum ad primam Auguſtinus illam vere caninam eſſe eſuriem affirmat, quæ omnem tollit verecundiam, *vnde merito immunditia huius impudicitiæ*, ait ille, *caninum nomen accepit, ex hoc quippe Cynici nuncupati ſunt*, quot hodie cynicos poſſidet hæc fames? quot premit homines, qui minorem canibus verecundiam habentes, in omne ſe voluptatis genus immergunt, ac nulla habita Dei, aut proprii æſtimatione honoris, ſoli bruteſcentium appetituum deſiderio explendo ſtudent.

Auguſt. li. de Nupt. & concup.

Alteram, Chryſoſt. dicit eſſe honorum atque gloriæ appetentiam: *nonne vides eos quos βυλιμῶντες id eſt, bulimatos vocant? quodammodo ſemper eſuriunt, eſt enim affectio & paſſio, vt dicunt medici: ſic ſuperbi:* & profecto cum hæc eſuries, nuncupetur bouina, merito honorum ſignificat ambitionem, referunt enim hiſtorici, quoſdam ſylueſtres boues reperiri, qui dum paſtus premuntur inopia, montium ſubeunt vertices, atque inde alicuius refrigerii capiendi cauſſa ora aperiunt; ac ventum excipiunt; quo ardentem ac viſcera depaſcentem famem reſtinguant, quod Hieremias de Onagris affirmauit, *& Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba:* quid ambitioſo ſimilius? qui dum in alicuius dignitatis vertice conſtitutus eſt, cum eum fames premit, & ad potiorem facit gradum aſpirare, vento quem illi fortuna adflat paſcitur, hoc eſt, ſola ad eam perueniendi ſpe alitur, ſicque miſer famem quam explere appetit, acrius vrget, dicat id obſecro aureus Chryſoſtomus: *qui elati ſunt quantacunque fruuntur gloria, tanto maiorem expetunt, augetur enim in eis affectio, affectio autem non nouit modum, ſed tunc demum ſiſtitur, cum occiderit eum qui ipſam habet*: hæc ille.

Chryſoſt. hom. 1. in 1. ad Theſſal.

Hierem. cap. 14.

Chryſ. vbi ſupr.

Tertia eſt λιμαγχονία, quæ facultatum appetentiam immodicam ſignificat, finxere antiqui Midam mortuum, eo quod cum poſtulaſſet Bacchum vt quicquid tangeret verteretur

retur in aurum, omnes etiam cibi eamdem metamorphoſim paterentur, quo fame debuit extingui: Sed quid ſuperius intendere, vt adnotauit Baſilius, quo plures enim auari facultates poſſident, eo etiam acriori fame torquentur, *anima ſua auaritia poſſeſſa*, ait ille, *cuncta aurum, cuncta argentum reſpicit, libentius vides aurum quam ſolem, quæcunque vides in aurum verti cupis, daſque operam quoad poſſis vt liceat:* & hæc eſt eſuries triplex quæ animas premit; quod ſi ſcire aues vnde ortum habuerint, ſcito ex pomo male in paradiſo comeſto proceſſiſſe, vix enim peruenit ad ſtomachum, cum ſtatim natiuam eius temperiem interturbauit, ac tres has eſurierum ſpecies in illum inuexit; ſed Diuina ſapiētia huic morbo ſapientiſſime prouidit, reperto ad fames has abigendas remedio, quod non ſolam animarum eſuriem ſatiaret, ſed illam eamdem, mira etiam perfunderet ſuauitate: hoc innuere voluit Salomon dicens, *non affliget Dominus fame, animam iuſti:* ſi enim bolus male comeſtus has fames inuexit, hominemque voluptatum, gloriæ, ac facultatum appetentiorem æquo reddidit: ſalutiferum alium bolum reperit Deus, qui ſumptus digne, has fames abigeret, iſque eſt ſuauiſſimum Euchariſtiæ ferculum, ita Baſilius, & Ambroſius, ſed audiendus Thomas, *non affliget Deus fame animam iuſti, nam cibus ille ſacer famem illam affligentem extinguit, quam eſca vetitæ arboris accendit:* bolus quem Protoplaſtus comedit, hanc in tota progenie famem inuexit: ſed ſecundus Adam Euchariſticum inſtituit ferculum, quod illam profligauit, præter enim ſubſtantiam quam continet & qua ſatiat eſurientes, miram etiam claudit voluptatem qua ſe ſuſcipientium palatis adeo dulcorat, vt omnem mundialium iucunditatem, honorum, atque facultatum appetentiam extinguat.

Baſil in c. 1. Eſaiæ. Ambr. lib. de Virgin. S. Thom. opuſ. de Euchar.

Quod ſatis experta fuerat ſponſa in Canticis, cum dicebat, *ſub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo:* Bernardus per vmbram hanc Euchariſticas intel-

Cant. ca. 2. Bernard. Serm. 48. in Cant.

Digitized by Google

ligit ſpecies, ſub quibus, quaſi ſub vmbra ſuauiſſima corpus Chriſti conquieſcit, cũ aliquis poſt diuturnam ſacramentalis communionis appetentiam, tandem communicat, tum ſub hac vmbra ſedet, ſub qua miram experitur ſuauitatem, ſed vt huius percipiamus acumen, ad ſubtiliſſimum recurrendum eſt Rupertum, qui contraponens hic ferculum ſuauitatis, illi pomo quod Adam guſtauit, ait, *quis veſtrûm neſcit quam ſit fructus eius dulcis? expulit enim à nobis amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indidit: malus fructus, imo malus morſus, quo Adam per Euam vitam perdidit, & mortem inuenit, bonus fructus quo genus humanum, per Mariam mortem perdidit, & vitam inuenit, hic eſt fructus eius:* quaſi diceret, Eua pomum vetitum Adamo offerens, in quo ſe ſuauitatem quæ omnes eius ſatiaret appetitus, ſperabat reperturum, ardentem adeo in illius animum famem induxit, vt poſteros omnes nullo ſit interuallo relectura, ſed ardentiſſima ſemper preſſura rabie quæ illos ſumma amaritudine replebit: Sed noua Eua, id eſt, Maria, mundo filium Dei Incarnatũ edens, tanta iucunditate omniũ opplebit corda, vt quiſquis eum ſub Euchariſticarum ſpecierum vmbris receperit, famem omnem, ab impio primi Parentis morſu ortam ſit perditurus. Vis ergo tres has eſuries quæ tibi corrodunt viſcera extinguere? ad hoc ſacratum ferculum accede deuotus, ſub eius vmbra ſede cum ſponſa, & illud ſuauiſſimum experiere, quicquid enim iucunditatis, mundiales habent voluptates, honores, & diuitiæ, cœleſti ferculi huius ſuauitati collatum, nihil eſt, amaritudo eſt, venenumque lethale, *deliciari nos oportet in pane iſto:* ait Bernardus. Seneca, ad amicum Lucilium ſcribens pulchre monet, *Crede mihi Lucili ſi gaudere debes, ne gaudeas vanis:* & Plato idem dat conſilium, *vtile erit & præclarum voluptates voluptatibus commutare:* ſed dicam optimum fore ſi mundiales voluptates in Euchariſticam ſuauitatem commutaris, vanæ illæ ſunt, & vanis gaudere diſſuadet Seneca, hæ vero Diuinæ ſunt & veræ,

Rupert. li. 1. in Cant.

Bernardus.

quæ

Digitized by Google

quæ animum ſimul reficiunt & delectant; quid ni Dauid huius fecerat experimentum cum dicebat, *paraſti in dulcedine tua pauperi Deus:* quaſi diceret, quoties animus meus ad eam redigebatur paupertatem, vt voluptates omnes mundiales haberet odio, *tunc paraſti in dulcedine tua pauperi Deus:* tunc Euchariſticum ferculum inſtituiſti, vbi non guſtabo perituram voluptatem, ſed vera, ſed æterna, ſed Diuina fruar, illa inquam qua Parens æternus delectatur, quia te filium eius continet in quo ſibi ipſe bene complacuit, *paraſti in dulcedine tua:* adeo vt in hoc ſacratiſſimo ferculo non minorem ſuauitatem illa qua Deus ipſe fruitur, homini impertiatur, hoc eſt, ea qua ſibi in vnigenito complacet ac delectatur; neque omni homini illam intellige conferendam, ſed ei ſolum quem voluptatum mundialium deſpectus, effecerit pauperem, vnde bene Auguſtinus: *paraſti in ſuauitate tua egenti Deus, in tua ſuauitate, non in illius facultate, egens eſt enim quoniam infirmatus eſt vt perficiatur, agnouit ſe indigentem vt repleatur:* hæc profecto vna eſt ſuauitas fidelibus in hac vita expetenda, fugiat honorum, opum ac voluptatum appetentiam, qui ſuauiſſimi huius ferculi ſuauitate voluerit ſaginari.

Pſal. 67.

Auguſt. hic.

FERCVLVM PASSIONIS.

Diſcurſus Decimus.

Cant. ca. 4. SPonſus egredientem dilectam admiratus, ita eius laudauit ingreſſum in Canticis: *emiſſiones tuæ paradyſus, malorum punicorum, cum pomorum fructus:* alia lectio habet, *egreſſiones tuæ:* quaſi diceret ô ſponſa mea chariſſima primus egreſſus tuus in mundum tantam redolet ſuauitatem, vt paradyſus videare, ſicut enim ille ſuaueolentem vndique odorem efflabat, ita & tu Diuinum ac cœleſte quiddam ſpiras; Rupertus hæc intelligit de Beatiſſima Virgine, quod vt facilius percipi poſſit, ad benedictionem quam Moyſes dedit tribui Ioſeph, nobis eſt recurrendum; inter cætera enim illi benedicit *de* Deut. c. 33. *pomis fructuum Solis & Lunæ*: quibus verbis ad litteram id optat vt fructus terræ quæ in ſortem illi tribui eſſet ventura, non leuem prouentum afferant, Luna illis ſuis influxibus dante incrementum, & Sole maturitatem conferente; Rupertus Abbas ſecundum allegoriam hæc intelligit de filio Dei Incarnato, ipſe enim pomum eſt ſuauiſſimum Solis & Lunæ, vis ſcire quomodo? audi illum ſic fantem: *nam iſte benedictionis filius,* Rupertus in cap. 33. Deuter. *non de Sole tantum, neque de Luna ſola, id eſt, non ex Diuina tantum, neque de ſola humana, ſed de vtraque Deus & homo vnus idemque conſiſtit natura, & de ſole quidem, id eſt, de natura Diuina immutabilis atque impaſſibilis erat, de Luna vero, id eſt, de humana natura varietatibus noſtris paſſibiliter ſubiacebat:* hoc ſane Diuinum pomum eſt, ſed pomum Solis & Lunæ, hoc eſt, Diuinitate conſtans & humanitate, pomum tantæ ſuauitatis, ac odoris, vt ſuo aſpectu vniuerſum beatorum recreet exercitum, quid enim ſuaueolentiorem ſpirare odorem poteſt? eo, quod cœleſtium

Digitized by Google

leſtium omnium aromatum compoſitionem in ſe admittit; hocpomum eſt, fatali illi paradyſi malo oppoſitum, ſpirauit hoc quidem aliquid ſuaue, habuit quiddam humanis non iniucundum obtutibus, ſed lethale fuit, ſed ſuo blando cortice virus clauſit, ratione præcepti de eo non comedendi, at vero pomum Diuinum & habet exterius venuſtatem, & in ſe miram continet ſuauitatem ac ſubſtantiam; Iam vero ad locum Canticorum redeo, in quo ſponſus cœleſtis Beatiſſimam Dei parentem demiratus filium Dei aluo geſtantem, ait, *emiſſiones egreſſiones tuæ paradyſus:* quaſi diceret, nuſquam paradyſus fertilibus conſitus plantis, ac odoriferis refertus arboribus, talem odorem ſpirauit, ſicut tu quæ Diuinum Solis & Lunæ pomum, hoc eſt, Verbi perſonam Diuinitate & humanitate conſtantem, geſtans in vtero cœleſtis effecta es paradyſus, ac ſuaueolentem adeo omnium cœleſtium chariſmatum odorem efflaſti, vt non ipſos ſolos mortales, ſed beatos quoque cœlorum incolas mira perfuderis ſuauitate; *emiſſiones egreſſiones tuæ paradyſus:* Quæ cum ita ſint, nihil mihi faciendum putem quam ſi ad virgineum hunc paradyſum animi paſſibus accedam, nullo vallatur Cherubino, nullus verſatilis gladius eius prohibet introitum, pandit omnibus ſuas fores, quo fit vt ad eum accedere audeam, quo vel leni eius odore perfundas, neque enim fieri poteſt quin optatam gratiam mihi dignetur impendere.

Atrox filii Dei paſſio, eiuſdem ſacratiſſimum corpus, nobis reddidit manducabile: idcirco præcepit olim Deus in Leuitico, vt qui in ſartagine oblaturus eſſet ſacrificium, farinam oleo mixtam acciperet, vt apte cocta, comeſtioni etiam apta redderetur: *ſi oblatio tua fuerit de ſartagine, ſimilæ conſperſæ oleo, & abſque fermento diuides eam minutatim, & fundes ſuper eam oleum*: ſed quid obſecro ſibi vult ſartago, quid ſimila? Iſichius affirmat ſartaginem Crucem Domini, ſimilam vero eiuſdem corpus ſub Euchariſticis ſpeciebus exiſtens ſignificare; ſed oritur

Leuit. ca. 2.

Iſichius in ca. 2. Leuit.

ritur grauius dubium, ad quid enim Sacramentum hoc in ſartagine? quorſum corpus Chriſti conſecratum conſtituere in Cruce? reſpondet id fieri, quia eodem modo quo ſartago inſtrumentum eſt quod igne calefactum cibum coquit ac diſponit vt poſſit edi; ita & crux Domini fuit ſartago quæ duplici paſſionis & dilectionis igne calefacta, ita Chriſti carnem coxit, vt eam in Euchariſtiæ Sacramento reddiderit manducabilem: ſed præſtat audire Iſichium, *Crux quoque ſuper omnia fortis, omnem creaturam Chriſto ſubiecit, & carnem eius quæ ante paſſionem eſui videbatur non apta, poſt aptam fecit, ſi enim non fuiſſet Crucifixus, ſacrificium corporis eius non comederemus, quod modo in memoria paſſionis eius facimus*: antequam calefieret crucis ſartago, & Chriſti carnem coxiſſet, nemo poterat aut volebat ex ea guſtare, voluit filius Dei aliquando illam porrigere ad eſum, quod ita inauditum viſum eſt, vt paſſim omnes dixerint, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* nec mirum, cruda enim erat, crucis ſartaginem necdum experta, non poterat eſui apta eſſe, ſed vbi in cruce fuit, ac igneas amoris & doloris flammas ſenſit, ô quam bene cocta quam diſpoſita extitit ad eſum, id in dies experiuntur multi, qui mira in ea comedenda iucunditate atque voluptate perfunduntur.

Prou.c.14. Quiddam elegans in hanc rem ſuggerit Salomon cum ait, *vbi plurimæ ſegetes manifeſta eſt fortitudo bouis:* Aquila legit, *Iuuenci:* Symmachus *Tauri:* nihil efficacius Tauri qui aratrum duxit, prodit vires, quam magna frumenti copia: Propheta Abacuc Diuinum hunc Taurum deſcribit, ſuis cornibus populos & nationes velitantem, cum ait, *cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius:* ſpectatur filius Dei Taurus ille Diuinus in Caluariæ vertice, vt velitet nationes, ideo geſtat in manibus geminum crucis cornu, quibus prodigioſa patrat, inferorum valuas reſerat, ac ſuperbum mundi huius euertit coloſſum: quis non in eo ſummam huius Tauri fortitudinem demi-

Abac.c.3.

demiretur? quis non putet, ſummam eius potentiam in his patrandis prodigiis glorioſiſſime emicare? & tamen, *ibi abſcondita eſt fortitudo eius*: necdum ſufficienter ſe prodit: vbi ergo? reſpondet Sapiens, *vbi plurimæ ſegetes, ibi abſcondita eſt fortitudo Tauri*: omnem fortitudinem Taurus habet in cornibus, quam prodit, cum excultus campus, magnam frumenti copiam porrigit agricolæ, ita etiam ſumma Chriſti fortitudo enituit, cum terra corporis, eius crucis aratro exculta, Euchariſticum frumentum adeo copioſe produxit, vt nemini fidelium ad extrema vſque pereuntis mundi tempora ſit defecturum: ita me docuit Vir grauis in illud Ioannis ſcribens, *caro mea vere eſt cibus*, ait enim, *hic in hac Euchariſtiæ menſa, patentiſſime oſtenditur, & Cruciferi aratri, & Diuini Tauri labor & efficacia:* Cum filius primum Euchariſticam menſam inſtituit ac dixit, *ego ſum panis viuus*, quidam inuidi vt bene adnotauit Carthuſianus, dixerunt illico, *mittamus lignum in panem eius & eradamus eum de terra viuentium:* quaſi dixiſſent ſeſe inuicem aduerſus Chriſtum prouocantes; ſe eſſe panem affirmat, ſed in illum ligni immittamus fragmentum, vt nemo de hoc pane comedat, cui faucibus ligno adhærente, mori non ſit neceſſe, infami crucis ſtipiti, hominem hunc affigamus, neque enim meliori modo lignum in eius panem fuerimus immiſſuri: ſed quid accidit? profecto omnino oppoſitum, crucis enim lignum miſſum in hunc panem, non modo non nocuit, quin imo illum ſuauiorem reddidit, nec alio poterat modo iucundius condiri quam in cruce. Eleganter Origenes, *ego admirabile quiddam inferam, lignum miſſum in panem, eius panem fecit meliorem.*

Didacus in ſuis comment. Euang.

Orig. hom 8. in Hier.

Apoſtolus de Abelis ſacrificio, quod venerabilis Sacramenti ac ſacrificii ſimul typus eſt & figura, diſſerens, ait, *fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit:* Abelis & Caini ſacrificium quantum ad religionis cultum fuit æquale, vt bene adnotauit Rupertus: *fide plurimam, nam cultu vel religione pa-*

Hebr. cap. 10.

Rupertus lib. 4. de

Y *rem*

Digitized by Google

Trinit. & oper. eius cap. 2. *rem vterque obtulit hoſtiam*: quid ergo cauſæ eſt quod duobus his ſacrificiis, religione & cultu æqualibus, illud Caini ita fuerit Deo exoſum, vt de eo nequicquam acceptarit, ſacrificium autem Abelis cœleſtis flamma abſumpſerit? reſpondet Apoſtolus, *fide plurimam*: ſed quid habuit hæc fides quo Abelis ſacrificium ita Deo reddiderit acceptum? rationem dat Rupertus, *in fide paſſionis eiuſdem filii Dei, quem tali ſacrificio præſignari condecuit*: prudentiſſimus fuit Abel, ſciebat enim auguſtiſſimum Sacramentum in cruce duplici amoris & paſſionis flamma coquendum, offerens igitur ſacrificium ſuum quod huius erat typus & figura, cum fide eiuſdem paſſionis id fecit, vt hoc modo coctum, Deo gratius redderetur. Chryſoſtomus, illud Euangelii examinans, *duodecim ſuperfuerunt fragmentorum cophini*: quærit quorſum panis de quo filius Dei quinque hominum millibus ſatisfecit, parcus adeo fuerit, vt non niſi duodecim corbes ſuperfuerint, cum tamen Euchariſticus poſt duodecim ſolum diſcipulos ſatiatos, adeo fecundus extiterit, vt mille etiam mundis potens ſit præbere ſatisfactionem, tum reſpondet, *paſti ſunt quinque millia, vbi igitur ſunt cibi reliquiæ? duodecim ſuperfuerunt fragmentorum cophini, quibus reſpondet par gratia: Crucifixus eſt Dominus & ſemper paſcimur, ac ſaturi rurſus quærimus, & plus reliquum eſt, inexhauſta eſt gratia*: panis quem filius Dei quinque hominum millibus miniſtrauit, crudus fuit, non fuerat crucis expertus ſartaginem, ideo plene non ſatiauit edentes, ac ſoli duodecim ſuperfuere corbes, ſed Euchariſticus longe alterius eſt ſubſtantiæ, duplicem charitatis ac paſſionis ignem ſenſit, quo ita coctus ac ſuauis effectus eſt, vt non ſolum mira ſuauitate ſaginet edentes, ſed & in Eccleſia Dei nuſquam defecturus ſit: Petrus Cellenſis eiuſdem videtur eſſe ſententiæ, ſpeculatus enim Chriſtum Philippo dicentem, *vnde ememus panes vt manducent hi*: ſic illum alloquitur, *Domine Ieſu non quæras à Philippo, quære à proditore tuo, hic habet marſupium vnum cum ſcribis & Phariſæis,*

Chryſoſt. Orat. in paraſc.

Petrus Cellenſ. li. de panib. cap 1.

Digitized by Google

riſæis, hic inſidiatur ſanguini tuo, hic habet denarios triginta, vnde panes emantur ad ſatietatem omnis carnis: nunquid meliores erant pecuniæ quas Philippus erat daturus, quam quas Iudas? minime vero ait Cellenſis, panis enim quem Seruator ad populi famem explendam poſtulabat, figura erat Euchariſtici, quia igitur nihil eum adeo ſuauem ac ſapidum poterat efficere quam paſſio, idcirco triginta denarios quos Iudas vt paſſioni daret initium, præparauerat, expetiit, quo ex hac ſaltem parte panis hic ſuauior redderetur: & profecto eſt veriſſimum, Chriſti paſſionem & acerbos cruciatus carnem eius nobis feciſſe manducabilem, quo fit vt voluerit eiuſdem paſſionis homini eſſe perenne memoriale, *hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis:* ait S. Ioannes: qui ergo digne hoc paſſionis Chriſti ferculum ſumere voluerit, dolorum eius acerbitatem memoria repetat neceſſe eſt, ad hoc enim fuit inſtitutum vt ſacratam recordationem animabus noſtris ſuggereret, quod primum oſtendam, poſt quomodo ad illud nobis ſit accedendum.

PARS PRIOR.

Bernardus Dei erga genus humanum contemplatus dilectionem, exclamat: *at vero qui me tantum & ſemel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & geſſit mira & pertulit dura:* in prima conditione hominis, admiranda ſane patrauit omnipotens, ſed in eius reparatione, adeo amor inualuit vt longe præſtiterit maiora, *& geſſit mira*: ſcirem libenter quid amor mirum illi in redemptione homines fecerit operari? id profecto fuit, quod tertio mortem oppetierit, mortuus eſt antequam moreretur, mortuus eſt moriendo, & iterum poſt mortem mortuus, videamus primum. Ioannes videt agnum iam ab ipſis mundi incunabulis occiſum, *agnus qui occiſus eſt ab origine mundi:* cum adhuc Verbum Dei in ſinu Patris verſaretur, antequam naturam humanam aſſumpſiſſet,

Bernardus tract. de dilig. Deo cap. I.

Apoc. c. 13.

Digitized by Google

iam ab ipſa orbis origine mortuus eſt, amor enim quo erga nos ardebat, voracibus adeo illum incendebat flammis, vt cum realem mortem ſubire ab ipſo mundi non poſſet initio, ſaltem in ſuo mori voluerit ſimulachro, quid aliud Tauros, hircos, arietes fuiſſe cogitatis, quam filii Dei ſimulachra & imagines? ita Paulus, *omnia in figura contingebant illis*, quod lex naturæ vidit immolari, quod populus Iſrahel in ſui templi atrio voracibus vidit flammis abſumi, id omne ſapientiæ Diuinæ imaginem exprimebat. Rupertus aperte dicit agnum Paſchalem, Diuini agni retuliſſe effigiem: *& in hac quidem figura agni qualis res indita ſit, ex eo maxime clareſcit, quod Ioannes Chriſtum digito demonſtrans, ecce inquit agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* agnus ergo quem Abel immolauit, omniaque ſacrificia Deo à prima conditione mundi oblata, fuerunt effigies, in quibus voluit filius Dei mori. Quærit ſubtiliter Tertullianus, cur præproperam adeo mortem voluerit ſubire? quem in fine toties mactari quoties ſacerdos victimam ingulabat? & reſpondet, *taceo quod figitur, in hoc enim venerat, nunquid tamen ſubeundæ morti, etiam contumeliis opus fuerat? ſed ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus nolebat:* quaſi diceret, antequam filius Dei ex ſinu Patris deſcenderet vt homo fieret, voluit prius exercitio patientiæ ſaginari, videns enim ſe in tot victimis quaſi imaginibus iugulari, mira voluptate delibutus, incredibiliter impinguabatur, vt cum poſt in plenitudine temporis ad Caluariæ deduceretur lanienam, pinguior victima offerretur, *ſed ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat:* quaſi tanta fuiſſet illi iucunditas in tolerantiæ exercitio, vt non potens eius amplius ferre dilationem, ab ipſa mundi origine voluerit, in ſuis emori ſimulachris, quam bene id inſinuat Diuina Sapientia cum dicit, *& delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum:* quemadmodũ Princeps qui ſuperbam aliquam ædificii molem volens erigere, prima eius in arena vel carta iacit lineamenta, ita Chriſtus

Rupert lib. 11. de Trin. & operib. eius cap. 5.

Tertull. li de patient.

Prou. ca. 8.

Digitized by Google

ſtus volens aliquando in Caluaria acerbam ſubire mortem, longe ante delectatus eſt eiuſdem mortis aliquas lineas ducere, quot hoſtiæ, quot victimæ, crepitantibus flammis templi atrium repleuerunt, tot lineamenta ſuæ mortis, tot effigies atque ſimulachra, in quibus extremum diem egit: vt agnoſcat homo tanta in eum dilectionis flamma arſiſſe, vt non potens expectare mortem in Caluaria decretam, illam longe ante ſubire, fuerit delectatus.

Mortuus etiam eſt moriendo, cum ſceleratiſſimi Iudæorum pontifices, infami illum morti tradiderunt; ſed dicet aliquis, ſat fuiſſe ad redimendum hominem, tot præcedentes quas in ſuis imaginibus mortes pertulit, nec oportuiſſe realem ſubire? relictis aliis quæ in rem hanc afferri poſſent rationibus, vnam ſuggeram, quam me docuit Propheta dicens, *vlulabit mors ab Adam:* Theodoretus pulchre quærit, *quare cum Adam peccaſſet, Iuſtus Abael mortuus eſt*: & reſpondet id factum, vt effera mors, mundum ingreſſa, pedem male figeret, quo non eſſet eius regnum in homines perpetuum, dicit Apoſtolus, *ſtipendium peccati mors:* Græcus habet, *centrum autem mortis peccatum eſt:* Adam cum eſſet peccator, ſi primus diem ſuum clauſiſſet, mors mundum ingreſſa, in ſuum centrum intraſſet, atque ita diutiſſime in illo obtinuiſſet dominium; moriatur ergo Iuſtus Abel, vt male figat illa pedem, ac in ipſo introitu nihil ſibi conforme reperiens, greſſum fallat: ſed præſtat audire Theodoretum, *debile eſſe voluit mortis fundamentum, ſi enim Adam prior obiiſſet, firmiore fundamento mors niteretur, primum mortuum excipiens peccatorem, quia primum recipit eum qui iniuſte occiſus erat, dubium fundamentum habet:* mundum ergo per iuſtum Abelem ingrediens, greſſum fefellit, cadenſque graui ſe læſione percuſſit, quo concipere incepit timorem, ſe aliquando ex accepto vulnere morituram*: vnde vlulabit mors ab Adam:* quemadmodũ canis qui inter duas fores concluſus, latrat ac vlulat triſtiſſime, ſe multi ictibus

Theodor. quæſt. 46. in Gen.

Rom. ca. 6.

Digitized by Google

bus in egreſſu flagellandum præſentiens, ita & mors per iuſtum quaſi per portam mundum ingreſſa, voluit Deus vt alteram quoque, iuſtus Chriſtus clauderet, vt inter has duas fores intercepta, miſerandum in modum gemeret ac vlularet, videns enim ſe mediam inter hos iuſtos, ac præſentiens ſe in egreſſu occidendam virtute mortis Chriſti, ideo *vlulabit mors ab Adam*: fuit ergo neceſſe Chriſtum realem mortem ſubire, vt alteras morti fores clauderet, eamque ſua morte ſempiternæ daret internecioni.

Sed hæc etſi magna, etſi mira, etſi prodigioſa parum curauit amor, niſi etiam addidiſſet & tertium, vt filius Dei poſt mortem iterum moreretur, quod accidit in Euchariſtia, in qua myſticam patitur mortem, id me docuit ingenioſus Rupertus cum ait, *Dominus noſter non tunc ſolum vel tunc primum immolatus eſt, quando à Iudæis in cruce ſuſpenſus eſt, ſed & pridie quam pateretur, quando accipiens panem & calicem benedixit & dedit diſcipulis ſuis, dicens, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, ſuis manibus immolatus eſt, ſuis ipſe manibus, nobis vt iugiter immoletur, agnus commendatus eſt:* quotieſcumque ſacerdos rite ſuper aptam materiam verba conſecrationis profert, toties filius Dei mortem myſticam patitur: adeo vt auguſtiſſimum Sacramentum non ſit aliud quam ſacrificium non cruentum, aut funus ſiue exequiæ quas Eccleſia celebrat in memoriam mortis ſui ſponſi, vt ait idem Rupertus, *aufer à cœtu Eccleſiæ quotidianas Saluatoris noſtri huiuſmodi exequias, & vide quam merito dicat ipſe Saluator, quæ vtilitas in ſanguine meo:* iam ergo vides Euchariſtiam funus ſiue exequias eſſe Seruatoris, in quib. myſticam mortem ſubit, eiuſque ſponſa Eccleſia memoriam & commemorationem facit eius paſſionis. Auguſt. dicit idem Chriſto in paſſione conſtituto, quod Principi menſæ aſſidenti contigiſſe; ſolent illi lances coopertæ offerri, nec vſquam quid claudant agnoſcit niſi retegantur, Pater æternus vnigenito ſuo epulum inſtruxit, quod ſolas lances tectas continebat,

Rup lib. 6. de Diuin. offic. c. 12.

Rup. lib. 2. de Diuin. offic. c. 10.

Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei.

Digitized by Google

bat; iuſſit primo Oeconomos ingredi ſuum quemque ferculum gerentes, primus ingreditur Abel agnum geſtans, in figuram illius agni qui erat in Caluaria mactandus: ſequitur Abraham cum ariete cornibus inter vepres hærente, ſpineæ agni coronæ typum, adeſt Iſaac Crucis ligno onuſtus in quo ſuſpendi debuit Seruator, Dauid ferculum habet præ manibus felle & aceto plenum: geſtabat Ionas cœtum grandem in figuram ſepulchri. Hæc ſunt clauſa fercula quæ menſam onerarunt, & quatuor annorum millibus nunquam deſtiterunt quin ad illam inferrentur; obſerata ſunt, ac nemo nouit quid claudant, ideo Seruator vicinus vt aſſideret paſſionis menſæ, dicit Apoſtolis, *ego cibum habeo quem vos neſcitis:* quod mirum quod ipſi ignorarent, quandoquidem clauſa erant fercula? iam tuum eſt ô Diuine princeps has lances reſerare, hora eſt vt menſæ aſſideas, ac deglutias omnia, nequicquam relinquendum? *ſurgite eamus*: ecce menſæ aſſidet, ac ita fœliciter reſerauit lances, vt eas euacuarit, tantaque perfuſus ſit ſuauitate, vt cum vacuæ eſſent, rogauerit num eſſet aliud iterum comedendum, *ſitio ſitio*: Idem plane Seruatori accidit cum Euchariſtiam inſtituit ait Paſchaſius: *nihil defuit in hoc Sacramento ad commemorationem paſſionis, quod tunc extitit in cruce in conſummationem noſtræ redemptionis*: duo ſolum fercula in hoc Euchariſtico epulo miniſtrantur, ſpecies videlicet panis & vini, fercula operta ſunt, non videtur quod claudunt: Aperi iam, aperi fidelis anime duas has lances cum viuæ fidei oculo, & in ipſis idem quod in Caluaria ſtatim deprehendes, quid te deglutire autumas, dum ad hanc menſam accedis? Abelis agnum comedis, ſpineam degluris coronam, verbera, clauos, lanceam, fel & acetum bibis, & vt vnico verbo omnia dicam, Chriſti corpus in Cruce extenſum manducas: ita me docuit S. Iacobus in ſua lithurgia cum ait, *taceant mortales & ſtent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim regum Chriſtus Deus noſter exiſtit vt mactetur, & detur*

Paſchaſ. li. de corp. & ſang. Dom. cap. 11.

S. Iacob. in ſua lithurg.

tur in cibum fidelibus: in duabus igitur myſticis lancibus Chriſtus adeſt, ſed eo modo occiſus quo in paſſione, quia Euchariſtia ferculum paſſionis eſt quo Seruatoris noſtri funus & exequias celebramus.

S. Gaudentius Serm. de Euchar.

Addam beati Gaudentii argutiam, qua præſentem materiam non parum illuſtrabo, dicit enim, *ſacrificium miſſæ eſt exemplar paſſionis Chriſti*; vt acumen intelligas nota cum Magiſtro ſententiarum in paſſione Chriſti duo fuiſſe, actionem nempe & paſſionem, *actio fuit odioſa, paſſio fuit grata:* ait ille: paſſio filii Dei in cruce, ſanguinis & vitæ eius in remedium hominum, Patri æterno oblatio, cœlo terræq; e gratiſſima extitit, quandoquidem, *maiorem charitatem nemo habet quam vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis*: Sed eius Crucifixio, ſacerdotum ad mortem condemnatio, carnificum lanienæ, ſceleratiſſimæ, Deoque odioſſimæ fuere, adeo vt ſi cruentum hoc ſacrificium quod ara crucis excepit, diſplicere Deo potuiſſet in aliquo, ſine dubio id fuiſſet, propter ſceleratam illorum barbariem qui eum trucidabant. Cum igitur S. Gaudentius nominat Euchariſtiam, *exemplar paſſionis Chriſti:* vult dicere, exemplar quidem eſſe, ſed ſine litturis & maculis peccatorum, ſcribit nobilis Regi, ſed cadens atramentum totam cartam inficit, aliquid delet in epiſtola, videns itaque tot oppletam maculis, aliam mundam deſcribit, lituris vacuam quam eius vocat exemplar, hancque Regi mittit: Quæro iam quænam Regiis oculis futura ſit gratior, in ſubſtantia eædem ſunt, nec plus vna continet quam altera, quæ tamen mundior & ſine dubio futura eſt acceptior, cruentum ſacrificium quod effera Iudæa in Caluaria celebrauit, idem omnino fuit cum eo quod celebratum eſt in cœna, quantum ad ſubſtantiam, illud tamen multis peccatorum litturis eorum qui id mandabant executioni, fuit oppletum, Euchariſticum autem eius exemplar eſt, ſed ſine litturis, ſine maculis vllis, in illo efferi milites Chriſtum erexerunt in altum in cruce, in

Magiſter ſenten.

hoc

Digitized by Google

hoc ſacerdos eumdem eleuat, vt offerat Patri, *illic* qui eum pendentem in patibulo ſceleratis intuebantur obtutibus mille horrendas blaſphemias euomebant, hic qui illum adſpiciunt, ſummo cultu & adoratione venerantur; adeo vt rationi ſit conſentaneum hoc Deo eſſe acceptabilius, quia alterius nullis peccatorum maculis infectum exemplar eſt: ſed præſtat de hac re diſſerentem audire Rupertum, *hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis, qui habet aures audiendi ſic accipit hoc dictum, ſicut lachrymabilem morientis pro filiis Patris affectum, ſicut germanæ pietatis eloquium, ſicut præacutum vulnificæ charitatis ſpiculum:* quaſi diceret, cum Chriſtus in Euchariſtiæ inſtitutione monuit vt ſui memoriam haberent fideles, ſolum intelligit vt paſſionis nõ actionis recordatio ſubiret animum, hoc eſt vt non cogitaret quiſquam carnificum immanitatem, Iudicum impietatem, barbariem Principum, ſed ſolum morientis pro liberis Patris affectum, ſed ſolam quæ illum ad ſubeundam mortem induxit pietatem, ſed ſolam dilectionis flammam quæ eius igniebat animum, horum ſolum Euchariſtia memoriale eſt, exemplar quidem eſt paſſionis, ſed mundum, ſed peccatorum notis vacuum.

Rupert. li. 2. de Diuin. Officiis. c. 10.

Quis non videat ſapientiſſimam hanc amoris inuentionem fuiſſe, vt filii Dei paſſiones ac dolorum aculeos potabiles redderet: res adeo horrenda prima fronte videbatur, paſſionis huius in ſe ipſa cogitatio, vt nemo potuiſſet ſe ad illam deglutiendam diſponere, ſed ſapientiſſime fecit amor, nam quemadmodum prudens Medicus qui timens ne venenum quod propinandum eſt infirmo, ſua illi frigiditate noceat, ſi purum offerret, theriacam conficit, illamque variis aromatibus admiſcet quæ eius temperent exceſſum, ita filius Dei agit, ait Rupertus, *magna igitur charitatis arte pigmenta ſua Dei ſapientia compoſuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renouata quotidie ſuæ ſalutis commemoratione percelleret:* hauſerat homo lethale peccati virus, quod in pomo ſerpens propinauerat,

Rupertus vbi ſupra.

erat, vnicum vt venenũ hoc euomeret remedium erat, ſi peccati antidotũ q. eſt Chriſti paſſio, deglutiret, vòlo dicere ſi cuilibet homini in particulari applicaretur, vt hoc modo virus interiora noſtra depaſcens à contrario abſumeretur, ſed quis adeo acre antidotum ſumere potuiſſet? quis comediſſet Seruatoris paſſionem? quis eam quæ mortem filio Dei intulit, ſine morte toleraſſet? profectò nemo, idcirco amor ſapiens Diuinam compoſuit theriacam, auguſtiſſimum videlicet Sacramentum, in quo paſſionem & mortem Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus temperatam, reddidit potabilem, vt ait Rupert. *magna igitur pietatis arte pigmenta ſua Dei ſapientia compoſuit*: hæc autem ars fuit Euchariſtiæ inſtitutio, quam fecit tanquam omnium quos perpeſſurus erat dolorum memoriale, vt illam comedentes, paſſionem etiam eius ſine labore ederemus, ac eius perciperemus effectum, qui non eſt alius quam vt peccati virus euomamus, & à corruptione reddamur immunes. Damaſcenus id docet eleganter cum ait, *eleuatur in manibus ſacerdotis in Crucem, & frangitur, & diſtribuitur, & in nobis ſepelitur, & facit nos ſecum à corruptione liberos*: Inuentum plane Diuinum, quod manducabilem ac proficuam nobis reddidit Chriſti paſſionem, nobis eiuſdem effectum applicando, per dignam Sacramenti ſuſceptionem, quod eius memoriale eſt, & exemplar nullis ſcelerum maculis obſitum.

Damaſc. lib. de corp. Chriſti.

PARS ALTERA.

Guarricus. Serm. in ram. palm.

Guarricus Abbas hoc cœleſte paſſionis ferculum iiſdem cum Damaſceno oculis intuitus, nos ad eius ſumptionem hac pulcherrima oratione inuitat, in perſona Chriſti: *ne verearis ex morte mea, damna ſeruitii tui ò ſerue meus, maneo tibi etiam comeſtus & bibitus, manebo tibi integer & viuens, ſeruiam vt prius: ſi infirmaris, & mori times, ego morior pro te, vt de ſanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ*: myſticam mortem ſubit in Sacra-

Sacramento altaris, vt nobis mortem, paſſionem, ac ſanguinem applicet, medicamenti in modum, quod infirmitatibus noſtris afferat medelam; & veluti antidotum, quod lethale peccati virus faciat nos euomere, nihil magis proficuum animæ Deoque acceptum, quam ſi communicans, mortem eius & paſſionem, quæ Chriſti corpus reddidit manducabile, habeat in memoria, ſanctiſſimum eſt hanc habere præ oculis, ad eamque ſolam tunc temporis intueri, id poſtulat agnus Diuinus quem comedis, ſub Euchariſticis ſpeciebus, id te rogat, ne recuſes? Cum Deus in Exodo iuſſit Moyſi, vt ſeſe populus ad agni paſchalis eſum diſponeret, voluit inter cætera, vt familia quælibet paſchalem agnum haberet præparatum à decima die Lunæ menſis Niſan, qui cum Aprili noſtro coincidit, vſque ad decimam quartam, quo tempore debebat edi: *& ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius:* Rupertus miratur Deum iuſſiſſe ita cito præparari, cum quarta tantum poſt die deberet cedere in cibum, quid erat tanta anticipatione opus, *vt quid tamdiu ante tollent, tanto tempore ſeruaturi?* & reſpondet, *videlicet dum ille præſto eſt, cauſa quoque eius corda veſtra ſollicitet ne ſitis immemores vel imparati, quia tranſeundum eſt, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet, quoties enim balatum emittit, toties quaſi tubæ ſonitus, exituras caſtrorum acies excitet:* ratio erat ait ille, vt quoties agnus emitteret balatum, populo reuocaret in memoriam, copias ex Ægypto diſceſſuras, Nemo dubitat paſchalem agnum, verum fuiſſe auguſtiſſimi Sacramenti typum, in quo realiter exiſtit Diuinus agnus quem Iudæa infœlix in Caluaria occidit, quæ te ſubit cogitatio, cum Eccleſiam ingreſſus, Euchariſtiam vides expoſitam, vel cum illam ſacerdos tibi in os ingerit vt communices? quid inquam tibi putas Diuinum hunc agnum ſuggerere quid rogare te autumas, quo te balatu affari? ſine dubio idem tibi ab eo dici cogita, quod olim paſchalis agnus Hebræo inclamabat, *quoties*

Exod. c. 12.

Rup. lib. 11. de Trinit. & operib. eius cap. 3.

ties enim ille balatum emittit, toties quaſi tubæ ſonitus exituras caſtrorum acies excitet: quod à nobis poſtulat, eſt vt in memoriam veniant tubæ, quæ in omnibus plateis Hieruſalem, impiam mortis eius ſententiam proclamabant, vt cogitemus militum Romanorum barbaras cohortes, impiam ſcribarum & Phariſæorum turbam, ſceleratam populi multitudinem quæ muros egreſſa, eum ad ſupplicium fuit comitata, denique vt illum nobis in imaginatione pingamus crucis arbori, noſtri cauſa affixum, hæc agni balatus clamat, hæc poſtulat, ſciens quod ſi quis ſimilibus cogitationibus occupauerit animum, impoſſibile ſit quin dilectionis igne incaleſcat, firmior reddatur in fide, ac in ſpe maius ſuſcipiat incrementum, quæ tria optima ſunt diſpoſitio ad actualem agni huius Euchariſtici

Rup. lib. 2. de Diuin. offic. c 10.

ſuſceptionem: Præclare ſane id aſſerit Rupertus his verbis, *refrigeſcente enim ea quæ hoc modo nunc vbique calet eius memoria refrigeſcet vniuerſa charitas, miſta erit fides, claudicabit ſpes, conticeſcet magnus ille clamor ſanguinis Iuſti Abel:* hæc ille.

Anaſtaſ. Sin. lib. 3. in hexam.

S. Anaſtaſius Sinaita, affirmat Chriſti Crucem arborem eſſe vitæ, cuius fructus ſit fili⁹ Dei in ea pendens, *Eccleſia germinat lignū crucis: ſed nobis ſolis fertile, faciens autem fructum: & aſpectu pulchrum, & bonum ad veſcendum, nempe Chriſtum crucifixum quem colligimus ex parte Iuſti latronis:* ſola ergo Eccleſia eſt paradyſus qui crucis producit arborem, in quo ſcientiæ fructus, id eſt, Chriſtus crucifixus pendet, ſed quomodo fructum hunc Diuinum fas erit colligere? qua ratione de eo guſtare nobis concedetur? reſpondet Anaſtaſius, *quem colligimus ex parte boni latronis:* id facile erit cuique, ſi iuſti latronis ſubeat vices, pendebat ille in latere dextro Seruatoris vt affirmant Patres: ergone quotquot ſeſe in latus illud recipient, hunc erunt fructum collecturi? multi dubio procul militum & carnificum ex illa parte ſuam exercebant lanienam, anne ideo eius fient participes? Minime ſane, adſtabant quidem carnifices & Iudæi, pendulum ex cruce conditoris orbis corpus ſpecta-

ſpectabant, ſed coruino, ſed vulturino obtutu, optaſſent enim ſacratiſſimis eius adhuc viuentis carnibus ſatiari, ſpectatores erant, ſed blaſphemantes, ſed illudentes, ſed obgannientes; ſanctus vero latro, aliter ſe gerebat; intuebatur ſui conditoris pendentem in ſtipite humanitatem, ſed ille obtutus, Diuinarum laudum, atque Diuinitatis eius confeſſionis exprimebat affectum, *memento mei dum veneris in regnum tuum*, videbat illum in cruce, ſed columbinis oculis, ſine felle, ſine inuidia, quo ita compaſſionis affectus, cordis illi pungebat intima, vt inde prorumperet in gemitus columbinos, vultis gementem audire, attendite quid ſcelerato ſocio ingerebat, *nos digna factis patimur, ille autem nihil mali fecit*: vnde ex crucis arbore fructum collegit qui eum reddidit beatum; Vis igitur eodem fructu paſci? vis hoc paſſionis ferculum cum profectu mandere? ſta ex parte boni latronis, ne illud intueare, ſicut multi qui conſecratam hoſtiam aſpiciunt, abſque eo quod de Seruatoris paſſione vel minimum habeant cogitatum, vel affectum compaſſionis, ſed quemadmodum iuſtus prædo, columbinis obtutibus, finge illum tibi in animo pendentem ex cruce, vulneribus obſitum, vepribus in formam mali punici coronatum, ac iuſto doloris ſenſu percitus, in columbinos gemitus prorumpe, ſtatum illius geme, peccata tua quæ illum confoderunt, grandi luctu proſequere, tunc Diuini huius pomi fructum guſtabis, ita Gregorius Romanus: *neceſſe eſt vt cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus*: hæc ille; iam ergo habes, communicantem paſſionis ac mortis Dominicæ debere eſſe memorem, vt hæc cogitatio affectum compaſſionis mouens, gemitus eliciat ex pectore, quibus diſponatur animus ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem. Greg. Roman. lib. 4. dialog. ca. 34.

Id ſatis perſpectum habuiſſe ſponſa videtur in Canticis, cum ita ſocias inuitat: *egredimini & videte filiæ Sion regem Salo-* Cant. ca. 3.

Digitized by Google

monem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis, & in die lætitiæ cordis eius: videam[9] primũ quis ſit deſpõſationis dies, vt poſt agnoſcamus coronã ad cuius intuitũ filiæ Sion inuitantur, Philo Carpathius, Iuſtus, Anſelmus, & Aponius, affirmant Chriſti cum Eccleſia deſponſationem, paſſionis tempore fuiſſe celebratam, in Euchariſtico quaſi nuptiali epulo. Loquatur Theodoritus, *edentes igitur ſponſi membra, & bibentes eius ſanguinem nuptialem, ipſius communionem aſſequuntur:* his ſuppoſitis auguſtiſſimum Sacramentum, nuptiale fuiſſe epulum ad celebranda Chriſti cum Eccleſia ſponſalia, tempore paſſionis videndum qua tum fuerit corona redimitus, Tertullianus aſſerit ſpineam coronam extitiſſe, quam impia Synagoga ſacratiſſimo eius capiti impoſuit, *quale oro te ſertum pro vtroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis:* quid? nihil elegantius videndum erat in hoc epulo nuptiali, ſenticoſa corona? aliis forſitan carebat monilibus ſponſus quibus comam nobilitaret, vt neceſſum fuerit ad ſolum veprium aſpectum filias Hieruſalem inuitari, quid elegantius venuſta eius facie quæ illum hominum reddebat ſpecioſiſſimum, quid pulchrius capillis aureis ipſi ſoli auferentibus decorem? quid oculis eius amœnius, genis rubicundius, ac toto venuſtius corpore, & tamẽ his omnib. prætermiſſis ſponſa, ad ſolum ſpineæ coronæ ſocias inuitat aſpectum: *in Domino pacifico mentis aciem defigite?* ait Athanaſius: *ſpectate diſpenſationis rationem in ſpinea corona, quam Chriſti capiti impoſuit Iudæorum ſynagoga:* ratio ea eſt quam iam retuli, qui enim nuptiali Euchariſtiæ epulo appropinquat, etſi multa ſint contemplatione digna, quod tamen ardentius requirit ſponſus, eſt vt ad ſpineam coronam, ad clauos, ad vulnera & paſſionem, oculos conuertamus, hoc condimentum eſt quod digne paſſionis ferculum facit ſumere, vnde Areopagita dicit, *audite conuiuium inſpectionis quod nutrit & deificat*, quod Turrianus expendens ait, *conuiuium dicitur in quo myſtica menſa apponitur:*

Philo Carpath. Iuſt. Orgel. Anſelmus. Aponius. Theodoritus lib. 2. in Cant.

Tertull. lib. de corona militis paulo ante finem.

Athanaſius Orat. de paſſ.

Dionyſ. Areop. de cœl. Hierarch. cap. 8.

tur: inſpectionis vero conuiuium vocauit, quod in hoc conuiuio myſtica ea inſpiciamus contemplatione mentis ad quorum memoriam fit, ſicut dixit Dominus, hoc facite in meam commemorationem: ad hæc agenda filiæ Hieruſalem inuitantur, qui id fecerit, tanti Sacramenti fructum percipiat neceſſe eſt. Turrianus.

FERCVLVM FORTITVDINIS.

Diſcurſus Vndecimus.

S. Athanaſius de gratia redemptionis diſſerens, elegans quiddam dixit, *gratia illa ante præparata deſignataque fuit, quam nos efficeremur, quin potius ante conſtitutionem mundi*: quibus verbis innuit omnino neceſſum fuiſſe, vt redemptionis humani generis gratia, ante primam orbis conditionem decerneretur: ſed quorſum obſecro oportuit gratiam hanc ita cito præparari, vt cuiuslibet alterius prædeſtinationem anteiret, reſpondet idem Athanaſius, *vt quamuis à ſerpente decepti excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, ſed habentes in nobis iam ante præparatam redemptionem & ſalutem, iterum reſurgentes immortales perſeuerarems, cum filius pro nobis initium viarum creatus ſit, & qui primogenitus eſt filius, primogenitum ſe fratrem reddidiſſet*: mihi videtur ſanctiſſimus hic Epiſcopus ob oculos habuiſſe quod quotidie accidit in familiis. Triſtis ac mœſta erit familia omnis ob parentis optimi obitum, qui copioſam ſobolem reliquerit ſuperſtitem, terræ adhuc adrepent omni deſtituti auxilio, gemebundæ filiæ lac poſtulabunt ad nutrimentum, filii rogabunt panem, vndique clamor & eiulatus: quid magis calamitoſum? ſi deberent hi paruuli vſque dum eorum aliquis grandior efficeretur, expectare, quis dubitat omnes fame ante perituros? prouidus tamen Athanaſ. Serm. 3. contra Arr.

Pater

bus in egreſſu flagellandum præſentiens, ita & mors per iuſtum quaſi per portam mundum ingreſſa, voluit Deus vt alteram quoque, iuſtus Chriſtus clauderet, vt inter has duas fores intercepta, miſerandum in modum gemeret ac vlularet, videns enim ſe mediam inter hos iuſtos, ac præſentiens ſe in egreſſu occidendam virtute mortis Chriſti, ideo *vlulabit mors ab Adam*: fuit ergo neceſſe Chriſtum realem mortem ſubire, vt alteras morti fores clauderet, eamque ſua morte ſempiternæ daret internecioni.

Sed hæc etſi magna, etſi mira, etſi prodigioſa parum curauit amor, niſi etiam addidiſſet & tertium, vt filius Dei poſt mortem iterum moreretur, quod accidit in Euchariſtia, in qua myſticam patitur mortem, id me docuit ingenioſus Rupertus cum ait, *Dominus noſter non tunc ſolum vel tunc primum immolatus eſt, quando à Iudæis in cruce ſuſpenſus eſt, ſed & pridie quam pateretur, quando accipiens panem & calicem benedixit & dedit diſcipulis ſuis, dicens, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, ſuis manibus immolatus eſt, ſuis ipſe manibus, nobis vt iugiter immoletur, agnus commendatus eſt:* quotieſcumque ſacerdos rite ſuper aptam materiam verba conſecrationis profert, toties filius Dei mortem myſticam patitur: adeo vt auguſtiſſimum Sacramentum non ſit aliud quam ſacrificium non cruentum, aut funus ſiue exequiæ quas Eccleſia celebrat in memoriam mortis ſui ſponſi, vt ait idem Rupertus, *aufer à cœtu Eccleſiæ quotidianas Saluatoris noſtri huiuſmodi exequias, & vide quam merito dicat ipſe Saluator, quæ vtilitas in ſanguine meo:* iam ergo vides Euchariſtiam funus ſiue exequias eſſe Seruatoris, in quib. myſticam mortem ſubit, eiuſque ſponſa Eccleſia memoriam & commemorationem facit eius paſſionis. Auguſt. dicit idem Chriſto in paſſione conſtituto, quod Principi menſæ aſſidenti contigiſſe; ſolent illi lances coopertæ offerri, nec vſquam quid claudant agnoſcit niſi retegantur, Pater æternus vnigenito ſuo epulum inſtruxit, quod ſolas lances tectas continebat,

Rup lib. 6. de Diuin. offic. c. 22.

Rup. lib. 2. de Diuin. offic. c. 10.

Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei.

bat; iuſſit primo Oeconomos ingredi ſuum quemque ferculum gerentes, primus ingreditur Abel agnum geſtans, in figuram illius agni qui erat in Caluaria mactandus: ſequitur Abraham cum ariete cornibus inter vepres hærente, ſpineæ agni coronæ typum, adeſt Iſaac Crucis ligno onuſtus in quo ſuſpendi debuit Seruator, Dauid ferculum habet præ manibus felle & aceto plenum: geſtabat Ionas cœtum grandem in figuram ſepulchri. Hæc ſunt clauſa fercula quæ menſam onerarunt, & quatuor annorum millibus nunquam deſtiterunt quin ad illam inferrentur; obſerata ſunt, ac nemo nouit quid claudant, ideo Seruator vicinus vt aſſideret paſſionis menſæ, dicit Apoſtolis, *ego cibum habeo quem vos neſcitis*: quod mirum quod ipſi ignorarent, quandoquidem clauſa erant fercula? iam tuum eſt ô Diuine princeps has lances reſerare, hora eſt vt menſæ aſſideas, ac deglutias omnia, nequicquam relinquendum? *ſurgite eamus*: ecce menſæ aſſidet, ac ita fœliciter reſerauit lances, vt eas euacuarit, tantaque perfuſus ſit ſuauitate, vt cum vacuæ eſſent, rogauerit num eſſet aliud iterum comedendum, *ſitio ſitio*: Idem plane Seruatori accidit cum Euchariſtiam inſtituit ait Paſchaſius: *nihil defuit in hoc Sacramento ad commemorationem paſſionis, quod tunc extitit in cruce in conſummationem noſtræ redemptionis*: duo ſolum fercula in hoc Euchariſtico epulo miniſtrantur, ſpecies videlicet panis & vini, fercula operta ſunt, non videtur quod claudunt: Aperi iam, aperi fidelis anime duas has lances cum viuæ fidei oculo, & in ipſis idem quod in Caluaria ſtatim deprehendes, quid te deglutire autumas, dum ad hanc menſam accedis? Abelis agnum comedis, ſpineam deglutis coronam, verbera, clauos, lanceam, fel & acetum bibis, & vt vnico verbo omnia dicam, Chriſti corpus in Cruce extenſum manducas: ita me docuit S. Iacobus in ſua lithurgia cum ait, *taceant mortales & ſtent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim regum Chriſtus Deus noſter exiſtit vt mactetur, & detur*

Paſchaſ. li. de corp. & ſang. Dom. cap. 11.

S. Iacob. in ſua lithurg.

tur in cibum fidelibus: in duabus igitur myſticis lancibus Chriſtus adeſt, ſed eo modo occiſus quo in paſſione, quia Euchariſtia ferculum paſſionis eſt quo Seruatoris noſtri funus & exequias celebramus.

S. Gaudentius Serm. de Euchar.

Addam beati Gaudentii argutiam, qua præſentem materiam non parum illuſtrabo, dicit enim, *ſacrificium miſſæ eſt exemplar paſſionis Chriſti*; vt acumen intelligas nota cum Magiſtro ſententiarum in paſſione Chriſti duo fuiſſe, actionem nempe & paſſionem, *actio fuit odioſa, paſſio fuit grata:* ait ille: paſſio filii Dei in cruce, ſanguinis & vitæ eius in remedium hominum, Patri æterno oblatio, cœlo terræq; e gratiſſima extitit, quandoquidem, *maiorem charitatem nemo habet quam vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis*: Sed eius Crucifixio, ſacerdotum ad mortem condemnatio, carnificum laniena, ſceleratiſſimæ, Deoque odioſſimæ fuere, adeo vt ſi cruentum hoc ſacrificium quod ara crucis excepit, diſplicere Deo potuiſſet in aliquo, ſine dubio id fuiſſet, propter ſceleratam illorum barbariem qui eum trucidabant. Cum igitur S. Gaudentius nominat Euchariſtiam, *exemplar paſſionis Chriſti:* vult dicere, exemplar quidem eſſe, ſed ſine litturis & maculis peccatorum, ſcribit nobilis Regi, ſed cadens atramentum totam cartam inficit, aliquid delet in epiſtola, videns itaque tot oppletam maculis, aliam mundam deſcribit, lituris vacuam quam eius vocat exemplar, hancque Regi mittit: Quæro iam quænam Regiis oculis futura ſit gratior, in ſubſtantia eædem ſunt, nec plus vna continet quam altera, quæ tamen mundior & ſine dubio futura eſt acceptior, cruentum ſacrificium quod effera Iudæa in Caluaria celebrauit, idem omnino fuit cum eo quod celebratum eſt in cœna, quantum ad ſubſtantiam, illud tamen multis peccatorum litturis eorum qui id mandabant executioni, fuit oppletum, Euchariſticum autem eius exemplar eſt, ſed ſine litturis, ſine maculis vllis, in illo efferi milites Chriſtum erexerunt in altum in cruce, in

Magiſter ſenten.

hoc

hoc ſacerdos eumdem eleuat, vt offerat Patri, illic qui eum pendentem in patibulo ſceleratis intuebantur obtutibus mille horrendas blaſphemias euomebant, hic qui illum adſpiciunt, ſummo cultu & adoratione venerantur; adeo vt rationi ſit conſentaneum hoc Deo eſſe acceptabilius, quia alterius nullis peccatorum maculis infectum exemplar eſt: ſed præſtat de hac re differentem audire Rupertum, *hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis, qui habet aures audiendi ſic accipit hoc dictum, ſicut lachrymabilem morientis pro filiis Patris affectum, ſicut germanæ pietatis eloquium, ſicut præacutum vulnificæ charitatis ſpiculum:* quaſi diceret, cum Chriſtus in Euchariſtiæ inſtitutione monuit vt ſui memoriam haberent fideles, ſolum intelligit vt paſſionis nō actionis recordatio ſubiret animum, hoc eſt vt non cogitaret quiſquam carnificum immanitatem, Iudicum impietatem, barbariem Principum, ſed ſolum morientis pro liberis Patris affectum, ſed ſolam quæ illum ad ſubeundam mortem induxit pietatem, ſed ſolam dilectionis flammam quæ eius igniebat animum, horum ſolum Euchariſtia memoriale eſt, exemplar quidem eſt paſſionis, ſed mundum, ſed peccatorum notis vacuum.

Rupert. li. 2. de Diuin. Officiis. c. 10.

Quis non videat ſapientiſſimam hanc amoris inuentionem fuiſſe, vt filii Dei paſſiones ac dolorum aculeos potabiles redderet: res adeo horrenda prima fronte videbatur, paſſionis huius in ſe ipſa cogitatio, vt nemo potuiſſet ſe ad illam deglutiendam diſponere, ſed ſapientiſſime fecit amor, nam quemadmodum prudens Medicus qui timens ne venenum quod propinandum eſt infirmo, ſua illi frigiditate noceat, ſi purum offerret, theriacam conficit, illamque variis aromatibus admiſcet quæ eius temperent exceſſum, ita filius Dei agit, ait Rupertus, *magna igitur charitatis arte pigmenta ſua Dei ſapientia compoſuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renouata quotidie ſuæ ſalutis commemoratione percelleret:* hauſerat homo lethale peccati virus, quod in pomo ſerpens propinauerat,

Rupertus vbi ſupra.

erat, vnicum vt venenũ hoc euomeret remedium erat, ſi peccati antidotũ q; eſt Chriſti paſſio, deglutiret, vôlo dicere ſi cuilibet homini in particulari applicaretur, vt hoc modo virus interiora noſtra depaſcens à contrario abſumeretur, ſed quis adeo acre antidotum ſumere potuiſſet? quis comediſſet Seruatoris paſſionem? quis eam quæ mortem filio Dei intulit, ſine morte toleraſſet? profecto nemo, idcirco amor ſapiens Diuinam compoſuit theriacam, auguſtiſſimum videlicet Sacramentum, in quo paſſionem & mortem Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus temperatam, reddidit potabilem, vt ait Rupert. *magna igitur pietatis arte pigmenta ſua Dei ſapientia compoſuit*: hæc autem ars fuit Euchariſtiæ inſtitutio, quam fecit tanquam omnium quos perpeſſurus erat dolorum memoriale, vt illam comedentes, paſſionem etiam eius ſine labore ederemus, ac eius perciperemus effectum, qui non eſt alius quam vt peccati virus euomamus, & à corruptione reddamur immunes. Damaſcenus id docet eleganter cum ait, *eleuatur in manibus ſacerdotis in Crucem, & frangitur, & diſtribuitur, & in nobis ſepelitur, & facit nos ſecum à corruptione liberos*: Inuentum plane Diuinum, quod manducabilem ac proficuam nobis reddidit Chriſti paſſionem, nobis eiuſdem effectum applicando, per dignam Sacramenti ſuſceptionem, quod eius memoriale eſt, & exemplar nullis ſcelerum maculis obſitum.

Damaſc. lib. de corp. Chriſti.

PARS ALTERA.

Guarricus, Serm. in ram. palm.

Guarricus Abbas hoc cœleſte paſſionis ferculum iiſdem cum Damaſceno oculis intuitus, nos ad eius ſumptionem hac pulcherrima oratione inuitat, in perſona Chriſti: *ne verearis ex morte mea, damna ſeruitii tui ô ſerue meus, maneo tibi etiam comeſtus & bibitus, manebo tibi integer & viuens, ſeruiam vt prius: ſi infirmaris, & mori times, ego morior pro te, vt de ſanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ*: myſticam mortem ſubit in Sacra-

Sacramento altaris, vt nobis mortem, paſſionem, ac ſanguinem applicet, medicamenti in modum, quod infirmitatibus noſtris afferat medelam; & veluti antidotum, quod lethale peccati virus faciat nos euomere, nihil magis proficuum animæ Deoque acceptum quam ſi communicans, mortem eius & paſſionem, quæ Chriſti corpus reddidit manducabile, habeat in memoria, ſanctiſſimum eſt hanc habere præ oculis, ad eamque ſolam tunc temporis intueri, id poſtulat agnus Diuinus quem comedis, ſub Euchariſticis ſpeciebus, id te rogat, ne recuſes? Cum Deus in Exodo iuſſit Moyſi, vt ſeſe populus ad agni paſchalis eſum diſponeret, voluit inter cætera, vt familia quælibet paſchalem agnum haberet præparatum à decima die Lunæ menſis Niſan, qui cum Aprili noſtro coincidit, vſque ad decimam quartam, quo tempore debebat edi: *& ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius:* Rupertus miratur Deum iuſſiſſe ita cito præparari, cum quarta tantum poſt die deberet cedere in cibum, quid erat tanta anticipatione opus, *vt quid tamdiu ante tollent, tanto tempore ſeruaturi?* & reſpondet, *videlicet dum ille præſto eſt, cauſa quoque eius corda veſtra ſollicitet ne ſitis immemores vel imparati, quia tranſeundum eſt, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet, quoties enim balatum emittit, toties quaſi tubæ ſonitus, exituras caſtrorum acies excitet:* ratio erat ait ille, vt quoties agnus emitteret balatum, populo reuocaret in memoriam, copias ex Ægypto diſceſſuras, Nemo dubitat paſchalem agnum, verum fuiſſe auguſtiſſimi Sacramenti typum, in quo realiter exiſtit Diuinus agnus quem Iudæa infœlix in Caluaria occidit, quæ te ſubit cogitatio, cum Eccleſiam ingreſſus, Euchariſtiam vides expoſitam, vel cum illam ſacerdos tibi in os ingerit vt communices? quid inquam tibi putas Diuinum hunc agnum ſuggerere quid rogare te autume, quo te balatu affari? ſine dubio idem tibi ab eo dici cogita, quod olim paſchalis agnus Hebræo inclamabat, *quo-*

Exod. c. 12.

Rup. lib. 11. de Trinit. & operib. eius cap. 3.

ties enim ille balatum emittit, toties quaſi tubæ ſonitus exituras caſtrorum acies excitet: quod à nobis poſtulat, eſt vt in memoriam veniant tubæ, quæ in omnibus plateis Hieruſalem, impiam mortis eius ſententiam proclamabant, vt cogitemus militum Romanorum barbaras cohortes, impiam ſcribarum & Phariſæorum turbam, ſceleratam populi multitudinem quæ muros egreſſa, eum ad ſupplicium fuit comitata, denique vt illum nobis in imaginatione pingamus crucis arbori, noſtri cauſa affixum, hæc agni balatus clamat, hæc poſtulat, ſciens quod ſi quis ſimilibus cogitationibus occupauerit animum, impoſſibile ſit quin dilectionis igne incaleſcat, firmior reddatur in fide, ac in ſpe maius ſuſcipiat incrementum, quæ tria optima ſunt diſpoſitio ad actualem agni huius Euchariſtici ſuſceptionem: Præclare ſane id aſſerit Rupertus his verbis, *refrigeſcente enim ea qua hoc modo nunc vbique calet eius memoria refrigeſcet vniuerſa charitas, miſta erit fides, claudicabit ſpes, conticeſcet magnus ille clamor ſanguinis Iuſti Abel:* hæc ille.

Rup. lib. 2. de Diuin. offic. c 10.

Anaſtaſ. Sin. lib. 3. in hexam.

S. Anaſtaſius Sinaita, affirmat Chriſti Crucem arborem eſſe vitæ, cuius fructus ſit fili⁹ Dei in ea pendens, *Eccleſia germinat lignũ crucis, ſed nobis ſolis fertile, faciens autem fructum, & aſpectu pulchrum, & bonum ad veſcendum, nempe Chriſtum crucifixum quem colligimus ex parte Iuſti latronis:* ſola ergo Eccleſia eſt paradyſus qui crucis producit arborem, in quo ſcientiæ fructus, id eſt, Chriſtus crucifixus pendet, ſed quomodo fructum hunc Diuinum fas erit colligere? qua ratione de eo guſtare nobis concedetur? reſpondet Anaſtaſius, *quem colligimus ex parte boni latronis:* id facile erit cuique, ſi iuſti latronis ſubeat vices, pendebat ille in latere dextro Seruatoris vt affirmant Patres: ergone quotquot ſeſe in latus illud recipient, hunc erunt fructum collecturi? multi dubio procul militum & carnificum ex illa parte ſuam exercebant lanienam, anne ideo eius fient participes? Minime ſane, adſtabant quidem carnifices & Iudæi, pendulum ex cruce conditoris orbis corpus ſpecta-

ſpectabant, ſed coruino, ſed vulturino obtutu, optaſſent enim ſacratiſſimis eius adhuc viuentis carnibus ſatiari, ſpectatores erant, ſed blaſphemantes, ſed illudentes, ſed obgannientes; ſanctus vero latro, aliter ſe gerebat; intuebatur ſui conditoris pendentem in ſtipite humanitatem, ſed ille obtutus, Diuinarum laudum, atque Diuinitatis eius confeſſionis exprimebat affectum, *memento mei dum veneris in regnum tuum*, videbat illum in cruce, ſed columbinis oculis, ſine felle, ſine inuidia, quo ita compaſſionis affectus, cordis illi pungebat intima, vt inde prorumperet in gemitus columbinos, vultis gementem audire, attendite quid ſcelerato ſocio ingerebat, *nos digna factis patimur, ille autem nihil mali fecit*: vnde ex crucis arbore fructum collegit qui eum reddidit beatum; Vis igitur eodem fructu paſci? vis hoc paſſionis ferculum cum profectu mandere? ſta ex parte boni latronis, ne illud intueare, ſicut multi qui conſecratam hoſtiam aſpiciunt, abſque eo quod de Seruatoris paſſione vel minimum habeant cogitatum, vel affectum compaſſionis, ſed quemadmodum iuſtus prædo, columbinis obtutibus, finge illum tibi in animo pendentem ex cruce, vulneribus obſitum, vepribus in formam mali punici coronatum, ac iuſto doloris ſenſu percitus, in columbinos gemitus prorumpe, ſtatum illius geme, peccata tua quæ illum confoderunt, grandi luctu proſequere, tunc Diuini huius pomi fructum guſtabis, ita Gregorius Romanus: *neceſſe eſt vt cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus*: hæc ille; iam ergo habes, communicantem paſſionis ac mortis Dominicæ debere eſſe memorem, vt hæc cogitatio affectum compaſſionis mouens, gemitus eliciat ex pectore, quibus diſponatur animus ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem. Greg. Roman. lib. 4. dialog. ca. 34.

Id ſatis perſpectum habuiſſe ſponſa videtur in Canticis, cum ita ſocias inuitat: *egredimini & videte filiæ Sion regem Salo-* Cant. ca. 3.

Digitized by Google

tur: inſpectionis vero conuiuium vocauit, quod in hoc conuiuio myſti-ca ea inſpiciamus contemplatione mentis ad quorum memoriam fit, ſi-cut dixit Dominus, hoc facite in meam commemorationem: ad hæc agenda filiæ Hieruſalem inuitantur, qui id fecerit, tanti Sacramenti fructum percipiat neceſſe eſt. Turrianus.

FERCVLVM FORTITVDINIS.

Diſcurſus Vndecimus.

S. Athanaſius de gratia redemptionis diſſerens, elegans quiddam dixit, *gratia illa ante præparata deſignataque fuit, quam nos efficeremur, quin potius ante conſtitutionem mundi*: quibus verbis innuit omnino neceſſum fuiſſe, vt redemptionis humani generis gratia, ante primam orbis conditionem decerneretur: ſed quorſum obſecro oportuit gratiam hanc ita cito præparari, vt cuiuslibet alterius prædeſtinationem anteiret, reſpondet idem Athanaſius, *vt quamuis à ſerpente decepti excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, ſed habentes in nobis iam ante præparatam redemptionem & ſalutem, iterum reſurgentes immortales perſeueraremus, cum filius pro nobis initium viarum creatus ſit, & qui primogenitus eſt filius, primogenitum ſe fratrem reddidiſſet*: mihi videtur ſanctiſſimus hic Epiſcopus ob oculos habuiſſe quod quotidie accidit in familiis. Triſtis ac mœſta erit familia omnis ob parentis optimi obitum, qui copioſam ſobolem reliquerit ſuperſtitem, terræ adhuc adrepent omni deſtituti auxilio, gemebundæ filiæ lac poſtulabunt ad nutrimentum, filii rogabunt panem, vndique clamor & eiulatus: quid magis calamitoſum? ſi deberent hi paruuli vſque dum eorum aliquis grandior efficeretur, expectare, quis dubitat omnes fame ante perituros? prouidus tamen Athanaſ. Serm. 3. contra Arr.

Pater

Pater antequam extremum diem ageret, fratrem illis ac ſororem iam ætate prouectiores reliquit, illa tantam eorum ſuſcipit curam, vt veræ parentis munus explens, cuique neceſſarium ferat ſubſidium. Primorum parentum peccato orphani omnes ac miſeri, omni bono deſtituti relicti ſumus, terræ adrepentes, mortis, famis, laborum, aliarumque id genus calamitatum præda ſumus effecti: quod ſi inter tot quibus premebamur anguſtias, expectandum fuiſſet, donec noſtrûm aliquis grandior factus, aliis ferret ſuppetias, deſperata foret ſalus omnium: Idcirco ſapientiſſime prouidit Deus antequam naſceremur, imo ante mundi creationem, ſororem nobis præparauit, quæ afflictorum curam ſuſciperet, & quamuis eſſemus orbati parente, variiſque obruti calamitatibus, eiuſdem illa ſuppleret vices, ac propitiam ſine dubio perituris manum porrigeret: hoc vult dicere Athanaſius loco citato, *vt quamuis à ſerpente decepti excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, ſed habentes in nobis iam ante præparatam redemtionem & ſalutem, iterum reſurgentes immortales perſeueraremus:* ſed cuius auxilio niſi Virginis, quæ ab æterno ſoror nobis à Diuina ſapientia fuit ordinata, vt miſerorum ſupplens indigentias, veræ parentis expleret officium? Volo addere mellea in hanc rem Bernardi verba, *curre Eua ad Mariam, filia pro matre reſpondeat, ipſa mortis opprobrium auferat, ipſa Matri pro Patre ſatisfaciat, quia Eua ſi vir cecidit per fœminam, iam non erigitur niſi per fœminam*: hæc ille: inde fit quod miſerorum Adæ liberorum miſerrimus ego filius, ad ſororem hanc debeam habere confugium, quatenus illa præſenti meæ neceſſitati ſubueniens, Diuini Spiritus lumen impertiet quod requiro.

Bernard. Serm. 1. ſuper miſſus.

Tanta eſt communicantis animæ dignitas, vt quotieſcunque Euchariſticæ menſæ appropinquet, toties filium Dei ab ipſis Patris æterni manibus accipiat, nec ab vllo alio debeat eum expectare, ita Verbum Diuinum me docuit, ſic

apud

Digitized by Google

apud Alexandrinum Clementem homini loquens, *ſolummodo ô fili Patrem ſitias, Deus tibi gratis oſtendetur, dat tibi & volatilia, & natatilia, & terreſtria, hac tuis alimentis fabricatus eſt Pater:* quaſi diceret, nequicquam appetas, niſi quod Patris æterni manibus tibi conferatur, is enim eſt qui omnia ad tui condidit nutrimentum, & à quo pretioſum Euchariſtiæ alimentum debes expectare. Iudicum cap. 15. aliquid elegans in præſentem materiam reperio: filia nomine Axa erat Calebo, venuſtate, & gratia corporis cæteris longe antecellens, volens ergo illam viro ſibi ſimili copulare Pater, pollicitus eſt ſe eam in matrimonium daturum ei qui inuaſam Ciuitatem Dabbir obtineret; Othoniel id operis aggreſſus, fœlicem habuit ſucceſſum, ac ideo Axam in vxorem obtinuit, ſed quia Parens ſatis illi exiguam dotem contulerat, mariti ſuaſu ab eo de nouo poſtulauit, *da mihi benedictionem, terram arentem & auſtralem dediſti mihi, iunge & irriguam: dedit itaque ei Caleb, irriguum ſuperius & inferius:* hæc ſane pulchra ſunt, ſed retecto cortice longe videbuntur pulchriora; Axa enim quę adornatā ſignificat, antiquam Eccleſiam omnibus legis cærimoniis, velut monilibus ab ſponſo Moyſe acceptis ornatam, exprimit, ſed pro dote templum, altare, & legem acceperat, ſed tantæ ſterilitatis, vt virtutem non haberent gratiam iis conferendi qui illa ſequebantur vt ait Apoſtolus: *lex non iuſtificat quemquam:* & alibi, *non iuſtificabitur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu:* quam penuriam animaduertens ſponſa, accurrit ad Patrem, ab eoque aliam legem atque altare, ſed antiquis fœcundiora poſtulauit, optabat enim vt camporum irriguorum in modum fructus ederent, quibus illa delectabiliter paſceretur, quod & obtinuit, altare enim Euchariſticum, ac legem Euangelicam recepit, in quibus tanquam amœniſſimis paſcuis, paſtum reperiret: loquatur Ambroſius, *bona paſcua Diuina ſunt ſacramenta, carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis, carpis lilium in quo ſit ſplendor æternitatis,*

[Margin notes: Clemens Alexand. — Iudic. c. 15. — Galat. c. 2. — Ambroſ. Serm. 14. in Pſal. 118. verſ. 1.]

Aa carpis

Digitized by Google

carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem: ille eſt Euchariſticus ager qui lilium Diuinitatis producit, ac roſam corporis & ſanguinis filii Dei: nec minoris eſt fœcunditatis Euangelicus, vtpote in quo, miræ ſubſtantiæ fructus legant fideles, ac mirum in modum ſaginentur, quod eleganter affirmat idem Ambroſius; *bona etiam paſcua libri ſunt ſacrarum ſcripturarum, in quibus quotidiana lectione paſcimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ ſcripta ſunt deguſtamus, vel ſummo ore libata frequentius ruminamus; his paſcuis gens Domini ſaginatur:* quis non videat fœcundiſſimos hos eſſe campos, ſi cum Eccleſiæ antiquæ ſterilibus conferantur, adeo vt de ea dicere poſſimus quod de Axa, *dedit ei Caleb irriguum ſuperius & inferius:* loco agrorum ſterilium quos acceperat in dotem, fœcundiſſimos ac ita irriguos accepit, vt ad eius paſtum ſufficiant ac nutrimentum, *irriguum ſuperius:* fuit Euchariſticus ager: *& irriguum inferius*; fuit Euangelicus: ſed obſecro quibus ex manibus pretioſam hanc dotem recepit? ſine dubio ex illis Patris cœleſtis, ab his tantum Euchariſticus ager eſt expectandus, falleris ſi ab aliis te ſperes obtenturum, id me docuit Dionyſius Alexandrinus cum ait, *exinanitionem dicit factam ad nos, ad capiendum Sacramentum vitæ, per puras & incorruptibiles, & Diuinas ipſius manus, vt poſſimus fideles capere ipſum, ac fieri manſio Dei, accipientes eum totum:* humanæ manus cœleſtem hunc cibum non merentur offerre fidelibus, à ſolis Patris æterni manibus, oportet illum expectare.

Ambroſ. vbi ſupr.

Dionyſ. Alexand. epiſt. ad Paul. Samoſat.

Ezech. c. 1.

Cherubini Ezechielis id ſatis videntur agnouiſſe, cum enim Diuinæ menſæ miniſterium exhiberent, inter cætera notatu digna, illud præſertim Propheta adnotauit quod *manus hominis ſub pennis eorum:* clarius legit Theodoretus, *manus ſub alis erant abſconditæ:* Papæ, quis hæc crederet, niſi Scriptura loqueretur? ſi miniſtrabant, quibus inſtrumentis ad miniſterium ſubeundum vterentur niſi propriis manibus? & tamen eas alis contegunt, nec audent oſtendere? pulchre reſpondet Petrus Cellenſis, *procul abſiſtat creatura omnis ab hac miniſtra-*

Theodor.

Petrus Cellenſis lib. de panib. cap. 1.

Digitized by Google

miniſtratione, quia beſtia quæ tetigerit montem lapidabitur; manum ſubtrahat Seraphim, quia manus huiuſmodi, manum aliam non admittit, quam ſolius dexteræ Dei, nempe Patris: nemo Oza hanc noui teſtamenti arcam audeat contingere, Seraphim etſi cryſtallo puriores, ac viuis amoris flammis depaſcantur, manus ſubtrahant, aliſque contegant, quia Euchariſtica menſa, non admittit creatam manum, ſola Patris dextra viuificum in illa panem poteſt porrigere, tanti pretii eſt hoc ferculum, tanti valoris, vt nullam præterquam Dei manum admittat, ab eaque ſola ſit expectandum. Id ſapiens prodigus faciebat apud Lucam: *cum doloris percitus aculeo, ſed ſpe confirmatus, exclamaret, ſurgam & ibo ad Patrem meum, & dicam, Pater peccaui in cælum & coram te*: quis non ſtuperet hoc animi decretum? hoc propoſitum ſanctæ voluntatis? Parentis optimi læſiſti bonitatem? eo inuito Patriam, domumque reliquiſti? non leuem inuſſiſti toti familiæ notam? quicquid fortunarum habueras infœlix prodigus abſumpſiſti? & adhuc reſumis animos, adhuc audes dicere, *ſurgam & ibo ad Patrem meum?* ſaltem præteritorum ſcelerum rubore perfuſus, ad humiliati animi ſtatum recurreres? dedecet poſt admiſſum tantæ perfidiæ atque impietatis crimen, eum adire quem læſiſti, verbera mereris non munera, & illorum oblitus, ad hæc audes aſpirare? imo vero reſpondet Tertullianus, *recordatur Patris Dei, ſatisfacto redit, veſtem priſtinam recipit, annulum quoque accipit, atque ita exinde, opimitate Dominici corporis veſcitur*: notate obſecro illud, *recordatur Patris Dei*, ingenti premebatur fame prodigus ille, cui vt adferret medelam, ad panem Euchariſticum dirigit oculos, quem quia à ſolis Patris æterni manibus ſperandum agnoſcebat, ideo dicit, *ſurgam & ibo ad Patrem meum:* & vt ait Tertull. *recordatur Patris Dei:* à quo ſuæ famis ſalutare remedium poſſit obtinere.

Luc. 14.

Tertull. lib. de pudicit. ca. 9.

Sed libet illuſtre aliquid in præſentem materiam ſuperioribus addere: refert tertius regum Vatem Eliam, corui

lib. 3. Reg. cap. 10.

Aa 2 mini-

carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem: ille eſt Euchariſticus ager qui lilium Diuinitatis producit, ac roſam corporis & ſanguinis filii Dei: nec minoris eſt fœcunditatis Euangelicus, vtpote in quo, miræ ſubſtantiæ fructus legant fideles, ac mirum in modum ſaginentur, quod eleganter affirmat idem Ambroſius; *bona etiam paſcua libri ſunt ſacrarum ſcripturarum, in quibus quotidiana lectione paſcimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ ſcripta ſunt deguſtamus, vel ſummo ore libata frequentius ruminamus; his paſcuis gens Domini ſaginatur:* quis non videat fœcundiſſimos hos eſſe campos, ſi cum Eccleſiæ antiquæ ſterilibus conferantur, adeo vt de ea dicere poſſimus quod de Axa, *dedit ei Caleb irriguum ſuperius & inferius:* loco agrorum ſterilium quos acceperat in dotem, fœcundiſſimos ac ita irriguos accepit, vt ad eius paſtum ſufficiant ac nutrimentum, *irriguum ſuperius:* fuit Euchariſticus ager: *& irriguum inferius*; fuit Euangelicus: ſed obſecro quibus ex manibus pretioſam hanc dotem recepit? ſine dubio ex illis Patris cœleſtis, ab his tantum Euchariſticus ager eſt expectandus, falleris ſi ab aliis te ſperes obtenturum, id me docuit Dionyſius Alexandrinus cum ait *exinanitionem dicit factam ad nos, ad capiendum Sacramentum vitæ, per puras & incorruptibiles, & Diuinas ipſius manus, vt poſſimus fideles capere ipſum, ac fieri manſio Dei, accipientes eum totum:* humanæ manus cœleſtem hunc cibum non merentur offerre fidelibus, à ſolis Patris æterni manibus, oportet illum expectare.

Ambroſ. vbi ſupr.

Dionyſ. Alexand. epiſt. ad Paul. Samoſat.

Cherubini Ezechielis id ſatis videntur agnouiſſe, cum enim Diuinæ menſæ miniſterium exhiberent, inter cætera notatu digna, illud præſertim Propheta adnotauit quod *manus hominis ſub pennis eorum:* clarius legit Theodoretus, *manus ſub alis erant abſconditæ:* Papæ, quis hæc crederet, niſi Scriptura loqueretur? ſi miniſtrabant, quibus inſtrumentis ad miniſterium ſubeundum vterentur niſi propriis manibus? & tamen eas alis contegunt, nec audent oſtendere? pulchre reſpondet Petrus Cellenſis, *procul abſiſtat creatura omnis ab hac miniſtra-*

Ezech. c. 1.

Theodor.

Petrus Cellenſis lib. de panibus cap. 14.

Digitized by Google

miniſtratione, quia beſtia quæ tetigerit montem lapidabitur; manum ſubtrahat Seraphim, quia manus huiuſmodi, manum aliam non admittit, quam ſolius dexteræ Dei, nempe Patris: nemo Oza hanc noui teſtamenti arcam audeat contingere, Seraphim etſi cryſtallo puriores, ac viuis amoris flammis depaſcantur, manus ſubtrahant, aliſque contegant, quia Euchariſtica menſa, non admittit creatam manum, ſola Patris dextra viuificum in illa panem poteſt porrigere, tanti pretii eſt hoc ferculum, tanti valoris, vt nullam præterquam Dei manum admittat, ab eaque ſola ſit expectandum. Id ſapiens prodigus faciebat apud Lucam: *cum doloris percitus aculeo, ſed ſpe confirmatus, exclamaret, ſurgam & ibo ad Patrem meum, & dicam, Pater peccaui in cœlum & coram te*: quis non ſtuperet hoc animi decretum? hoc propoſitum ſanctæ voluntatis? Parentis optimi læſiſti bonitatem? eo inuito Patriam, domumque reliquiſti? non leuem inuſſiſti toti familiæ notam? quicquid fortunarum habueras infœlix prodigus abſumpſiſti? & adhuc reſumis animos, adhuc audes dicere, *ſurgam & ibo ad Patrem meum?* ſaltem præteritorum ſcelerum rubore perfuſus, ad humiliati animi ſtatum recurreres? dedecet poſt admiſſum tantæ perfidiæ atque impietatis crimen, eum adire quem læſiſti, verbera mereris non munera, & illorum oblitus, ad hæc audes aſpirare? imo vero reſpondet Tertullianus, *recordatur Patris Dei, ſatisfacto redit, veſtem priſtinam recipit, annulum quoque accipit, atque ita exinde, opimitate Dominici corporis veſcitur*: notate obſecro illud, *recordatur Patris Dei*, ingenti premebatur fame prodigus ille, cui vt adferret medelam, ad panem Euchariſticum dirigit oculos, quem quia à ſolis Patris æterni manibus ſperandum agnoſcebat, ideo dicit, *ſurgam & ibo ad Patrem meum:* & vt ait Tertull. *recordatur Patris Dei:* à quo ſuæ famis ſalutare remedium poſſit obtinere.

Luc. 14.

Tertull. lib. de pudicit. ca. 9.

Sed libet illuſtre aliquid in præſentem materiam ſuperioribus addere: refert tertius regum Vatem Eliam, corui

lib. 3. Reg. cap. 10.

Digitized by Google

miniſterio paſtum quotidianis cibi augmentis indiguiſſe, nec vſquam eam animi aſſumpſiſſe fortitudinem, vt ex antro in quo deliteſcebat, auderet prodire; ſed vix Angelus panem eidem miniſtrauit, cum ſubito ita vegetus effectus eſt, vt iter arripuerit hoc Angelorum cibo refectus: quod pulchre ad-

Rup. lib. 5. in lib. reg. cap. 10.

notauit Rupertus in hæc verba, *in fortitudine illius cibi ambulauit ad montem Dei, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, id eſt perſeuerauit in coæternitate Dei, imo ſine fine cum Angelicis ſpiritibus:* tantam cibus ille Angelicus ſubſtantiam atque fortitudinem dedit Eliæ, vt ad locum excelſum euectus ſit, in quo cum ſpiritibus illis beatis conuerſatus, vitam agit cœleſtem: hoc diſcrimen inter vtrumque Angeli & Corui panem intercedit, dabat hic quidem corpori nutrimentum, ſed ſufficientes ad aliquid magni aggrediendum, vires non conferebat: Angelicus vero, ita corpore & animum ſaginabat, vt cœleſti virtute vegetatum, ad ſolam æternitatem aſpiraret. Idcirco filius Dei, qui in Euchariſtici panis inſtitutione perennem fortitudinem ac refectionem fidelibus communicantibus intendebat, ſapientiſſime prouidit, vt illum non ab creaturæ vllius manibus ſumeremus, ſed ipſe æternus Parens eumdem illum homini conferret; vt quemadmodum panem Eliæ ita manus Angelicæ condiebant, vt miram redoleret ſuauitatem atque ſubſtantiam; eodem modo hic etiam ex Diuinis prodiens manibus fortificationem atque æternam ſatieta-

S. Paſch. li. de corp. & Sang. Diuini cap. 15. Num. ca. 6.

tem efficeret; S. Paſchaſius hanc mihi mentem ingeſſit, cum, illud Numeri explicans, *inuocabitis nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis:* ait, *ſacerdos ergo inuocat, ſed Deus ipſe benedicit & frangit, quia niſi Deus frangeret hunc panem, paruuli omnes ieiuni remanerent:* ex quibus patet ſacratiſſimas Patris æterni manus, Euchariſticum panem frangere, vt paruuli, maiori virtute vegetati, potiorem ſumant ſubſtantiam atque fortitudinem; & profecto ſi miniſtratus manu Angeli panis, vires contulit Eliæ, ita & hic digne communicantes incredi-

bili

bili vegetat virtute, nec mirum, cum enim fortitudinis ſit ferculum, omnem quæ ſanctos roborauit, ſubſtantiam continens, quid niſi ſummam vim, atque inſuperabilem vigorem animi conferret? id prima orationis parte oſtendam; poſt eum qui hoc fuerit refectus edulio, ad ſola tendere æterna, ac terrena deſpicere debere, in Eliæ morem, probaturus.

PARS PRIOR.

Vates Ezechiel prodigioſum quoddam ſibi viſum exhibitum narrans, ait, *& vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris, & ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ, & comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce:* non ignoro per hunc librum à ſanctis Patribus Sacras ſcripturas intelligi, continent enim ſpiritalem ſenſum ſub litteræ cortice inuolutum; ſed ſequi libet Rupertum, qui illum eumdem eſſe affirmat, quem Ioannes ſeptem ſigillis munitum vidit Dominum noſtrum, ſcilicet Ieſum Chriſtum, *liber iſte inuolutus, ipſe eſt qui in Apocalypſi memoratur, ſeptem ſigillis ſignatus, ſcriptus intus & foris*: hic liber eſt quem Pater æternus caracteribus Diuinitatis ſcripſit, quicquid gloriæ & gratiæ, quicquid ſapientiæ & virtutis, quicquid perfectionis habuit, tot characteres fuere, quos in illo ſacratiſſima Dei manus pinxit, ſed vulnera & vibices, notæ fuerunt, quas barbara Iudæorum dextera deforis impreſſit, vt ſic intus & foris ſcriptum poſſis contemplari: quia tamen in ſua magnitudine non poterat comedi, hunc ideo Propheta vidit inuolutum, vt magnitudinis eius velut compreſſa Maieſtate, facilius homini cederet in cibum; vis videre inuolutum; panis & vini Euchariſticas ſpecies intuere? quibus ita obuolutus fuit, vt niſi perſpicaces fidei obtutus realem eius exiſtentiam ſub accidentibus deprehenderent, multi negarent, tantæ maieſtatis librum, exiguis adeo

Ezech. c. 2

Apoc. ca 5. Rup. lib 1. in Ezech. cap. 18.

Digitized by Google

ſpeciebus poſſe inuolui: maledicta, ac benedictiones continet, qui enim illum ſumit digne, ea ſubſtantia impinguatur, qua ad virtutis peragendum iter mirabiliter confirmetur, qui vero ad illum ſine diſpoſitione requiſita acceſſerit, maledictum Diuinum incurrit quo voracibus inferorum flammis deputatur: Chriſtus ergo ſpeciebus Sacramentalibus obuolutus, liber eſt quem vidit Ezechiel, ſed præſtat audire Rupertum, *& recte dicitur, aperi os tuum & comede, quæcumque ego do tibi, quia nimirum oportet vt ad comedendum verbi Dei cibum, pia auiditate ſubmiſſi diſponamur, iuxta quod in Pſalmo dicitur, dilata os tuum & implebo illud*: ſic ille, quiſquis digne librum inuolutum ſub accidentibus Euchariſticis ſumit, eumdem quem Ezechiel haurit effectum, *& factum eſt in ore meo ſicut mel dulce*: ſuauitatem ac voluptatem percipit, non ſterilem, ſed fœcundam, quæ nutrit, ſaginat ac confirmat incredibiliter animum, qui libri huius obuoluti ſunt effectus; quod ne vllus ſine authoritate me dicere arbitretur, in animo oſtendere mihi eſt, ita hoc fortitudinis ferculo animum confirmari, vt poſt lapſum facillime poſſit ſurgere, ac aduerſus tenebroſas poteſtates virtutem non mediocrem exercere, Hieronymus ſermonem inſtituens de fortitudine quam Chriſtus animæ ſibi amoris vinculo copulatæ communicat, ait eam eſſe quod ſi ipſa in caſum ruerit, eius etiam ope erigatur, *ſi vnus ceciderit Chriſtus eriget participem ſuum:* inquit ille. Alluſionem mihi feciſſe videtur ad illud Geneſeos, vbi dicitur Iacobum in timore extremo propter fratrem ſuum Eſau, qui illum ad internecionem vſque quæritabat conſtitutum, eique deficiente animo, vt hoſtem aggredi non auderet, ſed eius ſibi conciliare animum, munerum beneficio pertentaret, his inquam omnibus vallato periculis adſtitit Angelus, quem poſt amplexus multos ad luctam prouocat ad vſque ſolis ortum, atque ex hoc cõplexu tãta fuit fortitudine cõfirmatus, vt ſola arma ſola prælia cogitarit diluçuliq; impatiẽs familiã in caſtra diſpoſuerit,

Digitized by Google

ſuerit, atque ad ineundum ſeſe præpararit certamen. Loquatur Oſeas, *& in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit & rogauit eum*. Rupertus Abbas, iſta contemplatus affirmat, ſubtiliter Iacobum typum geſſiſſe hominis, qui natiua indole fragilis, imo ipſa fragilitas eſt, cuius ſi ſolas naturales vires ſpectauerimus, ſine gratiæ adminiculo, omnino incapaces ſunt hoſtium impulſus ferendi, quinimo, vbi ſemel tentamenti alicuius vi deiectus eſt, naturæ viribus ſeſe minime poteſt erigere. Sed vbi ſemel magni Conſilii Angelo fuerit copulatus, quem ſub Euchariſticis panis, & vini ſpeciebus ſuſcipit, tanta fortitudine confirmatur, roboratur tanta virtute, vt pretioſum Chriſti corpus complexus Antheo ſuperior, ac fortior euadat Briareo. *Et benedixit ei in eodem loco*, ait Rupertus, *ergo, & quoniam non ſolum Iacob, verum etiam Iſrael veraciter dici, vel eſſe vult, ſimiliter in fortitudine ſua, id eſt, in fide ſua dirigatur cum Chriſto magni Conſilii Angelo, & inualeſcat ad Angelum hunc*: Quemadmodum dum aliquis propter imbecillitatem virium, ſe ex grauiſſimo caſu non poteſt erigere, brachia eleuat, tendit manus Gigantemque magna præditum fortitudine ad ſuum ſubſidium vocat, cuius ope erectus ſtare poſſit, ita fideles, cum in aliquod peccatum grauius inciderint, cuius conſuetudo inueterata difficilem reddit emendationem, ac propterea viribus propriis ſeſe erigere non poſſint, Gigantis Diuini, quem Euchariſtia claudit, inclament auxilium, illum ſuſcipiant ſub Sacramentalib ſpeciebus, eiq; intimo amoris fœdere copulẽtur, & ſentient manũ propitiã, quæ Diuina fortitudine eriget à lapſu, vt inpoſterum in recidiua ſcelera non labatur. Ità Hieronymus, *ſi vnus ceciderit, Chriſtus eriget participem ſuum.*

Oſe. ca. 12.

Rup. in ca. 12. Oſe.

Nuſquam cœlum aſpexit calamitoſiorem Iudæ proditoris caſum, nemo vnquam ſe in tanti ſceleris egit præcipitem abyſſum, & tamen Beatus Leo, ita de eius erectione ſperauit, poſt receptum Diuinum hunc Gigantem in vltima

cœna,

Digitized by Google

cœna, ſub Euchariſticis ſpeciebus, vt illum deſperationis percitum rabie, ad funeſtum mortis laqueum accurentem, his fuerit verbis alloquutus: *Informis lethi ſuſpendium diſtuliſſes? illa ſaltem à præcipitio tuo, Sacramenta te reuocaſſent, quæ in paſchali cœna acceperas?* Quorſum ò miſer accurris ad laqueum? quorſum funeſto te mortis inſtrumento implicas? fieri ne poteſt, vt Diuinus Gigas, quem ſub Sacramentalibus accidentibus ſuſcepiſti, à tanto non auocauerit præcipitio? infœlix animi puſillanimitas nimis præcipitem egit? ſaltem diſtuliſſes ſceleratum animi conſilium, te ſine dubio ab eius executione, ſuſceptus Gigas præpediſſet? quod ſatis agnoſcens Diabolus ei ad fugam adeo calcaria admouit, vt vix hauſto Euchariſtico bolo, ex cœnaculo fuerit egreſſus, vt ait Ioannes, *cum accepiſſet ille buccellam, exiuit continuo:* Quod ideo præſtitit Spiritus malignus, quia Diuini Gigantis ſub ſpeciebus Euchariſticis clauſi ad erigendum animum virtutem hor.ebat: Ita me docuit Cyrillus Alexandrinus fatus, *tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo eius accenderet, ac deinde illuminaret, magna præcipitem agit diabolus celeritate:* Adeo vt virtus, quam auguſtiſſimum Sacramentum digne communicanti impertitur tanta ſit, vt ipſi ſceleratiſſimo Iudæ, niſi eum furor ita præcipitem egiſſet in laqueum, ſuppetias fuiſſet omnino latura.

Leo Serm. 3. de paſſ.

Ioan. ca. 13.

Cyrillus Alexa. lib. 9. in Ioan. cap. 19.

Quiddam elegans, in præſentem materiam ſuggerit Oſeas, cum deiecti populi præſagiens erectionem inquit, *ero eis, quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum & declinaui ad eos, vt veſcerentur:* Symmachus legit, *& declinaui ad eos cibos*: Deus itaque populum ſuum, in caſum ruentem omni momento animaduertens, & quaſi ferocientem equum, frænique impatientem in præcipitium agi opportunum reperit remedium, vt videlicet in morem Hippodromi, ori eius aculeata fræna iniiceret: Vidiſti vnquam nobilem generoſo, ſed ſylueſtri, ſed ferocienti equo vectũ, tibias eius ita debiles aduerteris,

ris, vt quemlibet labantur ad paſſum, adeo percitum furore cognoueris, vt ſeſe in periculoſiſſima loca, ſine delectu præcipitet, ſed prudens eques frænum ori iniicit, aculeata repagula naribus admouet, adeoque prudenter illum regit, vt modo laxatis, modo repreſſis habenis, compoſitum dirigat in paſſum. Eodem modo inquit Deus, miretur nemo, ſi populus meus ferocientis equi ſequens ductum, labatur ſæpius ac ſeſe grauibus exponat periculis, medelam enim reperi, *ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum:* frænum dabo, quo cœleſtis ego Hippodromus, eum regam, à lapſu reuocem & in menſuratum per mandatorum meorum viam paſſum dirigam, ſed quod obſecro futurum eſt illud frænum? *& declinaui ad eum vt veſceretur:* Symmachus, *& declinaui ad eos cibos:* ſed clarius Hieronymus, *dedi eis eſcam corporis mei*: corpus filii Hieron. Dei in Euchariſtia frænum eſt, quo ſolet erigere animos in graue aliquod peccatum cadere ſolitos, quod natiuis viribus ſine gratiæ adminiculo deſerere non poſſunt, frænum eſt profecto, ſed tantæ virtutis, vt calamitoſius erigat lapſos, & ad perpetuam ſtabilitatem confirmet. Rupertus ſcribens in præmiſſam Oſeæ ſententiam, indagine ſubtili fræni huius virtutem diſquirit: Fuit ne aliquando ait ille lapſus grauior, aut periculoſior caſu protoplaſti? caſus eſt, ſed cui maxilla dedit occaſionem, fœlices Nos ſi orbatum illum dentibus ſupremus conditor dediſſet in lucem, non enim potuiſſet funeſtum pomum mandere, quod ei, totique humano generi extremam attulit perniciem, cecidit ille hoc morſu, in tale omnium miſeriarum barathrum, vt ſe propriis viribus erigere minime potuerit: Quid ergo? remanebit miſer ſempiterno oppreſſus caſu? minime vero ait Deus, vulneri adhibebo medelam, vnde infirmitas proceſſit. Maxilla propter bolum male comeſtum malum attulit, & perniciem, ſed Euchariſticum impertiar, qui fœliciori dente preſſus debilem ſanet ſtomachum, & ſeruiat, pro fræno maxillæ ferocienti: Hunc

in finem vnigenitum ſuum miſit in terras, ſed ita Diuinitatis exutum gloria, ac noſtræ mortalitatis vilitate tectum, vt fræni formam ſuſciperet, quod hominum maxillæ inductum, eos à genitali lapſu erigeret, & in paſſus compoſitos incedere, edoceret, ſed quando putas frænum hoc Diuinum ſylueſtri hominum maxillæ inductum? non alias ſane, quam Euchariſtiam digne ſuſcipis, tunc enim frænum maxillæ tuæ inducitur, quo, aſſueti dentes lethale paradiſi pomum manderent in perniciem diſcant mandere ad vitam, ſed præſtat audire Rupertum, *etenim ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendit, quo nimirum deſcenſu declinaui ad eum vt veſceretur, atque veſcendo de pane hoc, viueret quiſquis in fide, & obedientia bene operans, infidelitatem, atque inobedientiam cuperet in ſemetipſo euadere per quam in primo parente male comedente fuerat mortuus:* Et hæc omnia eo intuitu, vt fræno hoc noſtris maxillis impoſito, non laberemur amplius, ſed nos ita roboraret ad lapſum, vt caſu ſimili quo protoplaſtus non rueremus, ſed ſtabiles in bono, & in virtute confirmati, æternum perſeueraremus in gratiam. Et hic eſt primus huius fortitudinis effectus.

Rupertus in cap. 11. Oſeæ.

Alter eſt, vt animos ſe ſuſcipientes aduerſus infernas poteſtates magnanimes reddat, & tremendas, efficiatque vt virtutem induti ex alto domeſticos non formident inimicos, ſed iis non ſolum obſiſtant viriliter, quin imo, & in fugam vertant importunos: Attendite obſecro quod adnotauit Marcus de Ioſepho Arimathia: *Audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu:* ſed vnde audacia tanta, vnde tantus animus Ioſephi pectus ſubiit? ante paſſionem Seruatorem ſuum ſequi verebatur, non audebat ſe eius diſcipulum palam profiteri, & ecce magnanimus effectus, non ſcio, quo fato, audacter audet introire ad Pilatum & petere corpus Ieſu? vnde hoc? nec dum fuerat Chriſti lotus ſanguine, necdum ſacrum cruorem Diuinæ venæ effuderant, quid mirum ſi tepor, & pauor diſcipuli poſſideant animum? ſed vbi effuſa eſt copioſa re-

Marci. c. 15.

demptio,

demptio, vbi ſtolam ſuam, vel leuiter in ſanguine agni Ioſephus lauit, mutatum vides in leonem, & profecto nihil verius ad acuendos hominum animos, aut oportunius reperiri poteſt, quam corpus, & ſanguis filii Dei, ſub Euchariſticis ſpeciebus: Vallabant vndique mille hoſtes Dauidem, mille eum pericula ambiebant, ſed quibus eum ereptum armis, quibus putas inſtrumentis ab his ereptum? Reſpondeat ipſe, *paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant me*: in Euchariſticum epulum direxit intuitum, cuius, vel odore fuit ita confirmatus, vt nullos timuerit incurſus hoſtium, ſed audire libet Chryſoſtomum in hanc ſententiam pulchre diſſerentem, *qui ſunt iſti, qui nos tribulant? ſuggeſtiones inimici, & agitationes, cupiditates, delectationes, & ſeculi honores, iſti tribulant, quia huiuſmodi, qui ita viuunt, tribulationes carnis habent, ſed veniunt ad menſam potentis, & tribulationes efficiuntur conſolationes, auferuntur ea, quæ ſunt carnis, infunduntur ea, quæ ſunt ſpiritus, & in menſa præparata proficiunt, contra eos, qui tribulant eos*: Hæc ille: quorſum putas, te vel leui pulſum tentamento ſuccumbere? ad leuem occaſionem trepidare, ac vel minimi dicterii ſenſum adeo tenacem accipere, vt totus feraris extra te & ſolam vindictam meditere? hoc ideo fit, quia ſacro huic fortitudinis ferculo non appropinquas, qui n. eo ſaginantur, corporeque, & ſanguine Domini Sacramentalib. accidentib. obducto veſcitur, naturam leonis induit, eaque pollet fortitudine, vt ad eius conſpectum tenebroſæ poteſtates diffugiant: oſtenſus cruor Elephanto illi animos acuit, excitat ad furorem, ac tanta rabie frementem efficit, vt vix vlla eum fera audeat conſpicari; ſed pretioſus Chriſti cruor, non ſolum in Euchariſtia viſus oculis fidei, ſed & Diuina ſuſceptione bibitus, ita dæmonibus reddit animum metuendum, vt illum non dicam aggredi, ſed ne quidem audeant intueri, *paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me*.

Pſal. 22

Chryſoſtomus in hanc ſent.

Nihil acrius rapacium auium corda vrget, quam ſan-

 guis

guis, adeo vt contigerit aliquando aquilam, aut falconem, poſt cruorem epotum, ea fortitudine, ea polluiſſe magnanimitate, vt quamlibet, etſi metuendam prædam aggrederentur, quocirca Author imperfecti affirmat animos, qui aquilarum in morem pretioſum Chriſti ſanguinem in Euchariſtia bibunt, tanta fortitudine confirmari, vt nihil amplius metuant, vnde Eſaias dicit in perſona Dei, *vocans ab oriente auem, virum voluntatis meæ:* de hac aue ab oriente vocata, ſic loquitur præfatus author, *auis iſta reuera in Euchariſtia ſumitur, & ideo ſanguis eius magnam audaciam ſtrenue capiendi ſuam prædam confert.* Ieſus ergo auis eſt, cuius cruor ſub vini ſpeciebus in Euchariſtia fidelibus propinatur, quem, qui biberit tanta polleat fortitudine neceſſe eſt, tanto animi præcellat vigore, vt hoſtes omnes, quoſcunque nulla ratione metuat, ſed leonis in modum eoſdem magnanimiter laceſſat. Num ſanguis hic audaciam conceſſerat Auguſtino, cum ſic tenebroſas poteſtates audebat prouocare? *ille ſanguis, quem effudiſti ô dæmon te vicit, me redemit, denique illum bibo, & veneni tui perniciem vltra non timeo:* Cibus iſte Diuinus & pretioſus Chriſti ſanguis, locum vltra relinquere non poteſt timori, ne cruditates, quas fatalis pomi bolus à primo parente comeſtus, inuexerat, ſtomacho noceant, illi enim calorem addunt, cordi ſuggerunt flammas animumque tanto vigore vegetant, vt communicantes ea præditi fortitudine omnem inferorum impetum non formident, hoc ſaginatus cibo, hoc ſanguine inebriatus erat Dauid cum ſpe plenus, & animo dicebat, *pauper, & dolens ego ſum, ſalus tua Deus ſuſcepit me, laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum in laude,* ſed quid eſt ô Dauid, modo dicis pauper, & dolens, & poſt ſubiungis laudabo, cantabo, magnificabo? quis poſſit contrarios hos affectus ad concordiam vocare? triſtitia ſubiit inquis, animum & immediate poſt de ſolo riſu, & cantu cogitas? quæ poteſt eſſe horum contrariorum motuum cauſa? Reſpondet optime Auguſtinus,

Eſaiæ c.49. Imperf. in Pſal. 69. Aug. Serm. 122. Pſal. 68. Auguſt. Pſal. 68.

guſtinus, *iam dictum eſt, quod pauper iſte laudet nomen Dei cum cantico, magnificat eum in laude, quando autem debet cantare, niſi recreatus eſſet à fame.* Videbis multos, quos ieiunos grandis pauor occupabit, triſtes erunt, nec plus præſe ferent animi, quam meticuloſa vulpes, ſed vbi inter pocula verſati ſunt, vbi vino refocillati ſtomachi mæſtitiam excuſſerunt, Leonum, & tigridum animos ſuperant fortitudine: Ieiunus erat Dauid, nihil enim in tota lege veteri conceſſit Deus, quod famelicos Iudæorum animos poſſet ſatiare, ſoli tropi, ſolæ figuræ, & vmbræ in ea videbantur, & quis vnquam potuit vmbris expleri? ideo Dauid, qui ſolas eas habebat ante conſpectum pauper, mœſtus, & ſine animo fuit, *pauper, & dolens ego ſum:* ſed vix prophetico obtutu menſam Euchariſticam intuitus eſt, vix animaduertit, corpus Chriſti ſaginaturum, eiuſque ſanguinem inebriaturum fideles, cum illico reſumit animos, & exuta mœſtitia, nouam induit iucunditatem, *ſalus tua Deus ſuſcepit me, laudabo nomen Dei cum Cantico, & magnificabo eum in laude:* ſolus odor ſacratiſſimi huius ferculi adeo illius animum expleuit, vt inde totus hilaris, totus fuerit recreatus, hoc voluit dicere Auguſtinus, *quando auderet cantare, niſi recreatus eſſet à fame?* idem proculdubio accidit fidelibus ad hoc ſacratiſſimum epulum digne accedentibus, & ſi enim triſtes, timidi, varioque afflictionum preſſi pondere, illi appropinquarent, iucunditatem, & animum ex eo haurirent, ſed talem, quo hoſtibus inſultarent, eorumque riſui haberent conatus, tanta in eo fortitudine roborandos eos aſſerit Cyrillus, vt iam debitas peccatis ſuis pœnas non formident, ſed ad ſolam bonorum operum remunerationem, cuius ſpem, Diuinum hoc ferculum nutrit, aſpirent, optime Cyrillus, Cyrillus in cap. 95. *hic qui quidem potus cœleſtis lætitiæ participes nos efficere poteſt, purgat* Eſaiæ. *enim peccata, & extrahit, quod mærore afficit, nec patitur, vt metus ſupplicii animas noſtras perterreat:* ò demirandum effectum, ò ſtupendam virtutem Euchariſtici epuli, quæ non tantum,

vt ſe erigat à lapſu, homini vires confert, verum etiam ita addit animos, vt eum in domeſticorum, & exteriorum hoſtium trahat deſpectum.

PARS ALTERA.

Vtrum tibi proficua ſit communio, voles forſan agnoſcere? inſpice tantum, quam ex ea fortitudinem ſumas, ſi ante huius ferculi ſumptionem, in more fuit tibi poſitum, proximo detrahere, frequentia habere in ore iuramenta, obſcœnis verbis delectari, & tamen poſt communionem te adeo ſentias roboratum, vt in hæc, & ſimilia ſcelera recidiuo lapſu non corruas, ſignum eſt ſalutarem tibi fuiſſe ſumptionem: ſin vero idem perſeueres, qui ante, ac iiſdem deditus vitiis, nullam emendationem ſenties, ſignum erit euidentiſſimum te huius fructum Sacramenti non ſuſcepiſſe, ſignum inquam fortitudinis tibi ferculum non fuiſſet, vnus enim ex effectibus, quem peculiariter ſolet operari, vocis eſt immutatio, vt qui peierationibus, Iuramentis, & detractionibus aſſuetus eſſet, vocis adeo mutet accentum, vt hac mala conſuetudine exuta, ſola contraria perſonet: Quod vt facilius poſ-
Galat.ca.3. ſit intelligi, in memoriam reuocandum eſt, quod dicit Paulus, *quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: Ambroſius baptiſmum cõtemplatus admirabile quiddam eſſe affirmat, exuitur quidẽ Adamo veteri baptizatus ſed nouo induitur, qui ſecundum Deum conditus eſt, Chriſto ſcilicet Ieſu: Quemadmodum Iacob, qui paternæ benedictionis volens hæres fieri fratris ſui Eſau ſeſe induit veſtimentis, & licet ita eum habitus immutaſſet, ac ſuperinductæ caprarum pelles, perfecte tactum diſſimulaſſent, vt Patris benedictionem obtineret, non tamen ita potuit ſimulare vocem, quin illam vetulus Iſaac agnoſceret, *vox quidem, vox Iacob eſt, manus autem manus ſunt Eſau*: Idem omnino contingit in baptiſmo, ad obti-

obtinendam enim cœleſtis patris benedictionem primogenitum noſtrum, Chriſtum videlicet induimus, vt ait Apoſtolus, *quicunque enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* ſed tamen Adami veteris vox, qua eius filii cognoſcimur, remanet immutata: ſcire appetis, qualis ſit hæc vox? Audi ſanctum Paſchaſium ſic reſpondentem, *quia licet omnia peccata, condonata ſint in baptiſmo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne manet:* remanet ergo in baptiſatis veteris Adami vox, quæ nihil aliud eſt, quam fomes peccati, qui in mortalium cuiuſque carne, remanet poſt lauacrum genitale, & ex quo tanquam ex radice funeſta, prodeunt fructus malorum operum, iuramentorumque, atque voces detractionum pullulant, quid ergo remedii, vt hæc vox poſſit immutari? quis eius raucedinem ſuperaddita ſuauitate emendet? non aliud, quam frequens communio, ait enim doctor Angelicus, *noua ſint omnia corda voces, & opera:* quaſi diceret Euchariſticum ferculum cordibus, vocibus, atque operibus indere nouitatem, ſed quomodo vocibus? dicam ſi potero: Eſaias ſecundum interpretum ſeptuaginta lectionem, quiddam in hanc rem egregium ſuggerit, ait enim, *quia creauit te Dominus ſalutem, implantationem nouam:* Quod de Auguſtiſſimo Sacramento intelligo, in quo plantamur, & ingerimur in Chriſto, adeo vt, quemadmodum vitam truncus communicat ſurculo ſibi inſerto, ita & Chriſtus animæ communicanti ſuam impertit, quod quia pulchrum eſt volo, Irenæum affirmare, *ſecundum Apoſtolum ad Epheſeos ait ille, quoniam membra ſumus corporis eius, de carne, & oſſibus eius, non de ſpirituali, & inuiſibili homine dicens hæc, ſpiritus enim nec oſſa, nec carnes habet, ſed de ea diſpoſitione loquitur, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carne, & oſſibus, & neruis conſiſtit, quæ ex calice, qui eſt ſanguis eius nutritur, & pane, qui eſt caro eius nutritur:* habes ergo, cum ſacratiſſimum in truncum virtute Sacramenti ingerimur ſuam nobis vitam nutrimentum & augmentum impertiri, & quemadmodum ſurculus aliquis, in eiuſ-

Paſch. lib. de corp & ſang. Domini ca. 9.

Irenæus li. 5. aduerſus hæreſes.

eiuſdem ſpeciei arborem ingeritur, ſuauiores fructus ſolet producere, ita & nos, qui ſylueſtres ſumus ſurculi, dum in ſacratiſſimum Chriſti Ieſu truncum media Euchariſtia ingerimur, efficit, vt voces, quæ cordis, & oris fructus ſunt, ſuauiores reddantur, atque iucundiores, hoc eſt, vt qui nihil aliud præter iuramenta, & detractiones perſonabant, voce immutata, malam exuant conſuetudinem, nec aliud præterquam charitati conforme perſonent. Quapropter optime aduertit Cyprianus dum myſtico appropinquamus altari, in ipſa Chriſti vulnera linguas figere, *intra ipſa redemptoris vulnera figimus linguam:* Quod ideo fit, vt Chriſti ſanguine lingua dulcorata, ac peruncta, iuramentorum, & detractionum rubiginem amittat, ea ſola perſonet, quæ Deo gratiſſima, ac proximo ſint proficua, fallor niſi ſponſus in canticis, id velit innuere, cum ait, *quæ habitas in hortis, amici auſcultant fac me audire vocem tuam:* Quaſi diceret ò ſponſa mea chariſſima, quæ hortorum amænitate recrearis, ac inter vernantes flores, mira perfunderis iucunditate, fac obſecro, vt vocis tuæ ſuauitatem aures meæ ebibant. Ambroſius per hos hortos Auguſtiſſimum Sacramentum intelligit, *bona paſcua Diuina ſunt Sacramenta:* ait ille, Hieronymus idem affirmat, ſed præſtat audire Rupertum, *Nam te veraciter ego eduxi de Ægypto, vt habitares in hortis iſtis, in omnibus ſcripturarum Sacramentis, vbi veraciter ſunt fontes, & riui lactis, & mellis fluentes de ſpiritu Dei, & hominis Ieſu Chriſti, dilecti tui:* Hi ergo horti ſecundum horum doctorum mentem, in quibus paſcitur ſponſa, ſunt corpus, & ſanguis Seruatoris, ſub ſpeciebus panis, & vini, in Sacramento altaris, in iis longe fœcundius quam in terra Chanaan, fontes & riuuli lactis, & mellis ſcaturiunt quibus irrigatur, nutritur, ac confirmatur animus, radixque, & origo primigenia horum fontium eſt filius Dei, qui realiter, atq; ſubſtantialiter præſens eſt in ſacramento. Deus ergo ſponſam animaduertens his in hortis ſeſe recreantem, atque paſcentem

Cyprian. Serm. de cæna Domini.

Cant. ca. 8.

Ambroſius Serm. 14. in Pſal. 118.

Hieron. li. 1. contra Iouin. Rupert. lib. 5. in cantica.

tem, illam ſtatim ad cantum inuitat, *quæ habitas in hortis amici auſcultant fac me audire vocem tuam:* ſed quorſum obſecro potius commorantis, in iis hortis ſponſæ, vocem cupit audire, quam alibi, num eadem ſuauitate polleret in aula, aut ſacello regio? quid ergo iucundius habet in hortis? ſæpiſſime aliis in locis vox rauca eſt, ſola iuramenta, & detractiones perſonat, in ſacris vero Euchariſtiæ hortis, eam imbibit ſuauitatem, vt gratiſſimos Deo cantus edat, eaque ſola proferat, quæ Diuinæ legi ſint conformia, pulchre Rupertus, *fac igitur, fac me audire vocem tuam, ita vt lex Domini ſemper in ore tuo ſit, nunc prædicando, nunc orando, nunc pſallendo, his namque modis libenter audio vocem tuam:* Vides ergo auguſtiſſimum Sacramentum, malam iurandi, ac detrahendi conſuetudinem tollere, & renouare, ac dulcorare vocem, baptiſmumque perficere, ſentiunt enim non pauci doctores Euchariſtiam eſſe conſummationem, & perfectionem Sacramentorum omnium, in quantum licet baptiſmus veteris Adami, habitum immutet, eiuſdem tamen vocem relinquit, ſed hanc illi perfectionem Euchariſtia ſuperaddit, vt miram voci ſuauitatem indat modo explicato. Rupertus vbi ſupra.

Sed non parum timeo effectum hunc in paucis produci, quia vbi in communione fortitudinem, & vocis ſuſcipere deberent ſuauitatem, videntur potius debiliores reddi, & ad caſum promptiores, multos video hiſce temporibus frequenti communione paſci, quibuſque octo diebus, & nonnullos bis in hebdomada, à ſacra menſa egreſſos, ad detrahendum, & peierandum, æque faciles, ac ſi ſacro fortitudinis ferculo paſti minime fuiſſent, ergo ne id erit in Euchariſtico horto, cum ſponſa recreari? ergo ne id erit mandere, cum Ezechiele propheta, Diuinum librum intus, & foris ſcriptum Sacramentalibuſque ſpeciebus inuolutum? aut ori frænum iniicere cum Oſea, quod linguæ præſtet moderamen, id ne eſt? ſacratiſſimæ auis bibere cruorem ſub accidentibus vini cum E-

Digitized by Google

ſaia minime vero, ſed ipſius Dei videtur illuſio, in illo horto, ſcaturigines reperient non mellis, ſed amaritudinis, & mortis, qui ita fecerint, deglutient profecto in hoc libro, lamenta, & maledicta, hoc frænum ſuſcipient non ad profectum, ſed ad ſuſpendium, & vt vno verbo omnia dicam, Seruatoris ſanguinem potabunt, in propriam condemnationem. Eſdras narrat ſuo tempore multos Hebræos duxiſſe vxores, Aſotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, quorum liberi perfectam Hebræorum, aut Aſſotiorum linguam non callebant, ſed quiddam Barbarum atque ex vtraque mixtum loquebantur, *in diebus illis vidit Iudæos*, ait ille, *ducentes vxores Aſotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, & filii eorum ex media parte loquebantur Aſotice, & neſciebant loqui Iudaice, & loquebantur mixtam linguam populi, & populi:* Plures hodie reperiuntur ſimiles, qui cum mala iurandi, & detrahendi conſuetudine maritati, nec loquuntur Diuina lingua, nec diabolica omnino, ſed mixta quadam, quæ quantum ad exteriorem apparentiam, nec bonum redoleat, nec malum, templa frequentabunt libris precariis, adeo magnis onuſti, vt integrum Pſalterium mandere debere, videantur, geſtabunt roſaria, & ſemper aliquid ſubmurmurabunt, ſed cum tantam blaſphemandi, ac murmurandi conſuetudinem habeant, Dei filiorum lingua non loquuntur, etſi eo modo crebras orationes ad Deum faciant, non tamen audientur, quia mala lingua corrumpit, quod bonum eſt, iuramentaque & detractiones fœdant animum, quo non queant exaudiri, ſed quid remedii, quo medicamine ſuauitatem induere poterunt hæ voces? amœniſſimos Euchariſtiæ hortos tantum ingrediantur, ibi enim fontes mellis, & lactis ſcatent, dulcorantes palatum, omnemque vocis raucedinem tollentes, ſi digne in his hortis ſeſe recreent, & voce mutata, ſolas laudes Diuinas perſonent, Deum ſibi loquentem audient proculdubio. Quemadmodum Saul, Dauidi, *nunquid vox hac tua eſt fili mi Dauid:* quaſi diceret iam te agnoſco

Eſdr. lib. 2. cap. 13.

pro filio, iam meus es, qui de perdita iuramentorum ac detractionum raucedine ſolam mearum laudum ſuauitatem loqueris, hoc meæ filiationis ſignum eſt, nec meliori indicio, poſſum aliquem pro filio agnoſcere, quam ſimili vocis immutatione.

FERCVLVM IVDICII.

Diſcurſus Duodecimus.

DIuus Alphonſus Deiparæ maieſtatem demiratus, quiddam reuera perelegans affirmauit, quod ſine eius ductu non auderem aſſerere, ait enim, *rectè arca ſacramentorum Virgo MARIA fuit, ſupra quam ſane propitiatorium, & Cherubin hinc inde obumbrantia figurantur, quia Maria nullum obrepſit peccati contagium, ſed intus omnis cuſtodia legis, & manna fuit, quod eſt mirabile Sacramentum, & propitiatio ſalutis humanæ:* vbi notandum occurrit Patrem hunc Beatiſſimæ Virginis, volentẽ ſanctimoniam exaltare, illam comparare Sacramentis, nemo neſcit verba Sacramentorum conferre gratiam, ita etiam nemini addubitandum eſt, verba Virginea tanta ſanctimonia repleri, vt quaſi Sacramentalia eſſent, ipſam etiam gratiam conferant, do exemplum in Ioanne, ille in ſenili materni vteri ergaſtulo tenebatur, ſed quod peius eſt originalis peccati lepra infectus, cum ecce ad Beatiſſimæ virginis ingreſſum, vbi ſanctiſſima eius lingua ſalutationem ad cognatam intonuit, quaſi vim Sacramentorum habuiſſet, omnem genitalis culpæ maculam à pueruli pectore abſterſit, illudque magna gratiæ copia irrorauit, vnde pulchre Epiphanius, *non permiſit Deus Beatæ Mariæ dare baptiſmum, non benedicere diſcipulos, non imperare in terra iuſſit, ſed ſolam ipſam ſanctificationem eſſe voluit*, cer-

Alphonſus.

Epiph. lib. 3. hær. c. 79.

tiſſimum eſt filium Dei ſanctificationis, ac ſanctimoniæ ſcaturiginem primariam extitiſſe, adeo tamen copioſa gratia, maternum animum repleuit, vt ipſamet eſſe ſanctificatio videretur, *ſed ſolam ipſam ſanctificationem eſſe voluit*, & propterea ait Epiphanius, nō conſtituit illam Deus Sacramentorū adminiſtram, ſicut Apoſtolos, quia ipſa erat ſanctificatio, & ex ſeipſa Sacramentorum in modum gratiam, & ſanctimoniam exhalabat, adeo vt eorum miniſtra eſſe non poſſet, cum ipſiſſimum eſſet Sacramentum, quid dico Sacramentum? quin imo arca capaciſſima Sacramentorum omnium gratias continens, vt ait Alphonſus, *recte arca Sacramentorum Virgo Maria fuit*: vt nouerint omnes quidquid gratiæ, & virtutis, quidquid charitatis, & ſanctimoniæ Sacramenta conferre poſſint, ex hac virginea arca exhalari, vt qui illis oppleri cupiat, ad illam tantum humilis accedat neceſſe ſit. Quæ cum ita ſint, non alio habiturus ſim refugium, quam ad te ò ſacratiſſima arca, ex qua gratuiti luminis mihi neceſſarii, ſpero infuſionem.

Diuina chariſmata, & gratiæ eius vniuerſim ſunt conditionis, vt magnum reddendæ de iis timorem rationis, debeant animis ingenerare, quod pulchre me docuit Lucas, cum Luc. cap. 1. cœleſtis nuntii ad Deiparam Virginem ſalutationem deſcribens, expreſſe notat, *quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius*: audito hoc inſolito nuntio turbatur virgineum pectus: Sed quæ obſecro cauſa timoris in hac legatione? nunquid fuit nuntium, à tot patriarchis, & prophetis ſumma contentione animi expetitum? quid optabilius, quid iucundius viſu Angelico? quid magis capax exhilarandi animum, quam in præcelſam Dei matris dignitatem aſſumi? & tamen trepidat illa, timet, turbatur? quid? Reſpondet Chryſologus, *Angelus* Chryſol. Serm. 140. *blandus in ſpecie, fortis in bello, mitis in habitu, in ſermone terribilis, humana proferens, Diuina repromittens, quid plura? mox ſenſit in ſe ſupremum ſuſcipi iudicem, vbi ante iam cæleſtem vidit, & contemplata eſt mediatorem*: tota timoris ratio, ait ille fuit, quod, quem

quem contemplata fuerat mediatorem orbis, in ſua incarnatione experiebatur iudicem, adeo vt tantæ gratiæ pondus, ac realis filii Dei præſentia, quem ſuis viſceribus perſonaliter clauſum tenebat, timorem illi, atque perturbationem ingereret, qui enim in eius aluo homo fiebat, iudex erat hominum, ſeueriſſimam aliquando ſuorum chariſmatum rationem petiturus. Chryſoſtomus ſubtili indagine rationem diſquirit, cur Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes formam potius linguarum ignearum aſſumpſerit, quam alterius rei, vt habetur actuum cap. 2. *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Num poterat Diuinus ſpiritus, quemadmodum in horto columbæ ſpeciem induere? num ſub ſuauiori atque iucundiori forma apparere? ad quid ergo *diſpertitæ linguæ tanquam ignis?* bene Chryſoſtomus, *poſtquam adepti ſumus donum iam inſtat iudicii & examinis tempus*: quaſi diceret, has linguas igneas, quæ in Apoſtolos deciderunt, nihil aliud clamitare, aut minari quam ſeueriſſimam reddendam rationem de recepto Spiritu, niſi eo bene vterentur, minabantur ignem & flammas, quia Deus nunquam gratias ſuas infundit alicui, quin ſimul etiam reddendæ de iis rationis timorem infundat, ſancti Spiritus chariſmata in formam columbæ ſupra ſolum Dei filium deſcendunt, quia viuorum iudex eſt & mortuorum, nec vllum habet, cui reddere poſſit rationem, ſed in alios deuoluuntur in ſpeciem ignis, quia omnibus timorem incutiunt, ac ſeueriſſimam minantur reddendam rationem ipſis etiam Apoſtolis, quin imo, & intemeratæ Dei parenti, Vates Ezechiel currus triumphalis Dei pompam, quam ad fluuium Chobar, ſedens intuitus eſt, deſcribens, aſſerit ſe magnam rotarum, atque inſtrumentorum farraginem fuiſſe contemplatum, quatuor inſuper animalia ſpecie diuerſa, quadrigarum in modum currum trahentia, & quod magis erat demirandum, flammæ & fulgura circum quæque diſcurrebant, *hæc erat viſio diſcurrens in medio animali-*

Actuum cap. 2.

Chryſoſt. homil. 1. in acta.

Ezechielis. cap. 1.

Digitized by Google

malium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens: tota autem ignis, atque fulminum moles arcus ſpeciem præferebat, *velut aſpectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum:* Iuſtinus Martyr in hæc ſcribens ait finem, quem Deus in hac viſione habuit, fuiſſe conſolari Hebræos, in captiuitate Babylonica preſſos ingenti calamitate, quapropter ſe curru triumphali opulento, & magnifico vectum, prophetæ videndum exhibuiſſe quaſi qui populum ſuum eſſet ſolaturus, eumque de præſenti eruturus calamitate: Quod ſi ita ſit, non paruam ingerit admirationem in hac pompa tot flammas, tot fulmina micare, ſi tanquam conſolator adeſt, cur hoſtis habitum induit, armatus igne, & arcu? conſolatio nimia amaritudine condiretur, ſi ſocios haberet ignes, & flammas? quid ergo Myſterii latet in hac fulminum exhibitione? Reſpondet Tertullianus in rem præſentem, *in quorum ſinu, carbonum medius eſt ignis, quoniam ad diem ignem iudicii mundus iſte feſtinat:* quaſi Deus nullam vellet homini conſolationem, aut gratiam conferre, quæ timoris non præberet occaſionem, omnia enim eius dona, & chariſmata, eius conditionis ſunt, vt terrorem non leuem incutiant, de reddenda in igneo die Iudicii ratione, propterea licet Deus magnifico curru veheretur ſolatii aliquid afflicto populo collaturus, ignes tamen, & fulgura, quaſi reddendæ rationis præcones oſtentauit: id ipſum portendere videtur lux, ſiue ſplendor, qui habebat ſpeciem arcus, in omnibus enim gratiis â Deo hominibus collatis, latet arcus, & ſagitta Diuinæ iuſtitiæ, quæ illi extremam perniciem minantur, qui iis bene non fuerit vſus, quod Rupertus adnotauit ingenioſiſſime in arcu cœleſti, quem Deus poſt diluuium in nubibus conſtituit, erat quidem ſignum pacis, & fœderis, non futuri poſtmodum cataclyſmi, ſed tamen arcus erat, qui ſeueriſſimam in extremo die Iudicii vltionem minabatur iis, qui hac gratia male vterentur, ideo conſtituit illum in nubibus, loco videlicet eminenti, vt ab omnibus

Tertul. li. de Trinit.

mnibus

mnibus facile videretur, ac memoriam rationis reddendæ refricaret, ſed præſtat audire Rupertum ita fantem, *cuius cauſas ignorantes curioſi mundi huius Philoſophi, dicunt eum fieri caſualiter, ex obiectu ſolis, cauæ nubi radios ſuos infundentis, ſed quoquo modo fiat, opus Dei eſt, non caſu, ſed ratione pro ſigno ſe exhibens Diuinæ recordationis:* Hæc ille.

Rupert. lib. 4. de Trinit. & oper. eius c. 36.

In Exodo, quamdiu populus vixit in deſerto, vbi eum Deus mille beneficiis fuit conſolatus, ſocias habuit columnas, vnam nubis, & alteram ignis; adeo vt gens hæc ingrati animi vitio inſignis, inter omnia Dei beneficia præſentes ſemper haberet flammas, cuius rationem diſquirens Zeno, ait, *verum Iudae, quid monumentis tui criminis gratularis? columna nubis te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum, ignis columna per noctem, vt moneret arſurum:* Nihil elegantius, inſigne profecto fuit beneficium, populum hunc inobedientem ex captiuitate Ægyptiaca in plenam aſſeruiſſe libertatem: grandis gratia, ſub redeuntibus maris rubri aquis, hoſtes illum ad internecionem quærentes ſepeliſſe: Munus necdum vlli exhibitum, manna Angelorum miniſterio depluiſſe in nutrimentum, ſingulare donum, illum tot barbararum Gentium, vt terræ promiſſæ poſſeſſionem aſſequeretur, victorem reddidiſſe: Quid vltra? præcedebat ſemper columna ignis, vt inter tot beneficiorum exhibitionem reddendæ rationis memores eſſent, & non leuius æterno igne eos manere ſupplicium, qui illis male vſi fuiſſent, vt ait Zeno, *ignis columna per noctem, vt moneret arſurum:* non longe abeſt ab hac cogitatione Diuus Iacobus, cum ait, *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum:* ſed quorſum obſecro à patre luminum, cur non potius, à Miſericordiæ, vel ſapientiæ parente? donum conferre homini, miſericordiæ eſt, bene conferre ſapientiæ, quid ergo dicit omne donum deſcendere à patre luminum? pulchram rationem affert quidam Doctor grauis in hunc modum: *Nullum in nos proficiſcitur donum, niſi à*

Zeno Serm. 2. in Exodum.

Iacob. Epiſt. cap. 1.

Didacus in cap. 1. Luc æ,

Patre

Patre luminum, vt flammantis Iudicii metu afficiamur, cum donum ſuſcipimus: omnes gratiæ quas ſapientiſſima Dei manus confert homini ſocias habent flammas, hoc eſt, memoriam ignis æterni, ad quem proculdubio deuoluentur, qui iis male fuerint vſi, quam eleganter Salomon, id dixit, *quis ita deuorabit, vt ego:* hoc obſcurum eſt, ſed illud Chaldæus ſua lectione illuſtrat, cum ſapientiſſimi huius regis demirans pietatem inquit, *quis quæſo vel in ſententia legis vigilantior, vel circa ſummum venturi illius Iudicis diem, ſollicitus magis, quam ego?* Ex quibus conſtat pium hunc regem inter regalem magnificentiam ac ſplendorem, inter affluentem rerum omnium copiam, de extremo iudicii die cogitare ſolitum, omnia enim dona, & gratiæ Dei, eius conditionis ſunt, vt magnum coram Diuino Tribunali reddendæ de iis rationis timorem debeant incutere. Quod ſi generatim verum eſt, de omnibus donis Dei, nemini dubium eſt, idem debere eſſe principalius de Euchariſtia, quæ cum omnium homini à Deo collatorum beneficiorum ſit maxima, ad maiorem timorem obligat reddendæ de ea rationis coram iuſtitiæ Diuinæ tribunali, quapropter illam iudicii ferculum dixerim, vt pote quæ de ſeuero examine, de ea in iudicio faciendo debeat refricare memoriam, ideo dicit Paulus, *qui enim manducat, & bibit indigne, Iudicium ſibi manducat, & bibit:* oſtendam ergo primo Auguſtiſſimum Sacramentum ferculum eſſe iudicii, quod qui indigne ſumpſerit, æternum ſubeat iudicium neceſſe eſt, altera vero parte dicam breuiter, quid faciendum ei, qui tanto periculo velit liberari.

Eccleſ. c. 2.

PARS PRIOR.

Propheta Ioel, panem Euchariſticum tanquam iudicii ferculum, quod ſeſe recipientibus rationis reddendæ terrorem incutiat, contemplatus exclamat, *filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis doctrinam iuſtitiæ:* Septua-

Ioel cap. 2.

Septugninta legunt, *eſcam iuſtitiæ:* adeo vt, qui communicat iudicii eſcam deglutiat, quæ magnum debeat incutere pauorem, fallor niſi aliquod huiuſce veritatis lineamentum duxerit Matthæus, cum Chriſtum à mortuis ſuſcitatum referens ait, *terræ motus magnus factus eſt.* Quorſum hoc? cur ſepulchrum totum tremuit, & expauit, cum ſui debuit corpus euomere conditoris? pulchre reſpondet Chryſoſtomus, *ſepulchrum accepto corpore depoſito territum, quod patris theſaurum accepiſſet, depoſitum cum tremore reddidit:* quaſi diceret ſepulchrum videns ſe parentis æterni Theſaurum, cum filii eius cadauer accepit, ſuſcepiſſe, totum tremuit, cum in reſurrectione debuit illud reddere, quaſi præſenſiſſet petendam rationem, qua eum diſpoſitione ſuſcepiſſet, ò quam iuſte, & rationabiliter, hoc rationis expers monumentum tremuit, cum ſui conditoris debuit corpus euomere, ſed quanto iuſtius, & rationabilius tremendum eſt homini, cum illum idem panis, & vini ſpeciebus velatum ſuſcipit, quandoquidem, ſeueriſſimam de eo rationem ſit redditurus, ferculum enim iudicii eſt, quod qui ſumit, cum qua id faciat diſpoſitione, ſerio diſquirat neceſſe eſt, ne vocatus ad iudicium, reus fiat corporis, & ſanguinis Domini. Zacharias id videtur innuiſſe, cum dixit, *quid enim bonum eſt, & quid pulchrum eius niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines:* per hoc frumentum patres intelligunt triticum Euchariſticum, quod purum eſt, electiſque animis nutrimentum impertit, vices omnium ſuppleat Rupertus: *replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris, & ſubaudiendum eſt bonis Domini pulcherrimis ſcilicet frumento Diuino, quæ vere eſſe bona Domini ſentit, quiſquis frumentum, & vinum ſpiritualiter intelligit*: ex quibus conſtat Euchariſticum frumentum optimum, & pulcherrimum eſſe, quod Deus homini fuerit impertitus, qua in re memorem me facit celeberrimæ illius ſtatuæ apud Heliopolim, quæ ſpicarum frumenti faſciculum admixto fulmine manu geſtabat, ita vt qui ſpicas voluiſſet

Matt. c. 28.

Chryſoſt. in Pſal. 2.

Zach ca. 9.

Rupert. in c. 9. Zach.

ſet capere, vim fulminum omnino debuiſſet experiri: quid putas Auguſtiſſimum Sacramentum eſſe in manu ſacerdotis? procul dubio frumentum, in manu Dei, *frumentum electorum:* ſed quod flamma, atque fulmine ſit admixtum, cuius vim igneam experiri debeat, qui communicat. Hoc eſt, quiſquis illud ſumit, ſciat ſe iudicii ferculum accipere, quod illi flammas, & fulmina inferni minitetur, ſi indigne ſumpſerit, quapropter non leuis timor debet adire animum ad illud accedentis.

Cant. ca. 5. Huius experimentum fecit ſponſa in canticis, cum dixit, *dilectus meus miſit manum ſuam per foramen:* quaſi diceret ſecundum Pſellum, *totum oſtium meum aperui, vt verbum Chriſtum & ſponſum meum ſuſciperem, tamen vix manus eius, eaque ſola immiſſa eſt:* ô Dei magnitudinem? ô præcelſam ſponſi huius ſtaturam? omnes animi ſui fores, vt in ſe, ceu templum intraret ſponſa reſerauit, & tamen vix manum immiſit, cum tota tremuit, tota concuſſa eſt, *& venter meus intremuit:* ſed quorſum ô virgo benedicta tremis, quorſum trepidas, cum dilectus tibi manum porrigit? ita reſpondet apud Theodoritum, *pariente me initium ſapientiæ, timorem dilecti mei tanquã iudicis*: ergo ne intemerata Dei parens ad Dei ſuſceptionem trepidabit, & animus eundem in communione excipiens, expers erit timoris? ea cæcitas, ea audacia eſſet non ferenda, ſi quem caſtiſſima virgo timet, pollutus animus non horreret, ac iudiciorum eius examen ſubire non trepidaret. Pulchre Ambroſius rationis huius vim ponderat, cum ait, *bonum eſt, vt ad aduentum Domini interiora turbentur: ſi ad Angeli aduentum Maria turbata eſt, quanto magis ad Chriſti nos turbamur aduentum?* Nemini ſibi blandiendum eſt, nihil certius, eum, qui Chriſtum in Euchariſtia ſuſcipit, iudicii etiam ferculum ſumere cuius ſeueram rationem ſit redditurus, ac extremum luiturus ſupplicium, ſi ſumpſerit indigne: ita monet Gregorius, *ad cuius tactum venter ſponſæ intremuit, quia ſancta anima quo amplius Diuinam potentiam*

Pſellus hic. Theod. Ambroſ. li. 3. de Virginibus. Greg. papa.

per

per interiorem viſitationem præſentialiter ſentit, eo diſtrictius iudicat, quidquid in ſe carnale deprehendit: quapropter filius Dei in Euchariſtiæ inſtitutione ſanguinem ſuum vocauit noui teſtamenti, nemo enim ad hæreditatem ſibi ex teſtamento relictam admittitur, niſi cum obligatione reddendæ coram Iudice rationis, ſi de eo interpellaretur, ergo cruor Chriſti noui teſtamenti ſanguis vocatur, quoniam quiſquis illum bibit, obligationem etiam ſubit ſeueriſſimæ reddendæ coram æterno iudice rationis, qua diſpoſitione eum ſumpſerit, aut quantum profecerit ex eo.

Quis de Euchariſtia, vel tantillum poteſt cogitare, quin illico mannæ recordatio illius animum pulſet? Matthæus de Auguſtiſſimi Sacramenti inſtitutione diſſerens, ſtatim ad manna vertit cogitatum, *non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt*: latet mors in manna, hoc eſt, ſeuerum iudicium in Euchariſtico pane, illum ergo cum tali diſpoſitione ſumas, vt nec mortem, nec iuſtitiam reformides. Vides ergo quam tremendum ſit ad hoc epulum accedere, gladium enim Diuinæ iuſtitiæ inuoluit, ac vindicantia tegit fulmina. Et vt vno verbo multa dicam, frumenti faſciculus eſt in Apollinis manu, ſed ſocias flammas, atque ignes habens admixtos, audiendus & in hanc rem B. Gaudentius ſic loquens, *ipſe pluit manna, cibum ſuis cultoribus in eremo: qui ignem pluerat nefando ſacrilegio criminoſis ipſe pluit manna placidus, qui flammam pluerat indignatus*: vides eandem manum cibum cum fulmine manna geſtare cum flammis, vt ſciant omnes, eum qui Euchariſticum panem ſuſceperit indigne, æternum debere timere ſupplicium, manus eadem, quæ olim Hebræis coturnices pluit in deſerto, iis etiam aliquando fulmina pluit, quæ maximam partem vorauere, quæ pluit manna, longe ante ſulphureos ignes pluerat Sodomitis, eadem etiam, quæ Euchariſticum ferculum porrigit, flammis armatur, & fulmine quibus ſi indigne acceſſeris ſupplicium luas. Loquatur Epi-

Matt. c. 26.

Gaudent. tract. 10. de manduc. agni.

Dd 2 pha-

Epiphan. Serm. de laud. virginis. phanius, qui de virgine ſic dicit, *ipſa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in vtero geſtat:* hoc pulchre dictum, ſed ſi ſuam haberet probationem facilius etiam ſibi fidem conciliaret. Proba ſi potes Epiphani, id libens faciam reſpondet ille, *ſermonique meo atteſtatur Diuina ſcriptura dum ait, venter tuus aceruus frumenti vallatus liliis:* egregiam ſane rationem! quia frumentum geſtabat in vtero, debuit ne ideo, & fulmen habuiſſe? omnino certe, nuſquam enim alterum ſine alio eſſe poteſt, vbi triticum Euchariſticum, ibi quoque fulmen ſit, neceſſe eſt, ſocia enim vult habere arma, quibus terrorem incutiat iis, qui ſe indigne ſuſceperint.

Apoſtolus lucem addit ſupra dictis, eleganti ratione quæ bene intellecta non leuem pariet voluptatem, ait enim, 1. Cor. ca. 3. *omnia veſtra ſunt, ſiue mors, ſiue vita, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei,* Chriſtus omnibus vita, & mors eſt, ſed præſertim in Sacramento altaris, Ioan. ca. 6. vitam eſſe ſatis probat illud, quod dixit, *ſicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me:* Cyrill. li. 4. in Ioan. c. 6. quod Cyrillus ita explicat, quemadmodum ille, qui vita indeficiens eſt, dum corpus meum in matris vtero formauit, illam eandem vitam mihi conceſſit, ita ei, qui me in Euchariſtia ſumpſerit hanc vitam, quam à patre accepit communico, adeo vt vita mea viuat, quæ cæleſtis eſt, & Diuina quod facilius eſt intellectu, ſi Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem ſpectauerimus, vt nutricem, quæ ſuorum vberum lac porrigat, ac tribuat nutrimentum, vt ait Chryſoſtomus, Chryſtom. homil. 28. in Matth. *multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere noluit: ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit, atque conglutinat:* lac eſt ſanguis defæcatus, vita autem in ſanguine eſt, qui ergo lac Euchariſticum ſuxerit, in quo Diuinæ nutricis vita continetur, hanc eandem vitam ſugat neceſſe eſt, quanta foret infœlicitas, ſi ex parentis lacte mortem infantulus hauriret, ex quo vitam debuiſſet accipere? ſed quanto ca-

to calamitoſius, ſi animus communicans in Euchariſtico la-ctе, vbi vita Diuina eſt, mortem reperiret? & tamen ait Paulus, *veſtra omnia ſunt, ſiue mors, ſiue vita:* prohibuit quondam Deus in exodo, ne in materno lacte coqueretur hædus, *non coques hædum in lacte matris*: Vatablus, & Oleaſter, ita intelligunt hoc præceptum, quod ſolum Deus prohibuerit, cum lactentem mactare ad eſum, non ad ſacrificium. Sed D. Thomas, Caietanus, Lyranus, & Abulenſis ad litteram intelligunt prohiberi, ne in parentis lacte concoquatur, videretur enim nimis barbarum, ſi in eo mortem reperiret, quod vitam debuiſſet conferre, quid ergo dicendum eſt, ſi lac Euchariſticum, quod vitam ſolet impertiri, ſe indigne ſuſcipientibus largiatur mortem? poſſet ne ſibi ipſi crudelius aliquid machinari, qui communicat, quam infælicem mortem in hoc ſacratiſſimo campo metere, qui totus pullulat in vitam? pulchre Chryſoſtomus, *Quemadmodum fontes aqua ſcaturiunt, ſic & hæc menſa flammam quandam ineffabilem fouet. Caue igitur accedas cum ſtipula, lignis & fœno, ne maius efficias incendium, & animum, qui ſit eius particeps exuras:* quidam fons teſte Plinio reperitur, qui flammas vomit: quid ad rem accommodatius poteſt reperiri? fontem vitæ habes, mammam Euchariſticam, quæ lac, vitæque ſcaturiginem bonis propinat, ſed indigne communicantibus fulmina iaculatur, & flammas, quid funeſtius illo fulmine, quo ſceleratiſſimum Iudam proſtrauit? ad hunc vitæ fontem, ad hæc ſacratiſſima matris vbera, voluit infœlix accedere, & vbi alii repererunt vitam, mortem ipſe inuenit, & poſt buccellam introiuit in eum ſathanas, quorſum cogitas poſt hoſtiam conſecratam putidum proditoris os dæmonem auſum fuiſſe ingredi? An forte quod deſpectui haberet Sacramentum? minime vero ait Anaſtaſius Synaita, *non quod diabolus panem illum deſpiceret, ſed vt eum qui ſumpſerat redargueret, in Iudicium enim ſuum ſumpſerat.* Ratio cur dæmon ſceleratum Iudæ pectus ingreſſus eſt, fuit quia ſimul cum Eu-

Exod. c. 23.

Chryſoſt.

Anaſt. Synaita lib. 10. in Exa.

Dd 3 chari-

chariſtia iudicium ſuum ſumpſerat, vbi iudicium eſt, accuſator quoque carnifex, & ſuppliciũ reperiatur eſt neceſſe, cum igitur diabolus carnifex eſſet, illi ſupplicium irrogaturus, debuit in illum ingredi, quo ſuo muneri ſatisfaceret, quod poſtea breui poſt tempore mandauit executioni, cum infelicem ſuſpendit arbori, in ſui criminis ſupplicium, vides ergo ſceleratum hunc in Euchariſtico vbere, vnde boni, vitam, & gratiam hauſerant, mortem, & condemnationem reperiſſe.

Huiuſce rei tropum Spiritus ſanctus ſapienter iecit in Geneſi, vbi Deus Abrahamum inuiſens ſenem reperit iuxta fores domus adſtantem, quem videns ille ſtatim accurrit, pronus in terram adorauit, rogauitque introitum, *quos cum*
Gen ca.18. *vidiſſet cucurrit in occurſum eorum, de oſtio Tabernaculi ſui, & adorauit in terram, & dixit, Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum:* cui ingreſſo ſolemne parauit epulum, & quam potuit humanitatem adhibuit, quærit Romanus Clemens, quid ita humanum, & comem reddiderit Abrahamum, extraneum vidit ſibi ignotum peregrini habitu, & tamen eadem exhibet officia humanitatis, quæ inueterato dudum amico feciſſet: Imo vero reſpondet Clemens ſatis illum agnoſcebat, interno obtutu ſub apparenti forma agnoſcebat Deum, quem externo cultu adorabat, *Dei filium Abraham acceptum hoſpitio, iudicem, & ſuum Dominum confeſſus eſt:* Agnouit Deum ſimul eſſe, & iudicem, vnde totus trepidus in terram cecidit adorationis ſuæ exhibiturus cultum, & ne ſe condemnaret rogaturus; ſed longe diuerſum egere Sodomitæ, vt eodem capite habetur, recepto enim Domino in ſuam ciuitatem, vbi debitum honoris obſequium debuiſſent impendere, ſempiterni dedecoris notam inurere pertentarunt, quo fit, vt eum tanquam hoſtem aggreſſi clamitarunt, *vbi ſunt viri, qui introierunt ad te nocte, educ illos huc:* & ideo eum reperere ſeuerum iudicem, qui in ſceleratos vindices ſuæ iuſtitiæ flammas tanta vi exeruit, vt omnes ſepelierit in profundo, ſi Abraha-

Clemens Rom. lib. 5. conſt c. 21.

mum

mum imitati, eum, vt iudicem aſpexiſſent, hanc profecto non incurriſſent calamitatem, cum ſub hac iudicis forma Apoſtoli, in poſtrema cæna recepere, ſed nequam proditor Sodomitas imitatus eſt, quapropter eum illi experti ſunt matrem vitam conferentem, hic vero iudicem ſeueriſſimum, æternæ mortis pronuntiantem ſententiam, talem etiam reperient multi in die Iudicii, qui eum ſicut Abraham non receperint in hac vita, ſed quemadmodum nefarii Sodomæ ciues, vbi enim illi qui eum in Euchariſtia digne ſumpſerint, cœleſtem gratiæ vitam reperient, hi è conuerſo mortis æternæ iaculo confodientur, idcirco notatum reperio in Numeris de populo Iſrael per ſolitudinem vagante, *reuerſique ſunt, & venerunt vſque ad fontem Maſphat*: quod ſignificat iudicium, quaſi diceret, & venerunt *vſque ad fontem iudicii*: fons autem ille, hoc ideo nomine vocabatur ſecundum aliquos, quia prouinciæ illius iudices ad ferendas ſententias ad hunc fontem conueniebant, ſed Abulenſis aliam ſuggerit rationem cum ait, *quia ibi iudicati ſunt Moyſes, & Aaron, vt non introirent terram promiſſionis, quia increduli fuerunt ori Domini, vel quia transgreſſi fuerunt modum præcepti eius*: iam populus diutiſſime per ſolitudinem fuerat vagatus, iam multis annis manna pro cibo ſumpſerat, cum Deus iubet vt ad fontem iudicii reuertatur, ſed ad quid obſecro poſt manna iudicii fons? quam connexionem habet panis Angelorum cum iudicio, & ſententia? magnam profecto: manna ſiquidem panem Euchariſticum exprimebat, qui cum ferculum iudicii ſit, poſt eius ſumptionem, voluit Deus populum ad iudicii fontem reuerti, vt notum fieret omnibus, in altaris Sacramento iuſtitiam concludi, quæ bonis vitam, mortem autem malis decernat.

Num.c.33.

Abul.in ca. 14. Gen.

PARS

taris lectulus eſt, ſed totus floridus, totus amœnus, vbi poſt mille inita certamina, poſt ſuperatos non ſemel hoſtes, ſancti requiem captant: ſed qui ſunt ſexaginta milites qui hunc cuſtodiunt lectum Seruatoris? Apponius dicit eſſe Angelos, *qui fortiſſimi dicuntur quoniam plus ipſi poſſunt quam dæmones, & ex fortiſſimis Iſrael, qui de illo exercitu ſunt, qui ſemper faciem vident patris:* cuſtodes ergo lectuli Salomonis ſunt Angeli, qui continuo circumuallant corpus filii Dei Euchariſticis ſpeciebus tectum, lectulus enim ſuauiſſimus eſt, in quo Sanctorum animæ dum communicant conquieſcunt; ſed ad quid tot arma, quid proſint in horum cuſtodum manibus tot enſes, & haſtæ? *omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*: id eſt, propter ſuperius allatam rationem, vt dum aliquis polluto animo ad hunc ſacratiſſimum lectum voluerit accedere, atque indigne communicare, in eum impetum faciant, inferantque mortem, quod dubio procul facerent, vt ait Paſchaſius, niſi eos Chriſtus impediret, ſuppliciumque differret ad inferos, placet videre exemplum? diſcipuli omnes paſſionis tempore arrepta turpiſſima fuga filium Dei reliquere, & tamen hac infidelitate contempta propitiam omnibus manum conceſſit, præterquam Iudæ: Petre ſecundo, ac tertio me negaſti, quia tamen in vltima cœna communicaſti digne, ideo tibi manum porrigo vt ſurgas à lapſu. Thoma hæreſin incurriſti, quia tamen me ſub Euchariſticis ſpeciebus cum debita diſpoſitione ſuſcepiſti in virtute huius communionis ſurge à caſu, atque in Eccleſiæ gremium redi; Iuda prodidiſti me, ſed ore ſacrilego ſumpſiſti Euchariſtiam, abi in virtute eius, abi in malam horam ad patibulum, de ſalute deſpera, non impediam, vt ſceleratæ tuæ proditionis ſupplicium luas in inferno. Papæ, quam periculoſum eſt hoc iudicii ferculum ſumere, ſuos ignes tegit, ſua celat fulmina, flammas non prodit, non facile oſtendit ſe eſcam iuſtitiæ, & iudicii fontem eſſe, ſed veniet aliquando hora, cum in pœnam ſacrilegarum tuarum com-

Appon. in ca.3. Cant.

Ee munio-

munionem, te Deus in occaſione deſeret, occidi permittet, ac in peccati lethalis ſtatu mori, vt omnia, æterni ignis pabulum factus cum Iuda exſoluas. Tertullianus rationem reddens, cur fideles vindictam de Romanis ſumere non deberent dicit, *vna nox pauculis facibus largitatem vltionis poſſet operari, ſi malum, malo diſpungi, penes nos liceret, ſed abſit, vt igne humano vindicentur Diuina facta,* hæc dicta, de Auguſtiſſimo Sacramento intellige, quod facile male communicantes fulminaret, eoſque comminueret in pulueres, facile permitteret cuſtodibus angelis, ſuam in illos virtutem exerere, ſed abſit, quod igne humano vindicetur Diuinus panis, flammæ noſtræ ſufficientes non habent aculeos, illæ neceſſariæ ſunt quæ dæmones, & Iudam excruciant.

Tertul. lib. contra gentes.

Quid ergo remedii ad hoc periculum euadendum? Deus olim præceptum hoc hominibus dedit, *carnem cum ſanguine non comedetis*: prohibet ne caro, cum animæ ſanguine mandetur, ita legit Chryſoſtomus, *carnem in ſanguine animæ ne comedatis*, quæ hæc caro, quis animæ ſanguis, quem Deus prohibet comedi? Nazianzenus ait lacrimas animæ eſſe ſanguinem, *ſanguinis animæ lacrimæ ſunt.* Iſidorus affirmat ſanguinem hunc eſſe peccata, ò cruorem corruptum, qui gratiæ vitam in conſcientia ſuffocat, donec contritionis punctione, velut lancina exprimatur, *ſanguinem manducare prohibent*, ait ille, *ne vita priſtina quaſi ſuffocata in conſcientia teneatur, ſed effundatur per confeſſionem:* peccata ergo ſunt animæ ſanguis, ſed quæ obſecro caro eſſe poteſt, quam Deus prohibeat, cum peccatorum ſanguine comedi? An forſitan taurorum, hircorum, aut agnorum caro? minime vero caro eſt, ſed illius tauri, qui mortem in ara crucis ſubiit, caro eſt, ſed Diuini agni, qui tulit peccata mundi, caro eſt, ſed hirci, qui in ſacrificium oblatus eſt, pro reparatione humani generis. Denique filii Dei pretioſiſſima eſt caro, in Sacramento altaris realiter exiſtens, loquatur Chryſoſtomus exponens hunc locum,

Gen. cap. 9.

Nazianzenus.

Iſidorus in cate.

Chryſoſt.

quaſi

quaſi doceret, illos dicens, quia ſanguis mihi ſegregatus eſt vobis caro. Deus dat nobis carnem ſui corporis in Euchariſtia, ſed ea conditione, vt ei animarum noſtrarum ſanguinem, hoc eſt, peccata offeramus, vt illa deleat, & ab iis abſoluat nos, ſic ergo, vbi perfecta confeſſione compunctionis aculeo putrefactum hunc cruorem, de conſcientiæ latebris expreſſerimus, tum carnem eius in Euchariſtia poterimus ſumere, iuxta præceptum eius, *carnem in ſanguine animæ non comedetis.* Idque omni digne communicare volenti faciendum, ex animæ abditis peccatorum ſanguinem exprime, quiſquis voles Euchariſtico Epulo digne appropinquare, ita explicat Rupertus Rupert. in
hoc præceptum, cum ait, *bona exceptio dicentis, excepto, quod* cap. 9. Gen.
carnem, cum ſanguine, id eſt, niſi prius effuſo ſanguine non comedentis: Si vis proficuam tibi eſſe carnis Chriſti ſumptionem peccatorum ſanguinem digna prius confeſſione exprime, alias ſi retinueris, animam ſuffocabit. Iudas contra præceptum legis putidum hunc ſanguinem in conſcientiæ venis retinens, ſacratiſſimam hanc carnem ſumere non dubitauit, quo factum eſt, vt medius crepens, ac ſeſe ſuſpendens laqueo, ſceleratum ſpiritum inferis deputarit.

Caue ergo ne Iudam imitatus, hoc præceptum habeas Pſal. 111.
deſpectui. Dauid prophetico obtutu, iſthæc intuens pulchre ait, *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua:* vt acumen percipias nota, ſeneſcentem aquilam roſtrum nimio incremento recuruum petræ allidere, quo eius acumine hebetato, ac depoſitis veteribus plumis in primam renouatur iuuentutem. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*: Deus immortalis, quot hodie aquilas poſſidet mundus, quid auari, & fœneratores, quid ii, qui ore, manibuſque proximorum fortunas deprædantur? quid ſunt tot occulti prædones holoſericis veſtiti, niſi aquilæ rapaces, quæ die, nocteque velut roſtro adunco aliorum ſibi bona vendicant, certe affirmare auſim, plures reperiri, quibus adeo roſtrum præ diuturna conſuetudine incuruatur, vt

Ee 2 non

Digitized by Google

non ſumant amplius Euchariſticum Epulum, aut ſi ſumant, eius non recipiant eff ctum, quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſed forſan vna ex his aquilis, ſuæ ſalutis cupida tanto morbo quæret medelam? imitata eſt aquilam in rapacitate, eam quoque in renouatione ſequatur: Pulchre Auguſt. modum docet, quo id præſtare poſſit, *ſic & quod nos impedit comedere panem noſtrum, petra aufert, & excutit vetuſtatem, ideſt, Chriſtus, vt in eo renouemur, quibus vetuſtas clauſit os oblitis manducare panem noſtrum*: Vis ò infelix fænerator poſt diuturnum tui roſtri, atque vnguium vſum, in nouam iuuentutem renouari? vis aduocate hoc ſacratiſſimo pane refici, poſt deprædatos tuo roſtro tot clientes? Accurre ad petram IESVM feſtinus accede, pauperem adi, qui alter IESVS eſt, de quo ipſe ait, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: Pauper petra eſt, ad quam roſtrum infringendum, Xenodochium adi, ibi innumeras inuenies petras, quibus iniuſte poſſeſſa reſtituas, roſtrum enim infringere, aliena reſtituere eſt, hoc ſi feceris, ſacratiſſimo iudicii ferculo paſceris in vitam, ſin minus, velut alter Iudas, æterno mortis laqueo ſuſpenſus præcipitaberis in infernum.

Auguſt. in Pſal. 111.

FERCVLVM SAPIENTIÆ.

Diſcurſus Decimustertius.

GEorgius Venetus Lunæ proprietates ſpeculatus, quiddam ſane egregium adnotauit, ait enim, *Luna Sol alter, à quibuſdam non incongrue dicitur, quia ea, quæ Sol ſuperius vi maſculina generat, hæc ipſius, & aliorum planetarum fætum ſuſcipiens, inferiori mundo, ſibi vicino edit, ideo eius motus præ cæteris obſeruatur, quaſi omnium conceptum parientis.* Pulchre ſane, communis enim

Georgius Venetus in Har. Cant. 1. Tono 4. cap. 38.

nim Aſtrologorum ſententia eſt, omnes ſolis, atque planetarum influxus, qui ad inferiora deriuantur, prius in Lunæ ſinum excipi, tum deinde eius interuentu terræ communicari, cum Venere regit illa caput, collum cum tauro, cum geminis brachia, pectus cum cancro, cum Leone præſidet humeris, extis cum virgine, cum libra ſagittario capricorno, & aquario cæteris corporis membris, *ita vt omnium influxus ab eis ſuſcipiat, & tanquam rerum omnium inferiorum mater, in terras vicinas deriuet:* Concludit Georgius, Anaſtaſius Sinaita dicit Eccleſiam eſſe mundum myſticum, cuius aſtra ſint ſancti, Sol Chriſtus, virgo Deipara habeatur pro Luna, vnde bene dicit Georgius, *ideoque non abs re Lunæ aſſimilatur mater illa omnium gratiarum plena, quæ à diuerſis fontibus per diuerſos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium diſpoſitione:* Quidquid ergo è cœlis in hæc inferiora depluit, in Beatiſſimæ Virginis ſinum excipi neceſſe eſt, impetret aliquid gratiæ ſydus vnum, Petrum intelligo, ſe deprecanti, id non alias faciet, quam per Lunam, prius per MARIAM excipi oportet, quam deuolatur ad petentem, pluat Paulus aliquod Diuinæ ſapientiæ ſtillicidium, tranſeat per MARIAM neceſſe eſt, quia non poteſt vllus è cœlo influxus deriuari, niſi prius ſacratiſſima huius Lunæ aluo exceptus, terræ communicetur. Vnde optime Bernardus, *omnibus omnia facta eſt, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi:* Idem etiam ſolem Chriſtum agere non dubium eſt, vt nullam gratiam vlli communicet, niſi per Mariam, cuius ratio eſt SS. Trinitatis decretum, quo Pater vt filiæ, filius vt matri, Spiritus vt ſponſæ ſe quodam modo obligarunt, nihil communicaturos hominibus, niſi per eius merita, & interceſſiones, ita Bernardus dum ait, *quia hæc eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam:* quæ cum ita ſint, non aliud aſtrum mihi ſuſpiciendum puto ò Luna ſplendida præter te ipſam, tu quæ omnium influxus moderaris, imo ipſius æterni ſolis gra-

Anaſt. Sinai. lib. 4. in Exan.

Georg. vbi ſupra.

Bern. Serm. in illud ſig. mag.

Bern. Serm. 3. de natiu. Domini.

tias, tuo ſinu excipis hominibus communicandas, vel leuem illarum ſtillam mihi impetra , quo aliquid & veritati conſonum , & à vera pietate promam non alienum.

Nemini venire poteſt in dubium, fidelem communicantem arctiſſimo fœdere filio Dei copulari, propterea patres mirum in modum delectantur, quis aptiori nomine ſacratiſſimum hoc vinculum compellabit, Auguſtinus dicit, *accedat, credat & incorporetur*, Chryſoſtomus, *huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus & vna caro:* Cyrillus Alexandrinus aliquid amplius affirmare audet, communicantem parentelam aliquam inire cum Chriſto , alterumque Chriſtum effici, *ſic etiam efficimur Chriſtiferi:* Algerus ait fieri ipſiſſimum Sacramentum, *quia conſacramentales, & concorporales ſumus Chriſto:* collectis ergo omnibus, quæ ſancti Patres de hac vnione affirmant, reperiemus eam eſſe Phyſicam, realem, ſubſtantialem , corporalem , & ſacramentalem, vt clarius id pateat velim notari , Auguſtiſſimum Sacramentum vitæ eſſe arborem in Eccleſiæ medio plantatam. Quæſtionem mouent Sancti Patres, cur arbor vitæ, quæ vitam communicare poterat, nemini tamen illam impertiit, an forſitan fruſtra condita, quandoquidem nunquã finẽ fuit aſſequuta, propter quẽ eſſe accepit? minime ſane, Deus enim, & natura nihil fruſtra operantur, ait Philoſ. Paſchaſius propoſitæ difficultati reſpondet, affirmans vitæ arborem Sanctiſſimi Sacramenti typum fuiſſe, in eoque ſuum ſortitam effectum, *arbor quidem ligni vitæ*, ait ille, *Chriſtus eſt in Eccleſia, cuius imago in paradiſo arbor illa fuit, idcirco ſcire conuenit, quod veritas hic completur, quam prius figura præmiſit*: ſufficit ergo arborem hanc, vt fruſtra non cenſeatur condita, ſaltem in eo cuius typum geſſit, effectum habuiſſe. Suppoſito ergo Euchariſtiam eſſe arborem, non poſſum melius vnionem quæ inter Chriſtum , & communicantem intercedit, realem Phyſicam, naturalem, ſubſtantialem, eſſe oſtendere, quam ſi ſurculi comparatione vtar, hiſce nomini-

Aug. tract. 26. in Ioan. Chryſoſt. homil. 20. ad populum. Cyrillus Hier. catches. 4. Algerg. lib. 1. de corp. & Sang. Chriſti. ca. 16.

Paſcha lib. de corp. & ſang Domini c. 6. Iren. lib. 4. aduer. hær. c. 23. nu. 13. Hilarius lib. 8. de Trinit. Miſcenus orat. quæ vocat. catechizatio. cap. 37. Chryſoſt. homil. 45. in Ioan. & homil. 83. in Matth.

Digitized by Google

minibus à ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris, hæc vnio nuncupatur ab Ireneo, Hilario, Nyſſeno, & Chryſoſtomo, qui ergo vult ingerere, ſurculum capit, eumque trunco applicat, cui tenaciſſime copulatur, & hoc vinculum naturale dicitur, quia natiuo quodam coagulo, ſimul vniuntur, Phyſicum etiam eſt, & reale, quia Chymæra non eſt, ſed quid ſolidum, palpabile, atque ſenſui ſubiectum: illud etiam ſubſtantiale dixerim, quia truncus ſubſtantiam ſuam communicat ſurculo, qua eadem cum ipſo vita viuat, denique corporale vinculum eſt, quia duorum corporum eſt vnio ſurculi cum trunco: idipſum ergo affirmo, in Sacramento altaris, inter Chriſtum, & eum qui communicat accidere, vt Seruator ipſe apud Ioannem teſtatus eſt, cum dixit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ab vnione naturali principium duco, & certe quemadmodum ſurculus trunco naturaliter copulatur, ita &, qui communicat, cum Chriſto vnitur, in illo n. tanquam in trunco ingeritur, eique natiuo nexu coagulatur: ſicut enim abſciſſa auricula calente adhuc ſanguine, ſuo loco applicata naturali vnione copularetur capiti, quia illius natiuum membrum eſt, ita, qui vitæ, atque ſcientiæ arbori, hoc eſt, Chriſto in Euchariſtia ingeritur, naturaliter ei quoque copuletur neceſſe eſt, quia Chriſtus eius caput eſt, ille vero ipſius membrum, naturale autem eſt, quodlibet membrum ſuo capiti copulari, vnde Paulus dicit, *vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participant.* Et ſanctus Hilarius eam dicit eſſe naturalem vnionem his verbis, *quod autem in nobis, naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt, qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Altera trunci cum ſurculo vnio eſt Phyſica, & realis; quæ etiam inter communicantis corpus, & illud Chriſti intercedit, quemadmodum enim inter vtriuſq; animam, & Spiritum, realis vnio ſecundum gratiam, & effectum reperitur, ita etiam

tias, tuo ſinu excipis hominibus communicandas, vel leuem illarum ſtillam mihi impetra, quo aliquid & veritati conſonum, & à vera pietate promam non alienum.

Nemini venire poteſt in dubium, fidelem communicantem arctiſſimo fœdere filio Dei copulari, propterea patres mi um in modum delectantur, quis aptiori nomine ſacratiſſimum hoc vinculum compellabit, Auguſtinus dicit, *accedat, credat & incorporetur*, Chryſoſtomus, *huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus & vna caro:* Cyrillus Alexandrinus aliquid amplius affirmare audet, communicantem parentelam aliquam inire cum Chriſto, alterumque Chriſtum effici, *ſic etiam efficimur Chriſtiferi:* Algerus ait fieri ipſiſſimum Sacramentum, *quia conſacramentales, & concorporales ſumus Chriſto:* collectis ergo omnibus, quæ ſancti Patres de hac vnione affirmant, reperiemus eam eſſe Phyſicam, realem, ſubſtantialem, corporalem, & ſacramentalem, vt clarius id pateat velim notari, Auguſtiſſimum Sacramentum vitæ eſſe arborem in Eccleſiæ medio plantatam. Quæſtionem mouent Sancti Patres, cur arbor vitæ, quæ vitam communicare poterat, nemini tamen illam impertiit, an forſitan fruſtra condita, quandoquidem nunquã finẽ fuit aſſequuta, propter quẽ eſſe accepit? minime ſane, Deus enim, & natura nihil fruſtra operantur, ait Philoſ. Paſchaſius propoſitæ difficultati reſpondet, affirmans vitæ arborem Sanctiſſimi Sacramenti typum fuiſſe, in eoque ſuum ſortitam effectum, *arbor quidem ligni vitæ*, ait ille, *Chriſtus eſt in Eccleſia, cuius imago in paradiſo arbor illa fuit, idcirco ſcire conuenit, quod veritas hic completur, quam prius figura præmiſit:* ſufficit ergo arborem hanc, vt fruſtra non cenſeatur condita, ſaltem in eo cuius typum geſſit, effectum habuiſſe. Suppoſito ergo Euchariſtiam eſſe arborem, non poſſum melius vnionem quæ inter Chriſtum, & communicantem intercedit, realem Phyſicam, naturalem, ſubſtantialem, eſſe oſtendere, quam ſi ſurculi comparatione vtar, hiſce nomini-

Aug. tract. 26. in Ioan. Chryſoſt. homil. 20. ad populum. Cyrillus Hier. catches. 4. Algerg. lib. 1. de corp. & Sang. Chriſti ca. 16.

Paſcha lib. de corp. & ſang Domini c. 6. Iren. lib. 4. aduer. hær. c. 23. nu. 13. Hilarius lib. 8. de Trinit. Miſcenus orat. quæ vocat. catechizatio. cap. 37. Chryſoſt. homil. 45. in Ioan. & homil. 83. in Matth.

minibus à ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris, hæc vnio nuncupatur ab Ireneo, Hilario, Nyſſeno, & Chryſoſtomo, qui ergo vult ingerere, ſurculum capit, eumque trunco applicat, cui tenaciſſime copulatur, & hoc vinculum naturale dicitur, quia natiuo quodam coagulo, ſimul vniuntur, Phyſicum etiam eſt, & reale, quia Chymæra non eſt, ſed quid ſolidum, palpabile, atque ſenſui ſubiectum: illud etiam ſubſtantiale dixerim, quia truncus ſubſtantiam ſuam communicat ſurculo, qua eadem cum ipſo vita viuat, denique corporale vinculum eſt, quia duorum corporum eſt vnio ſurculi cum trunco: idipſum ergo affirmo, in Sacramento altaris, inter Chriſtum, & eum qui communicat accidere, vt Seruator ipſe apud Ioannem teſtatus eſt, cum dixit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ab vnione naturali principium duco, & certe quemadmodum ſurculus trunco naturaliter copulatur, ita &, qui communicat, cum Chriſto vnitur, in illo n. tanquam in trunco ingeritur, eique natiuo nexu coagulatur: ſicut enim abſciſſa auricula calente adhuc ſanguine, ſuo loco applicata naturali vnione copularetur capiti, quia illius natiuum membrum eſt, ita, qui vitæ, atque ſcientiæ arbori, hoc eſt, Chriſto in Euchariſtia ingeritur, naturaliter ei quoque copuletur neceſſe eſt, quia Chriſtus eius caput eſt, ille vero ipſius membrum, naturale autem eſt, quodlibet membrum ſuo capiti copulari, vnde Paulus dicit, *vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participant.* Et ſanctus Hilarius eam dicit eſſe naturalem vnionem his verbis, *quod autem in nobis, naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt, qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Altera trunci cum ſurculo vnio eſt Phyſica, & realis; quæ etiam inter communicantis corpus, & illud Chriſti intercedit, quemadmodum enim inter vtriuſq; animam, & Spiritum, realis vnio ſecundum gratiam, & effectum reperitur, ita etiam

iam inter vtriuſque corpus Phyſicum vinculum eſt, quia filii Dei corpus realiter exiſtit ſub accidentibus panis, & vini, ideoque Phyſice vnitur, vt ait Cyrillus Alexandrinus, *non tamen negamus recta nos fide, charitateque ſincera Chriſto ſpiritualiter vniri, ſed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pernegamus, idque à Diuinis ſcripturis omnino alienum dicimus.*

Cyril. Alex. lib. 10 in Ioan. ca. 13.

Tertia arboris vnio cum ſurculo eſt ſubſtantialis, ab ipſa enim arbore ſubſtantia ſubit in ſurculum, qua viuit, & fructificat, adeo vt eandem vterque vitam viuant, ita plane qui digne communicat ſubſtantialiter Chriſto copulatur, quia cum in illum ſit inſertus, eadem quoque cum eo vita viuat neceſſe eſt, *& qui manducat me, & ipſe viuet propter me, ait Ioannes:* & ſicut truncus ſubſtantiam ſuam communicat ſurculo, vt fructus vberes ferat, ita Chriſtus vitæ, atque ſubſtantiæ Diuinæ participationem quandam illi impertit, qui communicat, quo fructus, hoc eſt, opera ſimillima operibus Dei producat. Eleganter in hanc rem Chryſoſtomus, *vt itaq; non tantum per charitatem hoc faciamus, verum & ipſa re, in ipſam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur:* hæc ille.

Ioan. ca. 6.

Chryſ. homil. filii ad popu.

Denique ſurculi cum trunco vinculum eſt, corporis viuentis non mortui, cum viuente ſimiliter corpore, cum igitur truncus viuat, ideo ſanguinem, hoc eſt, ſubſtantiam ſuam influit in ſurculum, vt inter vtrumque corporalis vnio intercedat, eadem plane eſt corporis Chriſti, cum communicantis corpore vnio, hoc eſt, duorum corporum viuentium. Sic Paſchaſius, *ita Chriſtus in eis per hoc Sacramentum corporaliter manet:* & vt perfectius fiat hoc vinculum, etſi ex vi verborum ſola nobis detur caro Chriſti, nihilominus tamen per concomitantiam datur & eius ſanguis, vt Chriſti IESV vita modo ſublimiori viuamus, præcepit Deus in Leuitico, *carnem cum ſanguine non comedetis:* cuius rationem dat textus ipſe, *vita enim in ſanguine eſt;* ſuppoſito ergo vitã eſſe in ſanguine, ſi po-

Paſcha. lib. de corp. & ſang. Domini cap. 8.

Leuit. c. 19.

ſi populus animalium cruorem comediſſet, animalem quoque vitam rationali admiſcuiſſet, ſicque homo non ſecus, ac brutum egiſſet vitam, ita Cyprianus in hæc verba, *nec oportuit, vt ſanguini humano ſanguis pecudum miſceretur, quia vita rationalis hominis, vitæ beſtiali conſociari non habet*, Theodoretus idem aſſerit, *ne vita hominum vitæ pecudum ſociaretur.* Oppoſitum tamen facit Seruator, neque enim ſolam carnem in Sacramento altaris impertit, verum etiam per concomitantiam & ſanguinem, in quo vita ſita eſt, vt vtrumque comedentes eandem cum ipſo vitam ducamus, & tanquam tenerrimis ſurculis, in hanc vitæ, atque ſcientiæ arborem inſertis, ſuam ſubſtantiam, vitam, atque ſapientiam largiatur, iam ſuperioribus oſtendi, qua munificentia, quidquid habet ſubſtantiæ ac vitæ communicet fidelibus, ſupereſt vt arborem quoque ſcientiæ eſſe oſtendam, quæ ſapientiam diuinam copioſiſſimè infundat, vt quemadmodum vitæ, ita & ſapientiæ quoque ferculum, oſtendatur. Hoc primum faciam, poſt in eos, qui nuſquam, vel raro in ſacratiſſimum hoc ferculum inſeruntur, inuecturus.

Cypr. ſerm. de cœna Domini.
Theodoretus hic.

PRIMA PARS.

Cum animus graui aliqua infirmitate ſpirituali, per confeſſionem liber effectus eſt, adhuc tamen illi viſus hebeſcit, nimium debilem habet obtutum, quo mundi fallacias deprehendat. Hoc non difficulter videre eſt, in Euangelico cæco, qui vera peccatoris recens ad Deum conuerſi fuit imago, qui ipſe in iuſtificatione lucis ſuæ radium infundit, vbi ergo Chriſti ope recuperauit ſoſpitatem, quærentibus nonnullis quid videret, reſpondit, *Video homines velut arbores ambulantes.* Egregium ſanè reſponſum! nec mirum, peccator enim poſt iuſtificationem debilem ſemper habet aſpectum, quod Dauid non ſolum agnouit, ſed & in ſeipſo expertus eſt, vt fatetur ipſe in

Pſalmo, vbi iam de admiſſis culpis pœnitens, ac totus ad Deum conuerſus ait, *& lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum:* Quaſi diceret, non video animum meum, ea qua ſolebat perſpicacitate res diuinas intueri: Nunquid lynceos habebat oculos Petrus, cum ſciſſo in diuerſas opiniones Apoſtolorum collegio, ſolus ipſe, ita perſpicaci obtutu magiſtri ſui diuinitatem penetrauit, vt exclamarit *tu es Chriſtus filius Dei viui*, potuiſſetne Cherubin, vel Seraphin clarius intueri? vbi tamen negationis crimen admiſiſſet, etſi paruum lachrymarum effudiſſet oceanum, ita tamen viſu debilis remanſit, vt cum Ioanne vacans piſcationi, ſtantem in ripa Chriſtum non potuerit agnoſcere, niſi Ioannes illum cognouiſſet, vnde pulchrè adnotauit Petrus Chryſologus quantum viſus tenebris obducatur per peccatum, quod procedit ex fructu ſcientiæ, q̃ protoplaſtus in paradiſo comedit, vbi enim, ei oculos aperire debuiſſet, vt ea intueretur, quæ ipſi eſſent recreationem paritura, reſerauit eos, ſed ad eius confuſionem, ita ingenioſè Rupertus *aperientur oculi veſtri, videlicet in agnitionem veſtræ confuſionis.* Et hoc eſt vulnus quod poſt iuſtificationem relinquitur nobis, ſed Dei filius ſapientiſſimè remedium prouidit, quo ſanaretur, ſi enim fructus ſcientiæ, ignorantiam inuexit in homine, Ecce tibi Euchariſticum ferculum, quod diuinæ ſapientiæ radio fugatis ignorantiæ tenebris, eundem illuſtrabit. Vnde Eccleſiaſticus *Cibauit nos Dominus pane vitæ, & intellectus.* Et Rupertus oppoſitionem oſtendens huius ſacratiſſimi ferculi cum fructu ſcientiæ ait, *hoc teſtimonium, teſtimonio, quod aduerſus nos habebat diabolus, quadam oppoſitione propria oppoſitum eſt, quia videlicet contra cibi vetiti culpam, cibus, & potus gratiæ eſt, contra ſerpentis venenum, Spiritus ſancti Antidotus eſt:* vt nouerit quiſque horum fructuum effectus, ſicut & ſubſtantias diſcrepare, ſi enim ille ignorantiæ tenebris hominis intellectum obduxit, hic è conuerſo, infuſo diuinæ ſapientiæ radio, omnem ignorantiam

Chryſ. ſermon. de apparit.

Rupert. lib. 3. de Trin. & ope. eius c. 6.

Eccli. ca. 15. Rupert. lib. 2. de Sap. cap. 18.

rantiam

rantiam abigit, quò factum eſt, vt Alexandrinus Clemens Euchariſtiam vocauerit animæ catecheſin, quaſi diceret lumen intellectus, animæ doctrinam. Clemens Alex. lib. 1. pædag.

Placet videre iam ſacratiſſimum hoc ferculum, animorum oculos ſua luce aperire? Reuocate in memoriam quod dicit Lucas, cum hiſtoriam refert diſcipulorum euntium Emmaus. quorum oculi, tanta caligine, toto itinere fuerunt obducti, vt Dominum nulla ratione agnouerint, ſed quando obſecro apertis oculis lumen abſconditum ſuſceperunt? Reſpondet Euangeliſta, *factum eſt, dum ipſe recumberet cum eis, accepit panem benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum & cognouerunt eum.* Cum Seruator panem conſecratum manibus ſumpſit, ablatæ ſunt catharactæ ab eorum oculis, ac tales diuini luminis radii ab illo promicarunt, vt eos illuſtrarint, vnde pulchrè Anaſtaſius Synaita, *ecce habes eſcam, etiam per eſcam viſus reparationem, & Dei agnitionem, quam per eſcam ignorauerunt protoplaſti.* Panis quem Chriſtus in Euchariſtia diſtribuit, ſolus capax eſt, aperiendi oculos intellectus illuſtrandi, animæque diuinæ ſapientiæ luce irradiandæ. Oppoſitus enim eſt fructui illi maledicto ſcientiæ, qui ignorantiam in homine inuexit: quiddam argutum ſuggerit Dauid in hanc materiam cum ait, *quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* quis modum hunc loquendi non miretur? ſi enim Deus vitæ fons eſt, cur non dixit fontem hunc propinaturum vitæ potionem, quid habet aqua cum lumine? ſi illud infundere cupit dicatur ſol, qui fons eſt luminis, nuſquam enim viſus eſt fons aquæ lumen infundere? Auguſtinus ſapientiſſimè diſcurrit, vt nullam eſſe in his verbis implicantiam oſtendat. ait ergo idem non eſſe de Deo, quod de nobis iudicandum, fontes ſiquidem noſtri longè diſcrepant â lumine, fons aquam, & lumen præbet claritatem, ſed in Deo omnia ſunt idem, quod fons id lumen eſt, quod ſatiat, illuſtrat: *Si lumen eſt, oculis meis paret & faucibus, quia illud quod*

Luc. ca. 24.

Anaſta. Synaita li. 10. in examer.

Pſal. 35.

Auguſt. in Pſal. 35.

lumen eſt, & fons eſt, fons quia ſatiat ſitientes, lux quia illuminat cæcos, miſerum eſt in hac vita ait idem Doctor, ſæpius enim accidet viatorem ſolarium radiorum calore diſſolui, fruetur quidem huius ſyderis luce, ſed non ſuaui cryſtallini fontis amœnitate: vel fluentes de nocte aquæ ſitim reſtinguere poterunt, ſed nullus ſplendor itineris leniet difficultatem, quæ duæ non leues ſunt mortalium calamitates, quibus perfectæ voluptatis non poſſunt habere complementum. Id verò minimè timendum eſt, in Auguſtiſſimo Sacramento, quotquot viuimus peregrinamur à Domino, & ad patriam viatores contendimus, ſed in eo prouidit Deus fontem, & lumen, Sacramentum enim ſcaturigo vitæ eſt, quæ ſatiat tranſeuntes, & fons luminis, qui eoſdem illuſtrat, vt fame non premantur immodica, & tenebræ non inducant in lapſum: *Aliquando in eremo patieris ſolem, & non inuenies fontem, hic ergo poſſunt eſſe iſta duo ſeparata, ibi non fatigaberis, quia fons eſt, non tenebraberis, quia lumē eſt*. ita Auguſtinus.

O Diuinam prouidentiam, ó ſapientiæ ferculum, verè fœcundum luminis fontem, quod in crucis fornace cœleſtis coquus apparauit, ó panis Angelorum *bis coctus duplici igne charitatis, & paſſionis*, vt ait Bernardus. vt nos amplius illuſtraret, ſed quid eſt obſecro Angelorum panis, ſine dubio clara Dei viſio, ac iucundiſſimus diuinæ Trinitatis intuitus, gloriæ panis eſt, & luminis, qui ita beatorū ſpiritum intellectus illuſtrat, vt infinitam diuinitatis abyſſum ſuis obtutibus peruadant, in eaque diuino lumine, ac ſapientia paſcantur. Hilarius optimè dicit, *Ecquis panis Angelorum niſi Chriſtus, qui eos cibo ſuæ charitatis, & lumine ſuæ claritatis exſatiat?* quid putas eſſe panem Euchariſticum, niſi panem Angelorum? ita cenſet Dauid *panem Angelorum manducauit homo*, ſi ergo panis hic Diuinus Angelicorum ſpirituum intellectus miro ſplendore illuſtret, quidni, animos quoque noſtros diuinæ ſapientiæ luce irradiabit? Pulchrè Auguſtinus in hanc rem, *quomodo ergo de ipſo pane, pauit nos ſapientia Dei? quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, videte ergo humili-*

Bernardus.

Hillarius homil. 5. de Paſcha.

Aug. ſerm. 1. in Pſal. 33.

humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo, vt ſcriptum eſt. Panis ergo Angelorum eſt, quem diuina ſapientia nobis apparuit, vt ſi lumine inacceſſibili Angelos irradiet in cœlis, nos quoque in hac tenebrarum valle, cœleſtis ſapientiæ luce perfundat.

Sed dicet aliquis, probatum quidem eſſe filii Dei corpus in Sacramento intellectus illuſtrare, idem tamen non eſſe factum de ſanguine, in quo potior videtur eſſe difficultas: fateor profecto, nihil accommodatius ad hebetandos animos quam ſanguinem, propterea Eucherius optimè notauit, olim Deum vetuiſſe populo, ne ſanguinem biberet, eo quod intellectum hebetaret: & certè calidum, & humidum, ita cerebrum grauant, vt Plutarchus rationem diſquirens, cur Elephantus tanta diſcretione polleat, aſſerat eſſe complexionem eius frigidam, quæ calorem intellectui nociuum fuget. ideo etiam iubebant Romani, vt militi contra obſeruantiam militarem peccanti venæ apertione ſanguis exprimeretur, ſapientiſſimè ferentes iudicium hãc punctionem pœnam ſimul eſſe, & remedium acuendis ingeniis accommodatiſſimum, quo fit, vt nihil ad eius hebetationem aptius ſanguine poſſit reperiri. ideo Dauid orabat, *libera me de ſanguinibus.* per ſanguinem Scriptura, grauiſſima peccata ſolet intelligere, vt apud Ezechielem, *ciuitas plena eſt iudicio ſanguinis*, & Philoſophi optimè notant caput longè copioſiori oſſe, quam ſanguine conſtare, natura ſapientiſſimè prouidente, ibi tantillum eſſe ſanguinis, vbi ſapientiæ ſedes eſt, & iudicii, vnde apud Matthæum Petro filii Dei diuinitatem confitenti, reſponſum eſt, *beatus eſt Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* Sanguis abſtruſa myſteria non prodit, quia ad animorum illuſtrationem conferre nihil poteſt; quæ quidem veriſſima ſunt, de hominum, atque brutorum cruore, cui id proprium eſt, vt intellectus hebetet, ſed alius eſt ſanguis Chriſti, *ſanguis meus verè eſt potus*, potus eſt, quem dum aliquis dignè ſumit, quia non ſolius hominis, ſed &

Eucher.

Plutarch.

Pſalm. 50.

Ezechiel.

Digitized by Google

non ſumant amplius Euchariſticum Epulum, aut ſi ſumant, eius non recipiant eff ctum, quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſed forſan vna ex his aquilis, ſuæ ſalutis cupida tanto morbo quæret medelam? imitata eſt aquilam in rapacitate, eam quoque in renouatione ſequatur: Pulchre Auguſt. modum docet, quo id præſtare poſſit, *ſic & quod nos impedit comedere panem noſtrum, petra aufert, & excutit vetuſtatem, id eſt, Chriſtus, vt in eo renouemur, quibus vetuſtas clauſit os oblitis manducare panem noſtrum*: Vis ò infelix fænerator poſt diuturnum tui roſtri, atque vnguium vſum, in nouam iuuentutem renouari? vis aduocate hoc ſacratiſſimo pane refici, poſt deprædatos tuo roſtro tot clientes? Accurre ad petram IESVM feſtinus accede, pauperem adi, qui alter IESVS eſt, de quo ipſe ait, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: Pauper petra eſt, ad quam roſtrum infringendum, Xenodochium adi, ibi innumeras inuenies petras, quibus iniuſte poſſeſſa reſtituas, roſtrum enim infringere, aliena reſtituere eſt, hoc ſi feceris, ſacratiſſimo iudicii ferculo paſceris in vitam, ſin minus, velut alter Iudas, æterno mortis laqueo ſuſpenſus præcipitaberis in infernum.

August. in Pſal. 111.

FERCVLVM SAPIENTIÆ.

Diſcurſus Decimustertius.

GEorgius Venetus Lunæ proprietates ſpeculatus, quiddam ſane egregium adnotauit, ait enim, *Luna Sol alter, à quibuſdam non incongrue dicitur, quia ea, quæ Sol ſuperius vi maſculina generat, hæc ipſius, & aliorum planetarum fœtum ſuſcipiens, inferiori mundo, ſibi vicino edit, ideo eius motus præ cæteris obſeruatur, quaſi omnium conceptum parientis.* Pulchre ſane, communis enim

Georgius Venetus in Har. Cant. 1. Tono 4. cap. 38.

nim Aſtrologorum ſententia eſt, omnes ſolis, atque planetarum influxus, qui ad inferiora deriuantur, prius in Lunæ ſinum excipi, tum deinde eius interuentu terræ communicari, cum Venere regit illa caput, collum cum tauro, cum geminis brachia, pectus cum cancro, cum Leone præſidet humeris, extis cum virgine, cum libra ſagittario capricorno, & aquario cæteris corporis membris, *ita vt omnium influxus ab eis ſuſcipiat, & tanquam rerum omnium inferiorum mater, in terras vicinas deriuet:* Concludit Georgius, Anaſtaſius Sinaita dicit Eccleſiam eſſe mundum myſticum, cuius aſtra ſint ſancti, Sol Chriſtus, virgo Deipara habeatur pro Luna, vnde bene dicit Georgius, *ideoque non abs re Lunæ aſſimilatur mater illa omnium gratiarum plena, quæ à diuerſis fontibus per diuerſos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium diſpoſitione:* Quidquid ergo è cœlis in hæc inferiora depluit, in Beatiſſimæ Virginis ſinum excipi neceſſe eſt, impetret aliquid gratiæ ſydus vnum, Petrum intelligo, ſe deprecanti, id non alias faciet, quam per Lunam, prius per MARIAM excipi oportet, quam deuolatur ad petentem, pluat Paulus aliquod Diuinæ ſapientiæ ſtillicidium, tranſeat per MARIAM neceſſe eſt, quia non poteſt vllus è cœlo influxus deriuari, niſi prius ſacratiſſima huius Lunæ aluo exceptus, terræ communicetur. Vnde optime Bernardus, *omnibus omnia facta eſt, omnibus miſericordia ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi:* Idem etiam ſolem Chriſtum agere non dubium eſt, vt nullam gratiam vlli communicet, niſi per Mariam, cuius ratio eſt SS. Trinitatis decretum, quo Pater vt filiæ, filius vt matri, Spiritus vt ſponſæ ſe quodam modo obligarunt, nihil communicaturos hominibus, niſi per eius merita, & interceſſiones, ita Bernardus dum ait, *quia hæc eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam:* quæ cum ita ſint, non aliud aſtrum mihi ſuſpiciendum puto ò Luna ſplendida præter te ipſam, tu quæ omnium influxus moderaris, imo ipſius æterni ſolis gra-

Anaſt. Sinai. lib. 4. in Exan.

Georg. vbi ſupra.

Bern. Serm. in illud ſig. mag.

Bern. Serm. 3. de natiu. Domini.

Epiphan. Serm. de laud. virginis. phanius, qui de virgine ſic dicit, *ipſa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in vtero geſtat:* hoc pulchre dictum, ſed ſi ſuam haberet probationem facilius etiam ſibi fidem conciliaret. Proba ſi potes Epiphani, id libens faciam reſpondet ille, *ſermonique meo atteſtatur Diuina ſcriptura dum ait, venter tuus aceruus frumenti vallatus liliis:* egregiam ſane rationem! quia frumentum geſtabat in vtero, debuit ne ideo, & fulmen habuiſſe? omnino certe, nuſquam enim alterum ſine alio eſſe poteſt, vbi triticum Euchariſticum, ibi quoque fulmen ſit, neceſſe eſt, ſocia enim vult habere arma, quibus terrorem incutiat iis, qui ſe indigne ſuſceperint.

Apoſtolus lucem addit ſupra dictis, eleganti ratione quæ bene intellecta non leuem pariet voluptatem, ait enim, 1. Cor. ca. 3. *omnia veſtra ſunt, ſiue mors, ſiue vita, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei,* Chriſtus omnibus vita, & mors eſt, ſed præſertim in Sacramento alta- Ioan. ca. 6. ris, vitam eſſe ſatis probat illud, quod dixit, *ſicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe* Cyrill li. 4. in Ioan. c. 6. *viuet propter me:* quod Cyrillus ita explicat, quemadmodum ille, qui vita indeficiens eſt, dum corpus meum in matris vtero formauit, illam eandem vitam mihi conceſſit, ita ei, qui me in Euchariſtia ſumpſerit hanc vitam, quam à patre accepit communico, adeo vt vita mea viuat, quæ cæleſtis eſt, & Diuina quod facilius eſt intellectu, ſi Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem ſpectauerimus, vt nutricem, quæ ſuorum vbe- Chryſtom. homil. 28. in Matth. rum lac porrigat, ac tribuat nutrimentum, vt ait Chryſoſtomus, *multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere noluit: ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit, atque conglutinat:* lac eſt ſanguis defæcatus, vita autem in ſanguine eſt, qui ergo lac Euchariſticum ſuxerit, in quo Diuinæ nutricis vita continetur, hanc eandem vitam ſugat neceſſe eſt, quanta foret infœlicitas, ſi ex parentis lacte mortem infantulus hauriret, ex quo vitam debuiſſet accipere? ſed quanto ca-

to calamitoſius, ſi animus communicans in Euchariſtico lacte, vbi vita Diuina eſt, mortem reperiret? & tamen ait Paulus, *veſtra omnia ſunt, ſiue mors, ſiue vita:* prohibuit quondam Deus in exodo, ne in materno lacte coqueretur hædus, *non coques hædum in lacte matris*: Vatablus, & Oleaſter, ita intelligunt hoc præceptum, quod ſolum Deus prohibuerit, cum lactentem mactare ad eſum, non ad ſacrificium. Sed D. Thomas, Caietanus, Lyranus, & Abulenſis ad litteram intelligunt prohiberi, ne in parentis lacte concoquatur, videretur enim nimis barbarum, ſi in eo mortem reperiret, quod vitam debuiſſet conferre, quid ergo dicendum eſt, ſi lac Euchariſticum, quod vitam ſolet impertiri, ſe indigne ſuſcipientibus largiatur mortem? poſſet ne ſibi ipſi crudelius aliquid machinari, qui communicat, quam infælicem mortem in hoc ſacratiſſimo campo metere, qui totus pullulat in vitam? pulchre Chryſoſtomus, *Quemadmodum fontes aqua ſcaturiunt, ſic & hæc menſa flammam quandam ineffabilem fouet. Caue igitur accedas cum ſtipula, lignis & fœno, ne maius efficias incendium, & animum, qui ſit eius particeps exuras:* quidam fons teſte Plinio reperitur, qui flammas vomit: quid ad rem accommodatius poteſt reperiri? fontem vitæ habes, mammam Euchariſticam, quæ lac, vitæque ſcaturiginem bonis propinat, ſed indigne communicantibus fulmina iaculatur, & flammas, quid funeſtius illo fulmine, quo ſceleratiſſimum Iudam proſtrauit? ad hunc vitæ fontem, ad hæc ſacratiſſima matris vbera, voluit infœlix accedere, & vbi alii repererunt vitam, mortem ipſe inuenit, & poſt buccellam introiuit in eum ſathanas, quorſum cogitas poſt hoſtiam conſecratam putidum proditoris os dæmonem auſum fuiſſe ingredi? An forte quod deſpectui haberet Sacramentum? minime vero ait Anaſtaſius Synaita, *non quod diabolus panem illum deſpiceret, ſed vt eum qui ſumpſerat redargueret, in Iudicium enim ſuum ſumpſerat.* Ratio cur dæmon ſceleratum Iudæ pectus ingreſſus eſt, fuit quia ſimul cum Eu-

Exod. c. 23.

Chryſoſt.

Anaſt. Synaita lib. 10. in Exa.

mum imitati, eum, vt iudicem aſpexiſſent, hanc profectò non incurriſſent calamitatem, eum ſub hac iudicis forma Apoſtoli, in poſtrema cæna recepere, ſed nequam proditor Sodomitas imitatus eſt, quapropter eum illi experti ſunt matrem vitam conferentem, hic vero iudicem ſeueriſſimum, æternæ mortis pronuntiantem ſententiam, talem etiam reperient multi in die Iudicii, qui eum ſicut Abraham non receperint in hac vita, ſed quemadmodum nefarii Sodomæ ciues, vbi enim illi qui eum in Euchariſtia digne ſumpſerint, cœleſtem gratiæ vitam reperient, hi è conuerſo mortis æternæ iaculo confodientur, idcirco notatum reperio in Numeris de populo Iſrael per ſolitudinem vagante, *reuerſique ſunt, & venerunt vſque ad fontem Maſphat*: quod ſignificat iudicium, quaſi diceret, & venerunt *vſque ad fontem iudicii*: fons autem ille, hoc ideo nomine vocabatur ſecundum aliquos, quia prouinciæ illius iudices ad ferendas ſententias ad hunc fontem conueniebant, ſed Abulenſis aliam ſuggerit rationem cum ait, *quia ibi iudicati ſunt Moyſes, & Aaron, vt non introirent terram promiſſionis, quia increduli fuerunt ori Domini, vel quia tranſgreſſi fuerunt modum præcepti eius*: iam populus diutiſſime per ſolitudinem fuerat vagatus, iam multis annis manna pro cibo ſumpſerat, cum Deus iubet vt ad fontem iudicii reuertatur, ſed ad quid obſecro poſt manna iudicii fons? quam connexionem habet panis Angelorum cum iudicio, & ſententia? magnam profectò: manna ſiquidem panem Euchariſticum exprimebat, qui cum ferculum iudicii ſit, poſt eius ſumptionem, voluit Deus populum ad iudicii fontem reuerti, vt notum fieret omnibus, in altaris Sacramento iuſtitiam concludi, quæ bonis vitam, mortem autem malis decernat.

Num. c. 33.

Abul. in ca. 14. Gen.

PARS

taris lectulus eſt, ſed totus floridus, totus amœnus, vbi poſt mille inita certamina, poſt ſuperatos non ſemel hoſtes, ſancti requiem captant: ſed qui ſunt ſexaginta milites qui hunc cuſtodiunt lectum Seruatoris? Apponius dicit eſſe Angelos, *qui fortiſſimi dicuntur quoniam plus ipſi poſſunt quam dæmones, & ex fortiſſimis Iſrael, qui de illo exercitu ſunt, qui ſemper faciem vident patris:* cuſtodes ergo lectuli Salomonis ſunt Angeli, qui continuo circumuallant corpus filii Dei Euchariſticis ſpeciebus tectum, lectulus enim ſuauiſſimus eſt, in quo Sanctorum animæ dum communicant conquieſcunt; ſed ad quid tot arma, quid proſint in horum cuſtodum manibus tot enſes, & haſtæ? *omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*: id eſt, propter ſuperius allatam rationem, vt dum aliquis polluto animo ad hunc ſacratiſſimum lectum voluerit accedere, atque indigne communicare, in eum impetum faciant, inferantque mortem, quod dubio procul facerent, vt ait Paſchaſius, niſi eos Chriſtus impediret, ſuppliciumque differret ad inferos, placet videre exemplum? diſcipuli omnes paſſionis tempore arrepta turpiſſima fuga filium Dei reliquere, & tamen hac infidelitate contempta propitiam omnibus manum conceſſit, præterquam Iudæ: Petre ſecundo, ac tertio me negaſti, quia tamen in vltima cæna communicaſti digne, ideo tibi manum porrigo vt ſurgas à lapſu. Thoma hæreſin incurriſti, quia tamen me ſub Euchariſticis ſpeciebus cum debita diſpoſitione ſuſcepiſti in virtute huius communionis ſurge à caſu, atque in Eccleſiæ gremium redi; Iuda prodidiſti me, ſed ore ſacrilegò ſumpſiſti Euchariſtiam, abi in virtute eius, abi in malam horam ad patibulum, de ſalute deſpera, non impediam, vt ſceleratæ tuæ proditionis ſupplicium luas in inferno. Papæ, quam periculoſum eſt hoc iudicii ferculum ſumere, ſuos ignes tegit, ſua celat fulmina, flammas non prodit, non facile oſtendit ſe eſcam iuſtitiæ, & iudicii fontem eſſe, ſed veniet aliquando hora, cum in pœnam ſacrilegarum tuarum com-

Appon. in ca. 3. Cant.

Ee munio-

munionem, te Deus in occaſione deſeret, occidi permittet, ac in peccati lethalis ſtatu mori, vt omnia, æterni ignis pabulum factus cum Iuda exſoluas. Tertullianus rationem reddens, cur fideles vindictam de Romanis ſumere non deberent dicit, *vna nox pauculis facibus largitatem vltionis poſſet operari, ſi malum, malo diſpungi, penes nos liceret, ſed abſit, vt igne humano vindicentur Diuina facta*, hæc dicta, de Auguſtiſſimo Sacramento intellige, quod facile male communicantes fulminaret, eoſque comminueret in pulueres, facile permitteret cuſtodibus angelis, ſuam in illos virtutem exerere, ſed abſit, quod igne humano vindicetur Diuinus panis, flammæ noſtræ ſufficientes non habent aculeos, illæ neceſſariæ ſunt quæ dæmones, & Iudam excruciant.

Tertul. lib. contra gentes.

Quid ergo remedii ad hoc periculum euadendum? Deus olim præceptum hoc hominibus dedit, *carnem cum ſanguine non comedetis*: prohibet ne caro, cum animæ ſanguine mandetur, ita legit Chryſoſtomus, *carnem in ſanguine animæ ne comedatis*, quæ hæc caro, quis animæ ſanguis, quem Deus prohibet comedi? Nazianzenus ait lacrimas animæ eſſe ſanguinem, *ſanguinis animæ lacrimæ ſunt*. Iſidorus affirmat ſanguinem hunc eſſe peccata, ò cruorem corruptum, qui gratiæ vitam in conſcientia ſuffocat, donec contritionis punctione, velut lancina exprimatur, *ſanguinem manducare prohibent*, ait ille, *ne vita priſtina quaſi ſuffocata in conſcientia teneatur, ſed effundatur per confeſſionem*: peccata ergo ſunt animæ ſanguis, ſed quæ obſecro caro eſſe poteſt, quam Deus prohibeat, cum peccatorum ſanguine comedi? An forſitan taurorum, hircorum, aut agnorum caro? minime vero caro eſt, ſed illius tauri, qui mortem in ara crucis ſubiit, caro eſt, ſed Diuini agni, qui tulit peccata mundi, caro eſt, ſed hirci, qui in ſacrificium oblatus eſt, pro reparatione humani generis. Denique filii Dei pretioſiſſima eſt caro, in Sacramento altaris realiter exiſtens, loquatur Chryſoſtomus exponens hunc locum,

Gen. cap. 9.

Nazianzenus.

Iſidorus in cate.

Chryſoſt.

quaſi

quaſi doceret, illos dicens, quia ſanguis mihi ſegregatus eſt vobis caro. Deus dat nobis carnem ſui corporis in Euchariſtia, ſed ea conditione, vt ei animarum noſtrarum ſanguinem, hoc eſt, peccata offeramus, vt illa deleat, & ab iis abſoluat nos, ſic ergo, vbi perfecta confeſſione compunctionis aculeo putrefactum hunc cruorem, de conſcientiæ latebris expreſſerimus, tum carnem eius in Euchariſtia poterimus ſumere, iuxta præceptum eius, *carnem in ſanguine animæ non comedetis.* Idque omni digne communicare volenti faciendum, ex animæ abditis peccatorum ſanguinem exprime, quiſquis voles Euchariſtico Epulo digne appropinquare, ita explicat Rupertus Rupert. in hoc præceptum, cum ait, *bona exceptio dicentis, excepto, quod* cap. 9. Gen. *carnem, cum ſanguine, id eſt, niſi prius effuſo ſanguine non comedentis:* Si vis proficuam tibi eſſe carnis Chriſti ſumptionem peccatorum ſanguinem digna prius confeſſione exprime, alias ſi retinueris, animam ſuffocabit. Iudas contra præceptum legis putidum hunc ſanguinem in conſcientiæ venis retinens, ſacratiſſimam hanc carnem ſumere non dubitauit, quo factum eſt, vt medius crepens, ac ſeſe ſuſpendens laqueo, ſceleratum ſpiritum inferis deputarit.

Caue ergo ne Iudam imitatus, hoc præceptum habeas Pſal. 102. deſpectui. Dauid prophetico obtutu, iſthæc intuens pulchre ait, *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua:* vt acumen percipias nota, ſeneſcentem aquilam roſtrum nimio incremento recuruum petræ allidere, quo eius acumine hebetato, ac depoſitis veteribus plumis in primam renouatur iuuentutem. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*: Deus immortalis, quot hodie aquilas poſſidet mundus, quid auari, & fœneratores, quid ii, qui ore, manibuſque proximorum fortunas deprædantur? quid ſunt tot occulti prædones holoſericis veſtiti, niſi aquilæ rapaces, quæ die, nocteque velut roſtro adunco aliorum ſibi bona vendicant, certe affirmare auſim, plures reperiri, quibus adeo roſtrum præ diuturna conſuetudine incuruatur, vt

non ſumant amplius Euchariſticum Epulum, aut ſi ſumant, eius non recipiant effectum, quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſed forſan vna ex his aquilis, ſuæ ſalutis cupida tanto morbo quæret medelam? imitata eſt aquilam in rapacitate, eam quoque in renouatione ſequatur: Pulchre Auguſt. modum docet, quo id præſtare poſſit, *ſic & quod nos impedit comedere panem noſtrum, petra aufert, & excutit vetuſtatem, ideſt, Chriſtus, vt in eo renouemur, quibus vetuſtas clauſit os oblitis manducare panem noſtrum:* Vis ò infelix fænerator poſt diuturnum tui roſtri, atque vnguium vſum, in nouam iuuentutem renouari? vis aduocate hoc ſacratiſſimo pane refici, poſt deprædatos tuo roſtro tot clientes? Accurre ad petram IESVM feſtinus accede, pauperem adi, qui alter IESVS eſt, de quo ipſe ait, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis:* Pauper petra eſt, ad quam roſtrum infringendum, Xenodochium adi, ibi innumeras inuenies petras, quibus iniuſte poſſeſſa reſtituas, roſtrum enim infringere, aliena reſtituere eſt, hoc ſi feceris, ſacratiſſimo iudicii ferculo paſceris in vitam, ſin minus, velut alter Iudas, æterno mortis laqueo ſuſpenſus præcipitaberis in infernum.

Auguſt. in Pſal. 111.

FERCVLVM SAPIENTIÆ.

Diſcurſus Decimustertius.

GEorgius Venetus Lunæ proprietates ſpeculatus, quiddam ſane egregium adnotauit, ait enim, *Luna Sclalter, à quibuſdam non incongrue dicitur, quia ea, quæ Sol ſuperius vi maſculina generat, hæc ipſius, & aliorum planetarum fœtum ſuſcipiens, inferiori mundo, ſibi vicino edit, ideo eius motus præ cæteris obſeruatur, quaſi omnium conceptum parientis.* Pulchre ſane, communis enim

Georgius Venetus in Har. Cant. 1. Tono 4. cap. 38.

nim Aſtrologorum ſententia eſt, omnes ſolis, atque planetarum influxus, qui ad inferiora deriuantur, prius in Lunæ ſinum excipi, tum deinde eius interuentu terræ communicari, cum Venere regit illa caput, collum cum tauro, cum geminis brachia, pectus cum cancro, cum Leone præſidet humeris, extis cum virgine, cum libra ſagittario capricorno, & aquario cæteris corporis membris, *ita vt omnium influxus ab eis ſuſcipiat, & tanquam rerum omnium inferiorum mater, in terras vicinas deriuet:* Concludit Georgius, Anaſtaſius Sinaita dicit Eccleſiam eſſe mundum myſticum, cuius aſtra ſint ſancti, Sol Chriſtus, virgo Deipara habeatur pro Luna, vnde bene dicit Georgius, *ideoque non abs re Lunæ aſſimilatur mater illa omnium gratiarum plena, quæ à diuerſis fontibus per diuerſos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium diſpoſitione:* Quidquid ergo è cœlis in hæc inferiora depluit, in Beatiſſimæ Virginis ſinum excipi neceſſe eſt, impetret aliquid gratiæ ſydus vnum, Petrum intelligo, ſe deprecanti, id non alias faciet, quam per Lunam, prius per MARIAM excipi oportet, quam deuolatur ad petentem, pluat Paulus aliquod Diuinæ ſapientiæ ſtillicidium, tranſeat per MARIAM neceſſe eſt, quia non poteſt vllus è cœlo influxus deriuari, niſi prius ſacratiſſima huius Lunæ aluo exceptus, terræ communicetur. Vnde optime Bernardus, *omnibus omnia facta eſt, omnibus miſericordia ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi:* Idem etiam ſolem Chriſtum agere non dubium eſt, vt nullam gratiam vlli communicet, niſi per Mariam, cuius ratio eſt SS. Trinitatis decretum, quo Pater vt filiæ, filius vt matri, Spiritus vt ſponſæ ſe quodam modo obligarunt, nihil communicaturos hominibus, niſi per eius merita, & interceſſiones, ita Bernardus dum ait, *quia hæc eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam:* quæ cum ita ſint, non aliud aſtrum mihi ſuſpiciendum puto ô Luna ſplendida præter te ipſam, tu quæ omnium influxus moderaris, imo ipſius æterni ſolis gratias,

Anaſt. Sinai. lib. 4. in Exan.

Georg. vbi ſupra.

Bern. Serm. in illud ſig. mag.

Bern. Serm. 3. de natiu. Domini.

minibus à ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris, hæc vnio nuncupatur ab Ireneo, Hilario, Nyſſeno, & Chryſoſtomo, qui ergo vult ingerere, ſurculum capit, eumque trunco applicat, cui tenaciſſime copulatur, & hoc vinculum naturale dicitur, quia natiuo quodam coagulo, ſimul vniuntur, Phyſicum etiam eſt, & reale, quia Chymæra non eſt, ſed quid ſolidum, palpabile, atque ſenſui ſubiectum: illud etiam ſubſtantiale dixerim, quia truncus ſubſtantiam ſuam communicat ſurculo, qua eadem cum ipſo vita viuat, denique corporale vinculum eſt, quia duorum corporum eſt vnio ſurculi cum trunco: idipſum ergo affirmo, in Sacramento altaris, inter Chriſtum, & eum qui communicat accidere, vt Seruator ipſe apud Ioannem teſtatus eſt, cum dixit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ab vnione naturali principium duco, & certe quemadmodum ſurculus trunco naturaliter copulatur, ita &, qui communicat, cum Chriſto vnitur, in illo n. tanquam in trunco ingeritur, eique natiuo nexu coagulatur: ſicut enim abſciſſa auricula calente adhuc ſanguine, ſuo loco applicata naturali vnione copularetur capiti, quia illius natiuum membrum eſt, ita, qui vitæ, atque ſcientiæ arbori, hoc eſt, Chriſto in Euchariſtia ingeritur, naturaliter ei quoque copuletur neceſſe eſt, quia Chriſtus eius caput eſt, ille vero ipſius membrum, naturale autem eſt, quodlibet membrum ſuo capiti copulari, vnde Paulus dicit, *vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participant.* Et ſanctus Hilarius eam dicit eſſe naturalem vnionem his verbis, *quod autem in nobis, naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt, qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Altera trunci cum ſurculo vnio eſt Phyſica, & realis, quæ etiam inter communicantis corpus, & illud Chriſti intercedit, quemadmodum enim inter vtriuſq; animam, & Spiritum, realis vnio ſecundum gratiam, & effectum reperitur, ita etiam

iam inter vtriuſque corpus Phyſicum vinculum eſt, quia filii Dei corpus realiter exiſtit ſub accidentibus panis, & vini, ideoque Phyſice vnitur, vt ait Cyrillus Alexandrinus, *non tamen negamus recta nos fide, charitateque ſincera Chriſto ſpiritualiter vniri, ſed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pernegamus, idque à Diuinis ſcripturis omnino alienum dicimus.*

Cyril. Alex. lib. 10 in Ioan. ca. 13.

Tertia arboris vnio cum ſurculo eſt ſubſtantialis, ab ipſa enim arbore ſubſtantia ſubit in ſurculum, qua viuit, & fructificat, adeo vt eandem vterque vitam viuant, ita plane qui digne communicat ſubſtantialiter Chriſto copulatur, quia cum in illum ſit inſertus, eadem quoque cum eo vita viuat neceſſe eſt, *& qui manducat me, & ipſe viuet propter me, ait Ioannes:* & ſicut truncus ſubſtantiam ſuam communicat ſurculo, vt fructus vberes ferat, ita Chriſtus vitæ, atque ſubſtantiæ Diuinæ participationem quandam illi impertit, qui communicat, quo fructus, hoc eſt, opera ſimillima operibus Dei producat. Eleganter in hanc rem Chryſoſtomus, *vt itaq; non tantum per charitatem hoc faciamus, verum & ipſa re, in ipſam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur:* hæc ille.

Ioan. ca. 6.

Chryſ. homil. filii ad popu.

Denique ſurculi cum trunco vinculum eſt, corporis viuentis non mortui, cum viuente ſimiliter corpore, cum igitur truncus viuat, ideo ſanguinem, hoc eſt, ſubſtantiam ſuam influit in ſurculum, vt inter vtrumque corporalis vnio intercedat, eadem plane eſt corporis Chriſti, cum communicantis corpore vnio, hoc eſt, duorum corporum viuentium. Sic Paſchaſius, *ita Chriſtus in eis per hoc Sacramentum corporaliter manet:* & vt perfectius fiat hoc vinculum, etſi ex vi verborum ſola nobis detur caro Chriſti, nihilominus tamen per concomitantiam datur & eius ſanguis, vt Chriſti IESV vita modo ſublimiori viuamus, præcepit Deus in Leuitico, *carnem cum ſanguine non comedetis:* cuius rationem dat textus ipſe, *vita enim in ſanguine eſt:* ſuppoſito ergo vitã eſſe in ſanguine, ſi po-

Paſcha. lib. de corp. & ſang. Domini cap. 8.

Leuit. c. 19.

ſi populus animalium cruorem comediſſet, animalem quoque vitam rationali admiſcuiſſet, ſicque homo non ſecus, ac brutum egiſſet vitam, ita Cyprianus in hæc verba, *nec oportuit, vt ſanguini humano ſanguis pecudum miſceretur, quia vita rationalis hominis, vitæ beſtiali conſociari non habet*, Theodoretus idem aſſerit, *ne vita hominum vitæ pecudum ſociaretur*. Oppoſitum tamen facit Seruator, neque enim ſolam carnem in Sacramento altaris impertit, verum etiam per concomitantiam & ſanguinem, in quo vita ſita eſt, vt vtrumque comedentes eandem cum ipſo vitam ducamus, & tanquam tenerrimis ſurculis, in hanc vitæ, atque ſcientiæ arborem inſertis, ſuam ſubſtantiam, vitam, atque ſapientiam largiatur, iam ſuperioribus oſtendi, qua munificentia, quidquid habet ſubſtantiæ ac vitæ communicet fidelibus, ſupereſt vt arborem quoque ſcientiæ eſſe oſtendam, quæ ſapientiam diuinam copioſiſſimè infundat, vt quemadmodum vitæ, ita & ſapientiæ quoque ferculum, oſtendatur. Hoc primum faciam, poſt in eos, qui nuſquam, vel rarò in ſacratiſſimum hoc ferculum inſeruntur, inuecturus.

Cypr. ſerm. de cœna Domini.

Theodoretus hic.

PRIMA PARS.

Cum animus graui aliqua infirmitate ſpirituali, per confeſſionem liber effectus eſt, adhuc tamen illi viſus hebeſcit, nimium debilem habet obtutum, quo mundi fallacias deprehendat. Hoc non difficulter videre eſt, in Euangelico cæco, qui vera peccatoris recens ad Deum conuerſi fuit imago, qui ipſe in iuſtificatione lucis ſuæ radium infundit, vbi ergo Chriſti ope recuperauit ſoſpitatem, quærentibus nonnullis quid videret, reſpondit, *Video homines velut arbores ambulantes*. Egregium ſanè reſponſum! nec mirum, peccator enim poſt iuſtificationem debilem ſemper habet aſpectum, quod Dauid non ſolum agnouit, ſed & in ſeipſo expertus eſt, vt fatetur ipſe in

Ff Pſal-

Pſalmo, vbi iam de admiſſis culpis pœnitens, ac totus ad Deum conuerſus ait, *& lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum:* Quaſi diceret, non video animum meum, ea qua ſolebat perſpicacitate res diuinas intueri: Nunquid lynceos habebat oculos Petrus, cum ſciſſo in diuerſas opiniones Apoſtolorum collegio, ſolus ipſe, ita perſpicaci obtutu magiſtri ſui diuinitatem penetrauit, vt exclamarit *tu es Chriſtus filius Dei viui*, potuiſſetne Cherubin, vel Seraphin clarius intueri? vbi tamen negationis crimen admiſiſſet, etſi paruum lachrymarum effudiſſet oceanum, ita tamen viſu debilis remanſit, vt cum Ioanne vacans piſcationi, ſtantem in ripa Chriſtum non potuerit agnoſcere, niſi Ioannes illum cognouiſſet, vnde pulchrè adnotauit Petrus Chryſologus quantum viſus tenebris obducatur per peccatum, quod procedit ex fructu ſcientiæ, q̃ protoplaſtus in paradiſo comedit, vbi enim, ei oculos aperire debuiſſet, vt ea intueretur, quæ ipſi eſſent recreationem paritura, reſerauit eos, ſed ad eius confuſionem, ita ingenioſè Rupertus *aperientur oculi veſtri, videlicet in agnitionem veſtræ confuſionis.* Et hoc eſt vulnus quod poſt iuſtificationem relinquitur nobis, ſed Dei filius ſapientiſſimè remedium prouidit, quo ſanaretur, ſi enim fructus ſcientiæ, ignorantiam inuexit in homine, Ecce tibi Euchariſticum ferculum, quod diuinæ ſapientiæ radio fugatis ignorantiæ tenebris, eundem illuſtrabit. Vnde Eccleſiaſticus *Cibauit nos Dominus pane vitæ, & intellectus.* Et Rupertus oppoſitionem oſtendens huius ſacratiſſimi ferculi cum fructu ſcientiæ ait, *hoc teſtimonium, teſtimonio, quod aduerſus nos habebat diabolus, quadam oppoſitione propria oppoſitum eſt, quia videlicet contra cibi vetiti culpam, cibus, & potus gratiæ eſt, contra ſerpentis venenum, Spiritus ſancti Antidotus eſt:* vt nouerit quiſque horum fructuum effectus, ſicut & ſubſtantias diſcrepare, ſi enim ille ignorantiæ tenebris hominis intellectum obduxit, hic è conuerſo, infuſo diuinæ ſapientiæ radio, omnem ignorantiam

Chryſ. ſermon. de apparit.

Rupert. lib. 3. de Trin. & ope. eius c. 6.

Eccli. ca. 15. Rupert. lib. 2. de Sap. cap. 18.

rantiam abigit, quò factum eſt, vt Alexandrinus Clemens Eucharistiam vocauerit animæ catecheſin, quaſi diceret lumen intellectus, animæ doctrinam. Clemens Alex. lib. 1. pædag.

Placet videre iam ſacratiſſimum hoc ferculum, animorum oculos ſua luce aperire? Reuocate in memoriam quod dicit Lucas, cum hiſtoriam refert diſcipulorum euntium Emmaus. quorum oculi, tanta caligine, toto itinere fuerunt obducti, vt Dominum nulla ratione agnouerint, ſed quando obſecro apertis oculis lumen abſconditum ſuſceperunt? Reſpondet Euangeliſta, *factum eſt, dum ipſe recumberet cum eis, accepit panem benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum & cognouerunt eum.* Cum Seruator panem conſecratum manibus ſumpſit, ablatæ ſunt catharactæ ab eorum oculis, ac tales diuini luminis radii ab illo promicarunt, vt eos illuſtrarint, vnde pulchrè Anaſtaſius Synaita, *ecce habes eſcam, etiam per eſcam viſus reparationem, & Dei agnitionem, quam per eſcam ignorauerunt protoplaſti.* Panis quem Chriſtus in Euchariſtia diſtribuit, ſolus capax eſt, aperiendi oculos intellectus illuſtrandi, animæque diuinæ ſapientiæ luce irradiandæ. Oppoſitus enim eſt fructui illi maledicto ſcientiæ, qui ignorantiam in homine inuexit: quiddam argutum ſuggerit Dauid in hanc materiam cum ait, *quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* quis modum hunc loquendi non miretur? ſi enim Deus vitæ fons eſt, cur non dixit fontem hunc propinaturum vitæ potionem, quid habet aqua cum lumine? ſi illud infundere cupit dicatur ſol, qui fons eſt luminis, nuſquam enim viſus eſt fons aquæ lumen infundere? Auguſtinus ſapientiſſimè diſcurrit, vt nullam eſſe in his verbis implicantiam oſtendat. ait ergo idem non eſſe de Deo, quod de nobis iudicandum, fontes ſiquidem noſtri longè diſcrepant â lumine, fons aquam, & lumen præbet claritatem, ſed in Deo omnia ſunt idem, quod fons id lumen eſt, quod ſatiat, illuſtrat: *Si lumen eſt, oculis meis paret & faucibus, quia illud quod*

Luc. ca. 24. — Anaſta. Synaita li. 10. in examer. — Pſal. 35. — Auguſt. in Pſal. 35.

humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo, vt ſcriptum eſt. Panis ergo Angelorum eſt, quem diuina ſapientia nobis apparuit, vt ſi lumine inacceſſibili Angelos irradiet in cœlis, nos quoque in hac tenebrarum valle, cœleſtis ſapientiæ luce perfundat.

Sed dicet aliquis, probatum quidem eſſe filii Dei corpus in Sacramento intellectus illuſtrare, idem tamen non eſſe factum de ſanguine, in quo potior videtur eſſe difficultas: fateor profecto, nihil accommodatius ad hebetandos animos quam ſanguinem, propterea Eucherius optimè notauit, olim Deum vetuiſſe populo, ne ſanguinem biberet, eo quod intellectum hebetaret: & certè calidum, & humidum, ita cerebrum grauant, vt Plutarchus rationem diſquirens, cur Elephantus tanta diſcretione polleat, aſſerat eſſe complexionem eius frigidam, quæ calorem intellectui nociuum fuget. ideo etiam iubebant Romani, vt militi contra obſeruantiam militarem peccanti venæ apertione ſanguis exprimeretur, ſapientiſſimè ferentes iudicium hãc punctionem pœnam ſimul eſſe, & remedium acuendis ingeniis accommodatiſſimum, quo fit, vt nihil ad eius hebetationem aptius ſanguine poſſit reperiri. ideo Dauid orabat, *libera me de ſanguinibus.* per ſanguinem Scriptura, grauiſſima peccata ſolet intelligere, vt apud Ezechielem, *ciuitas plena eſt iudicio ſanguinis*, & Philoſophi optimè notant caput longè copioſiori oſſe, quam ſanguine conſtare, natura ſapientiſſimè prouidente, ibi tantillum eſſe ſanguinis, vbi ſapientiæ ſedes eſt, & iudicii, vnde apud Matthæum Petro filii Dei diuinitatem confitenti, reſponſum eſt, *beatus eſt Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* Sanguis abſtruſa myſteria non prodit, quia ad animorum illuſtrationem conferre nihil poteſt; quæ quidem veriſſima ſunt, de hominum, atque brutorum cruore, cui id proprium eſt, vt intellectus hebetet, ſed alius eſt ſanguis Chriſti, *ſanguis meus verè eſt potus*, potus eſt, quem dum aliquis dignè ſumit, quia non ſolius hominis, ſed &

Eucher.

Plutarch.

Pſalm. 50.

Ezechiel.

Dei, eſt ſanguis, intellectum mira ſolet ſapientiæ luce perfundere, in cuius probationem, cum efferi militis lancea Seruatoris latus aperuit, proſiliit illicò ſanguis & aqua, nemini dubium eſt, aquam ſapientiæ eſſe ſymbolum, *& aqua ſalutaris ſapientiæ potabit eam*, prodiit ergo ex latere Chriſti ſanguis, & aqua, quia diuinus hic cruor ſociam ſemper habet ſapientiam qua illuſtrantur, qui cum Euchariſticis accidentibus ſumunt, ita Sanctus Ephrem, alludens ad cæcum miſſum ad aquas Siloæ, ait enim *ſi procul à nobis eſt Siloa, ad quam miſſus eſt cæcus, ſed pretioſus calix ſanguinis tui, plenus vita, & lumine in proximo eſt, tanto propinquior, quantò qui acceſſerit purior fuerit*, propterea forſan aqua ſanguini admiſcetur in calice, vt ſciant fideles pretioſiſſimum hunc cruorem non eſſe eiuſdem cum humano, aut brutorum ſanguine conditionis, ſed tanta luce ſcatere, vt irradiet animos ſapientia diuina.

Ephrem. Serm. de iudicio.

Prouerbiorum capite 9. in horum confirmationem dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, poſuit menſam*, Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Anaſtaſius Nyſſenus, S. Thomas, Beda, & Hugo Cardinalis hæc intelligunt de Auguſtiſſimo Sacramento; ſed Origenes de ſcientiarum Encyclopædia, & doctus Pineda, de Academiis & vniuerſitatib⁹, vbi Profeſſores docent, volunt intelligi, quaſi diceretur ſapientiam diuinam menſam paraſſe, hæc doctoris cathedra eſt: & ſuper eam poculum vino, & aqua plenum potuiſſe, & hic lector ſiue pædagogus: Poſt addit *oſtendam vobis viam prudentiæ bibite vinum quod miſcui vobis*: ergo ne in vino ſapientia? ergo ne in Euchariſtico calice lumen intellectus reperietur? forſitan altare erit Academia, & calix ſanguinis doctor, vel pædagogus? omninò ſanè: ita Clemens Alexand. verbum eſt *omnia infanti, & doctor, & mater, & pædagogus, & altor.* In Academiis ſcientiæ leguntur, qui ergo fiet, vt in hac ſacratiſſima menſa doceantur? quomodo ſanguis verbis difficiles Theologiæ materias leget? breuiter dicam, fides nos multa captu difficilia

Prou. cap. 9. Cypr. lib. 2. teſt. cont. iud. Amb. lib. 4. de fide c. 7. Chryſ. homil. Pſa. 22. Anaſt. quæ. 4. in Scrip. S. Thom. opuſ. de Sacra. Beda, & Hugo hic.

lia docet, materiam de Trinitate, quis hanc capiat, illam de fide, qua hæreſes ſubuertimus: de ſpe qua confundimus gentiles: Materiam de charitate, quæ immorigeros fideles componit, quid vltra? hæ omnes materiæ in Auguſtiſſimo Sacramento leguntur, filii Dei ſanguinem ſub Euchariſticis ſpeciebus bibere, nihil aliud eſt, quam harum materiarum doctrinam, atque ſcientiam potare. Ideo dicit *bibite ex eo omnes,* quaſi diceret, vt quid tot annos in frequentandis Academiis inſumitis, ſera nimis eſt doctrina tanto tempore comparata, *bibite vinum, quod miſcui nobis, bibite ex eo omnes:* vnus hauſtus mei ſanguinis, ſtilla eius vnica in Euchariſtica menſa ſumpta, has omnes materias vos docebit, propterea Chriſtus, poſtquam diſcipulos communicauit dixit, *ſpiritus paracletus, quem ego mittam vobis à patre:* Ecce materiam de Trinitate? *exiui à patre*, habes illam de incarnatione: *Vado ad patrem, in cuius domo manſiones multæ ſunt:* En lectionem de beatitudine, *creditis in Deum, & in me credite:* Ecce de fide, *vado parare vobis locum,* & hæc eſt, illa de ſpe: *hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*, habet materiam de charitate, quis non videat ſanctiſſimum Sacramentum doctorem eſſe ſapientiſſimum, qui eos, qui communicant efficiat Theologos, iiſque adeo intellectum illuſtret, vt difficiliores quaſque fidei materias nullo negotio perdiſcant.

Ad præſens inſtitutum pulchrè ait Iob. *Pulli eius lambent ſanguinem,* loquitur de Aquilæ pullis, qui teſte Philoſopho ſanguine vtuntur pro potu. Origines habent, *exſorbent ſanguinem,* propterea aquilæ tot inſignibus proprietatibus pollēt, & præſertim, quod ſuſpenſæ in aëre prædam in remotiſſimo loco videant, ac ipſos ſolis radios immoto ſuſcipiant obtutu, ita Conradus, Sanctus Gaudentius, per hos pullos aquilæ fideles intelligit communicantes, quos deuotiſſimè ad Epulum Euchariſticum inuitat, vt Filii DEI ſanguinem ſub accidentibus vini bibant, *contendite pulli generoſi ad ſacram offam in qua*

Iob. cap. 39.

Ariſtoteles.

Conrad. in Aquila.

in qua eſt vita, & ex cœleſti illo cibo mica non cadat? Quod ſi ſanguis viſum aquilis acuat, dubium non eſt, quin ſuperiori modo Chriſti cruor in Euchariſtia ſumptus, ſumma luce animam perfundat, eamque ſapientia imbuat diuina, vnde benè quidam Doctor grauis ait; *vt pulli inſtar aquilini acris ad videndum, & intelligendum dimiſſa ignoratione fiat, hoc præſtantiſſimo vtatur cibo, ſanguine, & corpore Chriſti alatur*, quis iam non videat eum qui Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia ſumpſerit, miram ſapientiam imbibere, quod ideo fit, quia Auguſtiſſimum Sacramentum ſcientiæ infinitæ arbor eſt, in quam communicantes ſicut ſurculus in truncum ingerimur, eique phyſicè, naturaliter, ſubſtantialiter, atque corporaliter, vt dictum eſt copulamur, quo fit, vt ſuam nobis ſubſtantiam vitam, atque ſapientiam infundat, & acutiſſimos in itinere ſalutis reperiendo efficiat obtutus.

Salazar. in cap. 9. Prouerb.

PARS ALTERA.

At verò, quî fieri poterit, vt qui hoc ſacratiſſimum ſapientiæ ferculum, nihil aut raro ſuſcipiunt, illuſtrentur lumine? qui nunquam in diuinum hunc truncum ingerentur, qua ratione vitalem eius ſuccum imbibere poterunt? quomodo diuini ſolis radios excipient, ſi ſemper tenebris obuoluti, nuſquam quærant lumen? qui Academiam non frequentat, doctrinam non conſequetur: ratio cur multi ſæpiſſimè ita ſint hebetes, ac in iis quæ propriam ſalutem ſpectant, iudicio deſtituti, ea eſt, quod parcius æquo ad hoc ſacratiſſimum epulum accedant: Quam pulchrè Dauid Chriſtum introducit, iis qui ſe rarius ſuſcipiunt loquentem, *ſimilis factus ſum pellicano ſolitudinis:* nemo neſcit quod Auguſtinus de hac aue narrat, pullos enim roſtro pungit, & occidit, ſuæ immanitatis dolore percito, roſtrum ad ſuum ipſius pectus adigit, copioſumque ſanguinis educit fontem, quo illi abluti, vitæ & luminis

Pſal. 101. Aug. Serm. 1. in Pſal. 1.

luminis recipiunt vſuram: Quærit Auguſtinus quid allegoricè ſignificet hæc mater tantæ pietatis, & reſpondet filium Dei, qui dum nos lethalis culpa ſuo veneno infectos, vita gratiæ orbauit, ſacratiſſimum pectus in cruce lancea militis ſibi permiſit reſerari, ex quo ſanguis Euchariſticus profluxit, vt eo loti, ad vitam rediremus diuiniorem; ipſe Gallina eſt apud Matthæum, quæ garritu aſſiduo pullos vocat ſub alas, vt proprio eos corpore & ſanguine paſcat, *tamenſi verum eſt*, ait Auguſtinus, *quemadmodum illi congruat, qui nos viuificauit ſanguine ſuo videte? congruit illi quod matris caro viuificat ſanguine ſuo filios ſuos? ſatis congruit, nam & ipſe gallinam ſe dicit ſuper pullos ſuos.* Si vnquam filius Dei amantiſſimæ matris, aut pelicani formam aſſumpſit, dubio procul fuit in Sacramento altaris, ipſe enim ſanguinem in cruce fuſum pullis ſuis, ſub Sacramentalibus accidentibus bibendum propinat, & his non contentus, proprio eos corpore etiam paſcit, vt vitam ſimul, & lucem recipiat. Matth.c.23. Auguſtin.

Verum enim verò ſi Chriſtus Pelicanus eſt, quando pullos pungit, & occidit? cum bonam inſpirationem, aut ſanctum motum animæ infundit, quo ad mundandam ab omnis culpæ lepra conſcientiam inuitat, tum eam pungit, vt veterem hominem in eo occidat, tum ſuarum gratiarum aculeo, cor vrget, vt peccatori, ac filio diaboli, inferat mortem, quod videre eſt in Paulo, cum enim vox eum de cœlo in terram exturbauit, ita fuit læſus vt homo Chriſti perſecutor, qui in eo viuebat, penitus extingueretur, vbi verò ſuſcitare ad vitam debuit eiuſdem Chriſti prædicatorem, hæc piiſſima mater illum proprio ſanguine lauit, hoc eſt, ſui ſanguinis effuſi merita illi applicauit, non mihi, ſed Auguſtino credite dicenti, *an verò Paulus perſequutor moreretur niſi de cœlo percuteretur? aut prædicator excitaretur, niſi illius ſanguine viuificaretur?* Quotieſcunque bonum in te motum ſentis, quotieſcunque ſancta inſpiratione illuſtraris, cum mortis cogitatio, iudicii, Auguſt. vbi ſupra.

vel inferni timor animum pulſat,ſcito piiſſimam tuam eſſe parentem, quæ hæc infligit verbera, vt in te moriatur homo peccator, atque eo extincto per confeſſionem legitimam paſcaris eius carne in Sacramento, & poteris ſanguine, vt gratiæ vitam, ac lumen recipias, & in nouum Dei filium reuiuiſcas. Sed heu, relinquitur hic Pelicanus ſolitarius, vacua ſunt altaria, Euchariſticæ menſæ conuiuis viduantur, adeo vt, orbata ſuis pullis mater, ac ſolitaria merito conqueratur, *ſimilis factus ſum pelicano ſolitudinis*, non queritur ſibi effodiſſe latus, vt ex eo ſacratiſſimus cruor in noſtrum remedium efflueret, ſed illam angit ſummoperè quod inter manãtes ſanguinis riuulos, ſolitaria relinquatur à pullis, qui vt vitæ, & lucis vſuram recipiant, cruoris eius non quærant medicinam. Pulchrè Auguſtinus *hanc auem potius in ſolitudine cognoſcamus, hoc enim inde Pſalmus voluit ponere pelicanus in ſolitudine: puto enim ego hic intelligi Chriſtum natum de Virgine, ſolus enim ſic, ideo ſolitudo*. Hoc illum ſummè angit, quod volens nos reuocare ad vitam, ſui potus ſanguinis, & corporis eſu, illum tamen ſolitarium relinquamus, & vix ſemel in anno ad Auguſtiſſimam menſam accedamus, quod pulchrè innuit Chryſoſtomus cum ait, *ne torpeamus igitur, tanta digni charitate, & honore putati*. Forſitan ignorat Deus quemlibet hominem ad hoc diuinum epulum accedere eſſe indignum, aut ſi non ignorat, quorſum illum dignum putat, *tanta digni charitate, & honore putati?* Seruatoris amor in nos ac deſiderium, quo ad frequentem communionem nos vocat, ad illud peruenit extremum, vt etſi optimè ſciat nos tanti beneficii indignos, malit tamen ſuam ſapientiam celare, vt amorem prodat, quo nos, ad ſuo deſiderio ſatisfaciendum ſuauius inuitet, ideo rogat Chryſoſtomus, *ne torpeamus, tanta digni charitate, & honore putati*. Quid reſpondebunt illi qui diuinæ matris carnem, & ſanguinem in Euchariſtica menſa ſæpius contemplantur, & tamen ad eam non accedunt, nec hiſce cœleſtibus cupediis vlla ratione paſci volunt, quid inquam dicent? niſi ſe huius

Chryſ. homil. 28. in Matth.

Digitized by Google

huius vitæ, atque ſcientiæ arboris fructibus in æternum priuandos, quod dubio procul fiet, niſi conſilio mutato, frequentiores ſint in hac menſa, vbi gratiæ vitam diuinæque ſapientiæ lumen copioſe recipiant.

Ioannes in Apocalypſi quiddam à noſtro inſtituto non alienum narrat. Vidit enim, *& ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Quod ad facillimum eſt intellectu, affirmat enim textus ipſe triumphũ eſſe mortis, quę pallido ac horrendo equo inſidens, vitam omnibus ſua falce metit, vt eos in infernum ſe ſequentem exturbet, ſed præſtat Rupertum ducem ſequi, contemplatus enim equum illum macilentum atque famelicum ait eſſe dæmonem, tum rationem diſquirit, vnde tanta illi prouenerit macies, dicitque panem Euchariſticum Angelorum eſſe ferculum, quidquid enim in eo accidentibus velatum ſumimus ipſi facie ad faciem, ac intuitiua cognitione mandunt, Deus ergo à primo mundi exordio ſacratiſſimũ hunc panem omnibus Angelis porrexit, comedere multi, ſed alii ne vel tantillum de eo guſtare voluerunt, quin imò habuere deſpectui; primi quidem cœleſti eius pinguedine adeo fuere ſaginati, vt pleni cœleſti gloria eorum ſtomachi, nullam ſint æternùm famem paſſuri. Alii vero hoc eſt dæmones, ita pallorem induerunt, ita fame rabida preſſi, vt nullibi ſint vmquã reperturi ſatietatem, imò verò, & ſi omnes mortaliũ animas ſuis viſceribus clauderent, nunquam ſaturi, nunquã pingues ad vlteriorem paſtum aſpirarent, loquatur iam Rupertus *hic enim victus eſt, & vita angelicæ ſubſtantiæ. Nam in eum deſiderant Angeli proſpicere, quod quia facere contempſit angelus, cecidit & factus eſt diabolus, qui & huius panis ſempiternam patiens inediam, ſemper eſt pallidus, & mors illum ſequitur.* Vide ergo quid agas, cũ hoc ſacratiſſimo ferculo veſci renuis, attende Angeli omnium fæliciſſimi àtque venuſtiſſimi, infælicitatem, ac eandem time, quis enim non videat eos, qui hoc pane ſanctiſſimo nõ veſcuntur, ſemper fame premi? ſed ea,

Apoc. ca. 6.

Rupert. lib. 3. in Exodũ cap. 10.

 quæ

Digitized by Google

quæ ſolum honorum, voluptatum, atque facultatum mundi alium ingerat appetitum? quis inquam eos nō videat pallidos, & macilentos equitantem mortem humeris ſuis geſtare, quæ ſuo eos ita vrget flagello, vſque dum obitu infælici defunctos trudat in infernum ſe ſequentem, *& infernus ſequebatur eum:* quî enim fieri poteſt, vt qui nihil, aut parcè communicat neceſſario perfundatur lumine, aut ea fortitudine confirmetur, quam vrgens peccati occaſio requirit, quin imò hiſce duobus adminiculis deſtitutus ſæpius labatur neceſſe eſt, tum propter luminis, tum etiam virium defectum, adeo vt eum ſequatur infernus, qui enim peccati mortalis conſcius eſt, iam inferno eſt dignus, timendumque eſt, ne aliquando in hoc ſtatu, vitam infælicem claudat, quo in profundum abſorbeatur, eius mihi eſſe videtur ſententiæ Propheta Michæas, cum ait, *& inimicos eius perſequentur tenebræ*, pulchrè Rupertus ad inſtitutum noſtrum, ſic exponit, *hoc ſine dubio verum eſt, de cunctis Dei hoſtibus, qui cum præſentem vitam malè finierint, nequaquam vltiones quibus eos vlciſcitur Dominus, in morte carnis finiuntur, ſed perſequuntur animas eorum, & cōprehendunt maligni ſpiritus, qui tenebræ, & non lux.* Quaſi diceret, eum qui Sacramento altaris, vero vitæ, atque luminis fonti appropinquare renuerit, acrem ſemper rerum mundialium famem perpeſſurum, atque adeo futurum ſub peccati iugo, quo circa timendum eſt, ne mors quæ illum inequitat, in malo ſtatu demetat ex hoc mundo, ac præcipites agat, in tenebras inferorum, & inimicos eius perſequentur tenebræ, longè fælicius agitur cum illis, qui meliori docti conſilio, ad Euchariſticum epulum accedunt cum poſſunt, in quo tanta ſaginantur ſuauitate, ac eo diuinæ ſapientiæ lumine perfunduntur, vt non ſolum quaslibet peccati occaſiones præuideant, ſed & obuias impolluto pede fæliciter tranſeant.

Michæas. cap. 1.
Ruper. hic.

FERCV-

FERCVLVM IMMORTALITATIS.

Diſcurſus Decimusquartus.

TAnta fuit ſanctimoniæ copia beatiſſimæ Virginis animus irroratus, vt ad corpus ipſum ſuam extenderet plenitudinem, illudque mira faceret pulchritudine radiari, ideo optimè notat Andreas Cretenſis, defunctæ virginis ſacratiſſimum cadauer tanto lumine coruſcaſſe, ac tantæ perfectionis exhalaſſe odorem, vt ipſi, qui præſentes aderant, mira interius perfunderentur voluptate, *erat in medio inquit ille, illud luminoſum corpus Deiparæ, quod Dei verbi totam capiebat plenitudinem, quod quidem, dum videbatur in lecto, vnguenti ſanctificationis ſuaui odore, totam perfundebat naturam*, quod vt melius capias, in memoriam reuocat ſapientiſſimum inuentum, quo Moyſes fuit vſus in deſerto, vt enim eis, quos ſerpentes momorderant medelam afferret, æneum erexit ſerpentem, cuius ſolus intuitus infirmorum vulnera ſanabat, hoc dicit Andreas, *virginale corpus, dum videbatur in lecto, vnguenti ſanctificationis ſuaui odore totam perfundebat naturam.* Quaſi diceret, cum prudentiſſimus ſerpens matris Dei in lecto mortuus cerneretur, tale gratiæ, atque ſanctificationis exhalabat vnguentum, vt mortiferi ſerpentis vulnus potuiſſet ſanare, ſi ſpectantium aliquis eo fuiſſet læſus. Quod ſi vita orbata inſignes adeo produceret effectus, quid putas viuentem modo, æterna præſertim vita beatam pręſtare poſſe? Certè id auſim dicere non ſolos ſerpentum morſus, ſanaturam; ſed & quodlibet gratiæ, atque luminis collaturam incrementum. ideo in Canticis vocatur *pulchra vt luna*, quæ ſpecialem in mortalium oculos habet influxum, vnde illam Epiphanius illuminatricem & Chryſippus fontem lucis

Andreas Cretenſis homil. de aſſump.

Cant. ca. 4.

Epiphanius.

Chryſippus.

 appel-

appellat. Plinius affirmat lunam plenam animalium oculis mirè prædominari, adeo vt ſuis influxibus cum plena eſt, multis animalibus ſint acutiſſimi, cum autem deficit ipſa, illi quoque deficiant; quem ergo putas virgineam lunam, iam omni gratia, atque gloria pleniſſimam, habituram influxum in hæc inferiora? eum ſanè, quo omnium ad ſe recurrentiũ obtutus acuat, eosq; diuino perfundat lumine: quia verum, mihiq; neceſſariũ eſt, ad tuos influxus luna virginea oculos conuerto, vt quos nemini denegas luminis radios, eoſdẽ mihi quoq; impertiare.

Rom. cap. 5. Apoſtolus ingentem illam ſtragem, quam effera mors in hoc vniuerſo fuit operata, demiratus, ait *regnauit mors ab Adam, vſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccauerunt*: B. Auguſtinus huius cauſam diſquirẽs, ait eam fuiſſe, quod ſpiritalis atq; animalis vitæ merces, quas Adam peccando amiſerat, Spiritus S. penes ſe habere voluerit, nec earum diſpenſationem vlli creaturæ permittere, vnde Tertullianus optimè dicit, *quod maxime bonum eſt, id maximè penes Deum eſt, nec alius id, quam qui poſſidet diſpenſat*, quid melius vita, ea in bonis naturalibus ſummũ bonũ eſt, & in gratuitis vita gratiæ maximũ, propterea Deus vtriuſq; merces ſibi reſeruauit, adeo vt protoplaſtus neceſſario mortẽ debuerit incurrere, eamque transfuderit in poſteros, qui velint nolint, ingentem morti meſſem debent facere, & profectò, in lege naturæ, ita omnes fuere deſtituti vita ſpiritali, vt natiuo quodam impetu poſt idola, poſt turpia, poſt inhoneſta ferrentur, totaque eorum congregatio dicere poterat, quod

Aug. Serm. de verb. Apoſtoli. de ſe aliquando Auguſtinus, *ibam poſt concupiſcentiam meam, & qua trahebat currebant*: nec mirum, ſpiritus enim vitæ vtriuſque merces reſeruauerat apud ſe, ecce venit ſcripta lex, vt medici fungeretur officio, & hunc mortuum ad vtramque vitam reuocaret, quod vt faceret multas leges congeſſit, quibus quid faciendum, vel non præſcribebat, quemadmodum ſi aliquis cantur edito, ac inſtrumentorum muſicalium pulſu, vellet cadauer ad ſaltum inuitare. Ita planè lex iſta, Pſalterium decem

chorda-

chordarũ Decalogi dedit, pulſare cœpit, & ſonos edere, nunc ad orationem, nunc ad cultum Numinis, modo ad fugam furti, & homicidii, modo ad feſtorum inuitans celebritatem, vitamque in his omnibus agi deprædicans, vt habetur in Deut. *Ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum tuorum*, minimè tamen propterea reuixit mortuus, ſed potius, vt ait Apoſtolus, *ſubintrauit lex, vt regnaret peccatum in mortem*: Quid ergo faceret, quo ſe verteret? addidit altaria, hoſtias, thymiamata, ſanguinemque animalium, vt ad vitæ auctorẽ hunc defunctum conuerteret, ſed parum profecit, vnde Paulus, *ſed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit, ego autẽ mortuus ſum*. Iam verò ait lex potiora quærenda ſunt medicamenta, quia mors per cibũ intrauit in mundum, cibos decernam, animalia munda ſtatuam ad eſum, quo vita perdita poſſit recuperari, certum enim eſt, cibos meliores atq; puriores, ſenſim ſanguinem, vitales ſpiritus, humores, mores deniq; humaniores generare, atq; modeſtiores, vnde Tertullianus, *multa à Iudæis ciborum genera ſublata ſunt, non vt illa damnarentur, ſed vt coercerentur ſeruituri vni Deo*. Ideo vetuit Deus, animalia, quæ prauas haberent inclinationes, ne qui iis veſcerentur, eas quoque imbiberent, ſed ſola permiſit munda, quo Iudæos redderet ſanctiores. Audi Nouatianum, nomine Tertulliani, *quis muſtelæ corpus cibum faciat? ſed furta reprehendit, quis lacertam? ſed odit vitæ incertam veritatẽ, quis ſtellionem? ſed maculas execratur prædam de aliena morte quærentes, quis coruum? ſed verſutas execratur voluntates*, vide quid intenderit Deus in animalium eſu prohibendo: ſed forſitan hæc infirmo profuerint, ad recuperandam ſoſpitatem? minimè verò ait Apoſtolus, *Nam parabola eſt temporis inſtantis, iuſta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem*, & alio loco vocat hæc omnia *miniſtrationem mortis litteris deformatam*, ſunt qui in Epiſtola venenatos pulueres includunt, vt qui legerit puluerem hauriat ſolo halitu, quo trahatur ad mortem, talis fuit lex, ait Paulus, miniſtratione

mortis

Deut. c. 30.

Rom. ca. 7.

Tertul. lib. de cibis Iud.

Nouat. lib. de cibis Iud. cap. 3.

Hebr. ca. 9.

2. Cor. ca 3.

mortis litteris deformatam, quam qui habuit, viuere non potuit, ſed potuit mori.

Sed *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, peramplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Iam habes nouum miniſtrum vitæ, qui nouo ſacrificio, nouo cibo, noua lege, vitæ vtriuſque merces concluſit, vt qui iis participaret, ad vitam quoq; reſurgeret immortalem, præſtitit ille, quod non potuit alius, & vitali ſuæ carnis cibo, vitales ſpiritus, quos eſus pomi diſſipauerat reuocauit, vt ad vitam omnes immortalem; diuino quodam modo vegetarentur.

Ambroſ. in Lucam. Pulchrè Ambroſius, *primo quippe foras mittitur mors animo, dum comeditis, vel bibitis, Sacramentum mortis, vel paſſionis meæ, poſt hoc foras mittetur mors corporis, ſcilicet quando omnes reſurgetis.* Chriſtus ergo dicit, *caro mea verè eſt cibus:* quaſi diceret ô Eccleſia ego ſum in medio tui, quaſi lignum vitæ, in medio paradiſi, & quemadmodum, qui de illo guſtaſſet, in vitam fuiſſet immortalem vegetatus, ita qui comederit me, eandem quoque recipiet immortalitatem, quod ipſemet promiſit in Apocalypſi

Apoc. ca. 2. cum dixit, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Vides, Chriſtum lignum eſſe vitæ, quod ſe ſumentes in vitam perennem vegetat, modo longè ſublimiori, quam vetuſtũ illud lignum paradiſi in medio collocatum, quod eleganter

Rupertus. deducit Rupert. his verbis, *quiſquis per pœnitentiam anteactæ vitæ maculas expiauerit, credat vtique, vt ſicut eſu illius cibi ligni vitæ, quandam immortalitatem acciperent primi parentes, ſic iſtius ligni vitæ plantati cibus, in vitam æternam confirmat, & roborat animum:* quod ſanè demirandum, ea enim vi pollet hic vitæ cibus, vt non ſolum, vitę gratuitæ præſtet incrementum, ſed etiam tanta virtute corpus ipſum vegetet, vt etſi reſolutum in cineres, ad immortalitatem tamen ſit euocandum, quo circa Chriſtus

Ioan. cap. 3. veriſſimè dixit apud Ioannem, *ego ſum panis vitæ, patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt, ſi quis manducauerit ex hoc pane*

Digitized by Google

pane viuet in æternum, præclarus ſane cibus fuit manna, quod ſine Iudæorum opera vitam conſeruaret, ſed horariam, ſed quotidianam, quotidiana enim ſumptione indigebant, vt deperditum radicale humidum, reſarcirent, non fuit tantæ virtutis, vt corpora ad perennitatem vegetaret, hæc ſolum virtus, hæc poteſtas debetur Euchariſtico cibo, qui propter realiter præſentem in eo filium Dei, vitæ amnis ſcaturiginem, nō ſolum corpori vitam conſeruat, ſed & illam quoque producit in immortalitatem, vnde bene Chryſoſtomus vocat illum *Pharmacum immortalitatis*, quaſi diceret potionem medicam eſſe, cuius confectionem tantæ virtutis ingrediuntur aromata, vt vigorem tribuat corpori, reſurgendi ad vitam immortalem, propterea prima diſcurſus parte oſtendam vere eſſe immortalitatis ferculum, quod corpora ſaginat, poſtea dicturus, quam multos pariat ad felicitatem. Chryſoſt.

PARS PRIOR.

Sanctus Paſchaſius, de Euchariſtia ſermonem inſtituēs, ait; *hæc ſunt ſemina vitæ*. Cuius licet exiguæ ſententiæ, vt acumen percipias, notandum eſt vinitores, cum abſciſſum alicuius vitis ramum volunt reuireſcere, illum terræ mandare, ſed additis aliquot hordaceis, vel triticeis granis, vt per illa virtus vitis hebetata acuatur, & radices agat, ac totos ramos in nouam pullulet amœnitatem. Quid homo mortuus niſi abſciſſus ramus expectans corruptionem, omnem vitæ ſpiritum exuit, natiuo omni calore deſtituitur, nec quidquam frigidius eo poteſt reperiri: quid ergo remedii, vt iterum calefiat ad vitam? certe quia ramus eſt, diſpoſuit Deus illum cum Euchariſtico tritico, quod pro viatico ſumpſit, terræ mandari, vt natiuus calor vi mortis hebetatus, acuatur, ac tandem nouā conferat in reſurrectione iuuentutem, ideo dicit *Paſchaſius hæc ſunt vitæ ſemina*, quod expreſſius videtur innuiſſe Hieronymus cū

Paſcha. lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 22.

Hier. in c. 4. Eccl.

Digitized by Google

inquit, *quod ſi etiam vnus dormierit, hoc eſt, ſi morte diſſolutus fuerit, & ſecum Chriſtum habuerit calefactatus & reſuſcitatus, citius reuiuiſcet*, vis cadauer tuum, interna virtute ad vitã reſurgere prouide tibi ante mortem ſemen Euchariſticũ, quod ſi in tuo condideris ſinu, & ſine morte ſiccior, ac frigidior eſſes glacie, eius tamen virtute ita calefieres, vt nouum indutus ſpiritum pullulares in immortalitatem, fallor, niſi idem dicere habuerit
Oſe. c.14. Oſeas in animo, cum propheticis oculis, populi Iudęorũ ruinã infœlicem intuitus, exclamauit, *Erumpet radix eius, vt Libani, ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius.* Deus bone quam ſubita mutatio, modo vidiſti populum in terra proſtratum, modo ſub aduenarũ iugo captiuũ, & iam in ſimilitudinẽ nobiliſſimi Libani, ramos pullulantem iucundaq; amœnitate veſtitũ intueris, vnde hoc? Reſpondet ipſe, *viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea.* Ecce frumentum, quod Iſraeliticã vineam virides pampinos fecit germinare, nihil efficacius ad animãda ad nouã vitam cadauera, quam hoc triticũ genitale ſemẽ eſt, quod ſi ſemel conditũ fuerit in ſinu, etſi reſoluaris in cineres, in fructus tamẽ pullulabit immortales, miratus ſum aliquãdo Chriſtum Dom. in vltima cœna, cum Euchariſtiam vellet inſtituere diſcubuiſſe: *Diſcubuit, & duodecim Apoſtoli eius cũ eo.* ait Lucas, cum tamen agnus paſchalis, qui Auguſtiſſimi ſacramenti typus fuit, ſoleret comedi ſtando. Sed illico omnẽ admirationẽ
Iren. lib. 4.c.39. ſuſtulit Irenæus cũ ait, *Recumbentib. eis miniſtrabat eſcam, ſignificans eos, qui in terra recũbebant, quibus venit miniſtrare vitam.* recũbentes diſcipuli, figuram prætendebant eorum, qui in ſepulcris iacebant, ideo recumbentibus illis Euchariſticum triticũ Chriſtus miniſtrauit, vt innueret iacentes in tumulis ad perennem vitam eius virtute reuocandos.

Puerulo recens nato faſciæ ſunt opus, quibus alligatus calefiat, citiuſq; ſumat incrementum, quid putas eſſe reſurrectionem, niſi nouam natiuitatẽ, qua tumulus immortales parit, quos materna aluus morti ſubiectos effuderat? ſuas quoq; illi faſcias reqrũt, ſuis indigẽt alligamẽtis, quib. calefacti creſcãt in im-

in im̃ortalitatẽ, Euchariſtiæ ferculũ faſciæ ſunt, huic muneri accommodę, ſindone cadauer mortuum potes inuoluere, ſed nihil tibi conducet ad vitam, id cura, vt Euchariſticæ faſciæ te præcingant, quia calefacient ad immortalitatem, ita Clemẽs Clem. Alc.
Alex. *Corpus Chriſti, nouum cætum verbo nutrit, quem ipſe Dominus* li. 1. pædag.
carnali labore peperit, quem ipſe faſciis illigauit Dominus pretioſo ſan- cap. 6.
guine, ô partum ſanctum, ô ſanctas faſcias. ô vere ſacratas faſcias, quæ mortuis etiam corporibus, vitalem poſſunt calorem indere, quo nouo vigore vegetata corruptionẽ exuant, immortalitatem ſuſceptura. Num id olfecerat Dauid cum proponente angelo, famis, belli, aut mortis electionem mortem i-
pſe elegit: *Elegit ſibi Dauid mortem, erant autem dies meſſis tritici,* Lib. 2. Reg.
& dedit Dominus mortem in Iſrael, à mane vſque ad horam prandii. cap. 24.
Quorſum obſecro maluit mortem, quam alia flagella, eamq; tempore meſſis triticeę ſubire? A peſte poterat fugiendo liberari, quid vero timuiſſet, bellum; ſi ei non voluiſſet intereſſe, & tamen ſecuriorem, ac minus euitabilem elegit mortem, idque cum dies eſſent triticeæ meſſis: Quorſum hæc obſecro?
Argute reſpondet Cyrillus. *Mane igitur, hoc eſt, à primis huius* Cyril. Alc.
ſeculi temporibus, mors depaſta eſt eos, qui in terra erant vſque ad horã lib. 3. de iu-
prandii, hoc eſt, vſque ad menſæ tempus, vbi enim aduenit nobis ſan- ſtif. in Chri
ctæ menſæ tempus, nimirum illius in Chriſto, ac Myſticæ, in qua pane ſto.
veſcimur illo, cælitus dato, quæ prius terribilis erat mors ceſſauit. ô acre Dauidis ingenium, in illa triticea meſſe, frumentũ Euchariſticum olfecerat, quod omnem mortis corruptionem erat abacturum, propterea nõ dubitauit mori, quia ſperauit ſe huius ſacratiſſimi tritici virtute vegetandum, quæ, illum in vitam reſurgere faceret immortalem.

Cur putas antiquos patres, ſemper voluiſſe ſepeliri Hieroſolymis? vt Iacob, qui moribundus ſuum filium Ioſeph rogauit, *ne ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis.* An for- Gen. c. 47.
ſan ideo, quod in nobiliſſima illa ciuitate Chriſti eſſet ſanguis effundendus, quo irrorata cadauera citius ad vitam pul-

Digitized by Google

Petr.Dam. ſerm. de transl.S. Hylla. lularent? hanc ſcio mentem eſſe Petri Damiani, cum ait, *illis terra finibus beati viri iam medullitus aggliſcebant, quam interioribus oculis iam videbant pretioſo Dominici corporis ſanguine purpurari*, quaſi diceret, prophetico ſpiritu, ſenex Iacob effundendū in Caluaria Chriſti ſanguinem agnoſcebat, quo viuificanda cadauera mortuorum præſentiſcens, voluit Hieroſolymis ſepeliri, vt & cadauer eius hoc viuifico cruore irrigatum, citius indueret incorruptionem: nec mirum: narrat enim Euangeliſta multa corpora, quæ dormierant ſurrexiſſe cum Chriſto, vtpote quia virtute ſanguinis eius vegetata, diutius ferre non potuerunt corruptionem. Quid aridius Dominicæ crucis ligno, & tamen in mille ſciſſum partes, ſemper redintegratur, an forte, quia Chriſti ſanguine maduit, à quo virtutem accepit reuireſcendi? ita me docuit S. Paulinus ſic loquens de cruce, *quotidie lignum ſuum commodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, ſed iam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de illius carnis ſanguine bibit, qua paſſa mortem non vidit corruptionem*. Siccum ergo crucis lignum, cruore Chriſti ſemel irroratum, non poteſt corruptionem perpeti, & hanc forſitan mortuorum cadauera patientur? minime vero? neque enim Euchariſtico filii Dei ſanguine toties lota, perennem ferent in ſepulchris manſionem, ſed eius animata virtute ad immortalitatem reſurgent glorioſa.

Paulinus epiſt. 11.

Plin lib. 2. cap. 5. Mirum vocari in Exodo manna ſimile Bedellio, id eſt, Beryllo, Beryllos Plinius vocat Criſtallis fere ſimiles, quod ſi verum eſt de manna, longe potiori ratione verum dixerim. Verius dixerim de pane Euchariſtico, cuius manna Typum geſſit, quid enim Criſtallo ſimilius? Audi Chryſoſtomum ſic de hoc viuifico pane diſſerentem, *hodie proceſſit panis in veritate, qui ſicut Criſtallum mittebatur de nubibus Prophetiæ, clamat enim Dauid in voce Pſalmi dicens, qui mittit Criſtallum ſuam, ſicut fruſta panis*. Vidit aliquando Dauid Deum è nubibus pluētem Criſtallum ſicut fragmenta panis, hoc eſt, vt ait Chryſoſtomus,

Chryſoſt. ſerm. 4.

eandem-

Digitized by Google

cadentem è manibus Seruatoris panem Euchariſticum ſicut criſtallum, ſed cur potius ſicut criſtallum, quã ſicut aut margaritas, vel quidpiam aliud pretioſum? dicam breuiter ſol, radios exerens in criſtallum, ita vires ſuas in eo colligit, vt calorem ſuum multum augeat, & ad tantam perducat intenſionẽ, vt applicatæ ſtupæ facile ignem concipiant, ita candor lucis æternæ Chriſtus Ieſus, in pane cæleſti, velut in criſtallo collectus, efficacius virtutem ſuam communicat homini, eique vim genitalem impertit, qua facilius pulluleſcat in vitam. Hanc mihi mentem iniecit Ireneus cum ait, *verbum caro factum eſt, vt in carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne eius rutila veniat in nos, & ſic homo deueniat in incorruptelam, circũdatus paterno lumine*, quid pulchrius? calore indigent frigida cadauera vt reuiuiſcant, & ecce tibi diuinum ſolem in Euchariſtico criſtallo collectum, vt virtutem ſuam auctam illis impertiatur, qua veluti genitali ſemine fœcundata, aliquando induant immortalitatem, ob eam forte cauſam Chriſtus ait, *Caro mea vere eſt cibus*. Cibi proprium eſt, abſumptas animalis vires reſarcire, mortemque quoquo poteſt modo abigere, hoc vere præſtat cibus iſte diuinus, qui morte omnino extinctas corporum vires reparat, vitamque confert immortalem, idq; modo mirabili, vnde pulchre Paſchaſius, *generaliter homines cibum & potum permaxime appetunt, vt non eſuriant, neque ſitiant, & ne moriantur, hoc vtique cõmunis iſte non præſtat cibus, ſed caro Chriſti & ſanguis, qui immortales & incorruptibiles facit, ideo vere cibus & potus nominantur*. Optaret materialis cibus ſi poſſet, mortem omnino abigere, ſed non poteſt, qui in ſe corruptibilis eſt, quam non habet conferre incorruptibilitatem, hoc ſolum præſtat immortalitatis ferculum, quod cum ſit æternitatis ſemen, eiuſdem etiam conferendæ habet facultatem. Putant aliqui terram poſt extremum ſeneſcentis orbis obitum, iucũda florum amœnitate veſtiendam, ideo ſolum, quod eam pretioſus Chriſti cruor in paſſione irrigauit qui tantæ virtutis eſt,

Iren. lib. 4. cap. 37.

Ioan. c. 6.

Paſcha. li. de corp. & ſang. Domini c. 19.

Digitized by Google

vt frigidiſſimo etiam elemento poſſit tribuere iucunditatem. Anſelm. in elucid. Ita Anſelmus *terra quæ in gremio ſuo corpus Domini conſouit, tota erit vt paradiſus, & quia ſanctorum ſanguine eſt rigata odoriferis floribus, roſis, violis, immarceſſibiliter erit perpetuo decorata*, vides amœnitatem? quid ergo putas de electorum cadaueribus futurũ, quæ toties cruorem hunc ſuo ſinu exceperunt? quoties ad Euchariſtiam epulum acceſſere?

Quæſtionem pulcherrimam mouet Rupertus, cum dicit, ſi Euchariſtiæ ſumptio ad reſurrectionem ſit neceſſaria, qua ratione futurum ſit, veteris teſtamenti patres, qui hoc ſacratiſſimo cibo nunquam paſti ſunt, niſi tantum in figura, reſurgere ad immortalitatem, tum reſpondet, Rup. *ſicut enim viuentibus vobis pro modo veſtro, ita & defunctis illis pro modo ipſorum ſapientia Dei prouidit, eandemque menſam parauit: ſi quidem diſſipati ſunt illi, quoniam animæ quidem apud inferos ſunt in requie ſpei, corpora vero requieſcunt in ſepulchris, diſſipabor, & ego panis viuus, qui de cælo deſcendi*, ô mirum diuinæ ſapientiæ inuentum, iacebant patrum cadauera in ſepulchris, languebant eorum animæ in Lymbis expectantes immortalitatem, ſed cum necdum diuino pane fuiſſent ſaginati, hanc propterea non poterant obtinere: quid ergo remedii? deſcendat corpus Chriſti ad eorum cadauera in monumentum, languentes ſpiritus glorioſus animus inuiſat, vt ſic vtriuſque participes effecti, perennem induant incorruptionem, ita Rupertus, *ita anima quidem ad animas illorum, corpus vero deſcendit ad corpora ipſorum, ſcilicet in eius terræ ventrem, quo illa recepta ſunt, mox animæ illorum reuiuiſcunt in vita plena, atque perfecta.* Hæc ille, Ioel. c. I. Ioel quiddam ſuggerit non inelegans cum ait, *ecce ego mitto vobis frumentum vinum, & oleum, & replebimini in eo*, ſed obſecro, quorſum oleum, & balſamum addit frumento, & vino? Hæc eſt Arabici balſami proprietas, vt cadauera à corruptione conſeruet libera. An ergo frumento, & vino Euchariſtico additur, vt oſtendatur illud, eadem virtute pollere? Imo vero ideo dicitur, quia nihil ita facit

Digitized by Google

facit induere incorruptionem, quam frumentum altaris, ſi balſamo diuinæ gratiæ liniatur, pulchre notat Epiphanius de Phidia, quod *vbi Piſæum ſimulachrum fabricaſſet, ex ebore autem ipſum erat, oleum effundi iuſſit, circum pedes coram ipſa ſtatua, vt pro viribus ipſam immortalem conſeruaret*, vis ergo ad immortalitatem vegetari? In Euchariſtico epulo, frumentum, & vinum ſume, ſed diſpoſitione tali, qua cæleſtis gratiæ balſamo (qui huius ſacramenti effectus eſt) interiora tua liniantur, hoc ſi feceris ne timeas corruptionem, ſed glorioſam expecta immortalitatem. Epiph. li. 2. contra hæreſ. Tom. 1.

PARS ALTERA.

Apoſtolus de extrema reſurrectione ſic ait: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Hæc omnia præſtat Euchariſtia: quid enim corpus hoc pretioſo epulo aliquando refectum expectare poteſt, niſi incorruptionem? Redigatur in cineres, in maris lateat profundo, ferarum ſit pabulum, fœtentibus ſcateat vermibus, adeoque exhauſtum ſit, vt nullæ de eo reliquiæ quæ reſurgant ſupereſſe videantur, habet tamen internam vim, quam ab hoc ſacratiſſimo ferculo accepit, qua vegetatum, gloriam induet & immortalitatem: Vnde Irenæus *corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia.* Potuitne videri aliquando quiddam magis admirandum rubo illo Moyſi? Ardebat vndique, flammæ illum circumquaque ambiebant, & tamen inter has mortales vitæ omnis hoſtes, ſumma vernabat amœnitate: ô immortalitatis ferculum quas non claudis flammas, quo igne non ſcates? Diuinus in te ardet ignis qui

1. Cor. c. 15.

Iren. lib. 5. cap. 33.

Digitized by Google

qui mortalium animos ſua voraturus flamma, contra natiuã ignis inclinationem è ſinus paterni ſphæra in hæc profunda deſcendit, cuius ea eſt in operando actiuitas, vt nihil poſſit contingere quod non ſuauiſſime abſumat: & tamen rubi corporum noſtrorum dum illum in Euchariſtia ſuſcipiunt, non modo non conſumuntur, ſed & mira veſtita iucunditate ad perennem refloreſcunt fœlicitatem: loquatur Ephrem. *hoc ſane excedit omnem admirationem, quod fecit nobis vnigenitus filius Chriſtus Saluator noſter, ignem & ſpiritum manducandum & bibendum præſtitit nobis carne veſtitis corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum.* Hæc ille.

Ephræm. lib. de nat. Dei non c. 5.

Solemne fuit apud antiquos milites morti deputatos, ſigno Θῆτα prænotari in fronte, ſed quiddam diuinius ſapientia æterna reperit, cum eos qui deputati erant ad vitam ſigno ταῦ voluit inſigniri. Ideo in extrema illa Ægypti calamitate, qua omnium primogeniti vindice Angeli dextra ceciderunt, volens ſaluos facere Hebræos iuſſit, *ſument de ſanguine Agni, & ponent inter vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum.* nõne idem vati Ezech. fuit oſtenſum? cum Deus gementium atque ſumma affectorum calamitate, volens ſolari animos, iuſſit omnibus ſignum ταῦ inuri, *tranſi per mediam ciuitatem in medio Hieruſalem, & ſigna ταῦ ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Signum ergo hoc, vitæ atque fœlicitatis fuit indicium: ſed quid obſecro illud eſſe putas? S. Paſchaſius ait eſſe ſacratiſſimum Dominici corporis & ſanguinis ferculum, *& ideo bene iuxta altare ſtare perhibentur vt milites ad ſtipendia vitæ percipienda accedentes diuinitus diſcernat.* Hæc ille, ecce altare myſticum in quo ſtipendia vitæ reperiuntur; non poſſunt milites vitam ducere niſi ſuis adiuuentur ſtipendiis, nec fideles ſub Crucis vexillo militantes beatam eamque perennem vitam poſſunt viuere, niſi prius ſumpto ſtipendio Euchariſtico quod miniſtratur in altari, illud eſt quod animos vegetat & corpora, illos quidem

Ezech. c. 9.

Paſch. lib. de corp. & Sang. Chriſti ca. 8.

nutriens

nutriẽs ad beatitudinẽ,hæc vero ad incorruptibilitatẽ;Quiſq; appetis vitã immortalẽ,eaq; frui glorioſa, hoc ſignũ τοῦ pectori tuo inure, Chriſti ſanguine corpus lini,& liberaberis ab Angelo deuaſtante,metet quidem barbara mors ſua falce vitæ tuæ meſſem,ſed æternam non inuehet ſeparationem, remanebunt in te ſtellæ Euchariſtici ſanguinis,quibus irroratus immortalitatem aſſumas! O ſummum Dei in nos collatum beneficium? potuitne quiddam amplius Diuinus amor reperire quo nos ditaret? *Idem Dominus Ieſus Chriſtus Euchariſtiam pro vniuerſis offerri hortatur, quia ſua magnitudine omne beneficium operuit.* ait Clemens Rom. quid liberalius? condidit vniuerſum,omnium factor,vt quicquid in eo eſt homini prçberet famulatum: *Ecce dedi vobis omnem terram quaſi olera virentia*:quicquid terrç clauditur ambitu,quicquid frigidis viſceribus parturit,id omne noſtrum eſt,id voluntati noſtræ ſubiectum,nec his contentus *adiiciat Dominus ſuper vos & ſuper filios veſtros*, & quid adiiciet? mortem,merita,paſſionem,& reſurrectionem vnigeniti ſui; Papæ quam hæc magna, non eſt quod addat vlterius, nihil his pretioſius habere poteſt? Imo vero *vnum eſt quod ſua magnitudine omne beneficium operuit*.quid illud?ſane ferculum immortalitatis:cætera ante collata beneficia riui quidem magni ſunt,ingentia flumina,ſed Euchariſticum beneficium eius eſt conditionis,vt in eius inſtitutione, amoris diluuium pluerit, quod ſua magnitudine omnes aliorum beneficiorum riuos operuit; vitam enim dat, non ſolam corporum, ſed & animorum, vitam inquam immortalem, eamque beatam; ideo Chriſtus ait apud Ioannem, *panis quem ego dabo caro mea eſt,pro mundi vita.*

Clem Ro. in inſtit. c.37.
Gen. c.9.
Pſal.113.
Ioan.c.6.

Digitized by Google

FERCVLVM PERSEVERANTIÆ.

Diſcurſus Decimusquintus.

Caſſiod. li. 9. epiſt. 32.

MEmini me legiſſe apud Caſſiodorum quiddam admirandum de fonte Arethuſæ: ſcribit enim ſi aliquis in hoc fonte ſederit in ſilentio, nullo ſtrepitu excitato, fontem quoque quietum ac imperturbatum eſſe, adeoque ſuauiter eius aquas ſcaturire, vt immotæ videantur; vbi vero elatiori tono vox proruperit, vbi vel tantillum edideris clamorem, illico moueri, turbari, alterationem pati, vſque ad exuberantiam animaduertes, quaſi latitet ſub vndis animal quod hoc clamore excitatum, ſe diſponat ad egreſſum: *noua vis, inaudita proprietas aquas voce hominis commoueri, & quaſi appellatæ reſpondeant, ita hominum ſermonibus prouocatæ, neſcio quid immurmurant, credas ibi aliquod animal proſtratum ſomno quieſcere, quod excitatum magno ſtrepitu tibi reſpondeat.* Fons eſt ſine dubio non leui dignus admiratione, ſed cedat Mariano fonti, fonti ſignato, quid eo tranquillius, quid criſtallinis eius vndis, potuit vnquam ſuauius reperiri? eam ſerenitatem toto vitæ decurſu paſſus eſt, vt ne vel minimo motu virtuti oppoſito fuerit agitatus, ſed ecce, vbi Cæleſtis adfuit nuntius, & ſua legatione fungens ſalutationem impertiit, *turbata eſt in ſermone eius*, cæpit agitari, vidiſſes virgineas eius vndas purpuram in genis induere, totamque turbari, ex nuntio inſperato, nec mirum, latebat enim in viſceribus filius Dei, qui totius alterationis cauſa extitit, eius ita commouit profundum, vt ipſæ fontis aquæ intumeſcere viderentur, propterea dicit Sanctus Zeno, *Mariæ ſuperbus emicat venter non munere coniugali, ſed vitæ, verbi non ſemine.*

Zeno ſer. 3. de nati.

ſemine. Ne putes fontem hunc virgineum aliunde agitatum, quàm à verbo, illud eſt, quod ei turbationem ingeſſit, illum fecit alterari, adeoque turgere, vt ſuas aquas videretur effuſurus, nec putem me maiorem lætitiæ cauſam reperturum, quam quod ſacratiſſimus fons ad vocis ſonum moueatur, ac totus turgidus, de gratiarum ſuarum plenitudine aliquid effluat, inde enim auſim ô fons puriſſime, meas ad te dirigere preces, vt aliquantulo earum ſono agitatus, vel vnam tuorum chariſmatum ſtillam pluas, ſufficiet illa ad irrorandum animum, vt fructum pariat, quem concepit.

Sæpe mihi venit in dubium, quid plus diuini amoris proderet magnitudinem, collatio corporis CHRISTI ſub panis ſpeciebus, an vero ſanguinis ſub accidentibus vini, & profecto re ad amuſſim ſpectata auſim dicere ſanguinem amplius prodere diuinæ charitatis exuberantiam, quam corpus, id vel maxime quod caro relicta ſit, non ſolum vt nos aleret ad vitam immortalem, ſed etiam, vt muniret, ac tueretur, aduerſus omnes viſibilium, atque inuiſibilium hoſtium inſultus: ſanguinem vero in illum finem conceſſit, vt nos à furente patris æterni iuſtitia liberaret, quis non videat diuinam iuſtitiam longe magis formidandam, ſeuerioribuſque præditam armis, quam quilibet hoſtes? Poteſt humana voluntas gratia adiuta, horum incurſus effugere, ſi illorum ſuggeſtionibus renuat conſenſum, ſed nulla vis, facultas nulla, diuinæ poteſt iuſtitiæ manus effugere, omnia peruadit, nihil relinquit intactum, ideo dicebat Dauid, *ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quocunque fugeris, ſequetur vindex iuſtitia fugientem, quanto ergo potentior, atque terribilior eſt hoſtis iuſtitia Dei, omnibus

Digitized by Google

aliis inimicis, tanto etiam magis amorem ſuum Chriſtus prodidit, dando ſanguinem, qui ab eius nos gladio eripit, quam conferendo carnem, quæ ab his tantum nos tuetur, hæc fuit mens Remigii, niſi me mea fallat opinio, cum dixit, *hoc quoque ſciendum eſt, quia caro Saluatoris, pro ſalute noſtri corporis, ſanguis verò, pro anima noſtra fuſus eſt*, quod in Exodo pulchre ſignificatū reperio. Volens enim Deus ab Ægyptiaca ſeruitute populum Iſraelis reddere liberum, iuſſit eadem nocte agnum paſchalē comedere, quod proculdubio non vacauit myſterio, nam vt notauit Euſebius Emiſſenus, comedere agnum illum, idem fuit ac communicare in figura Euchariſtici agni, quo factum eſt, vt virtute huius figuratiuæ communionis, de Tyrannica Pharaonis poteſtate fuerint eruti, & hæc quidem ita facta ſunt de carnibus agni, ſed de ſanguine iuſſit Deus, omniū Hæbrçorum fores aſpergi, vt eas agni ſanguine rubricatas vindex angelus aſpiciens, illæſas relinqueret, & ad Ægyptiorum pergeret occiſionem, *erit autem ſanguis vobis in ſignum, in ædibus in quibus eritis, & videbo ſanguinem, & tranſibo.* Rupertus pulchre in rem præſentem, hæc declarat, *cæterum de ſanguine veri agni Chriſti filii Dei, certum eſt, quia non in abſcondito, vel intus repoſitus, ſed omni mundo palam expoſitus eſt, vt quicunque domum ſuam ſignare velit, liberetur de manu percuſſoris diaboli.* Angelus percuſſor diuinæ iuſtitiæ præferebat imaginem, à qua nihil efficacius Euchariſtici agni ſanguine liberare poteſt, ſumatur caro, mandetur eius corpus ſub accidentibus panis, tuebitur quidem ab Ægyptiorum hoſtium, hoc eſt, dæmonum inſultibus, ſed hoc reſeruatur ſanguini, vt de iuſtitiæ diuinæ manibus hominem iam ſub gladio trepidantem, afferat in libertatem, ideo Chriſtus in vltima cœna dixit Apoſtolis, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, dixiſſent Apoſtoli, ſed quando hunc ſentiemus effectum, quando nos corpus tuum liberabit? Sequimini me, properate in hortum, ac veſtram inibi experiemini libertatē, quod ita factum eſt, alligata enim vinculis à militibus filii Dei humani-

Remig. in c. 1. epiſt. ad Rom.

Exod. c. 12.

Euſebius Emiſſ. in quadam homil. de Paſchate.

Rup. lib. 2. de trinit. ex operib. eius c. 16.

humanitate, diſcipuli ab iiſdem remanſere liberi, *ſinite hos abire:* At vero cum ſanguinem propinauit, dixit, *hic eſt calix noui teſtamenti in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* quaſi diceret hunc ego vobis ſanguinem propino, vt illo loti, diuinæ iuſtitiæ gladium fugiatis. Lauit nutrix Achillem in flumine quo eius ita corpus obduruit, vt nullis potuerit vſquam telis vulnerari, ſed diuinius balneũ vobis ego ſanguinis mei apparaui, in quo qui lotus fuerit, non eſt quod timeat iuſtitiæ gladium, quodlibet eius acumen hebetabit. Luc. ca. 22.

Aliam etiam aſſertionis meæ rationem reperio, quia ſanguis longe aptior eſt ad vitam communicandam quam caro: vetuit olim Deus in Leuitico *ſanguinem omnis animalis non ſumatis in cibum, tam de ouibus, quam de pecoribus.* Nicolaus de Lyra, ideo aſſerit ſanguinem vetari, quod vita animalis ſita ſit in ſanguine, volebat ergo Deus populum ſe vitę auctorem agnoſcere, quod vt obtineret vetuit, ne animalium cruorem biberet, in quem, quia vita ſita eſt, potuiſſet omnem vitæ ſuæ originem refundere, & non in verum eius auctorem, Cyprianus aliam affert rationem, ne videlicet, quemadmodum animalium vita ſuum finẽ habet, nec aſpicere poteſt æternitatem, quiddam etiam ſimile populus, qui ea nutriebatur de ſua iudicaret, atque eam ſimiliter perituram, nec immortalem crederet: *oportuit ne ſanguini humano ſanguis pecudum miſceretur, ne putaretur vita hominis tranſitoria, quia vita pecudum euaneſcit,* ita Cyprianus, ſed quia cæleſtem diuinamque vitam Chriſti ſanguis continet, hunc ideo nobis propinauit, vt eadem quoque vita viueremus, bene Cyprian. *viuimus autem de ſanguine Chriſti ipſo viuente, vt nos ad ſocietatem vitæ æternæ ſuo ſanguine reducat.* Vt quid enim Chriſti vitam non communicaret eius ſanguis, qui ad beatæ quoque vitæ introitum fores reſerat ſe ſumenti? Palatium regium, quia multis aulis, atque cubiculis conſtat, multas etiam ſeras atque claues habeat neceſſe eſt, ſed rex vnam penes ſe habet magiſtram, quæ cæterarum fungatur officiis.

Leuit. c. 7.

Cypr. ſer. de cœna Domini.

Cypr. vbi ſupra.

Digitized by Google

ficiis, cœli palatium, quis non magnificum agnoſcat, *in domo patris mei, manſiones multæ ſunt*, ait CHRISTVS, multa cubicula, amplas aulas, ſuperba continet atria, propterea, quia multæ ſeræ ſunt, variæ etiam claues ſint neceſſe eſt, abſolutio clauis eſt, quæ oſtium aperit ad veniam, hanc Chriſtus tradidit Petro, cum ait, *& tibi dabo claues regni cælorum*, claui, qui ſacratiſſimas Chriſti manus terebrarunt claues ſunt, quæ fores aperiunt ad compunctionem, ita Bernardus *Clauus penetrans, eſt Clauis reſerans*. Quid aliud eſſe putas orationem, quam clauem cœlorum, ad obtinenda Dei beneficia, valuas etiam æneas reſerantem? ſic me docuit Auguſtinus, *Oratio iuſti clauis eſt cæli, aſcendit deprecatio, & deſcendit Dei miſeratio*, Chryſoſtom. huius rei dat inſigne exemplum in Elia, cuius oratio tantæ fuit virtutis, vt cœlorum fores vel reſeraret, vel clauderet ad nutum, *clauis cæli fuit ſermo Eliæ ſanctiſſimi, iubet enim, vt claudatur cælum, orat poſtmodum, & aperit, vt Sanctorum meritum monſtraretur non ſolum in terris poſſe quod voluit, ſed in cæleſtibus poſſe impetrare, quodcunque petierit*, ſed penes ſe Deus magiſtram clauim reſeruauit, quam autem eſſe putas, niſi eius ſanguinem? Clauis eſt, cui omnes cœli fores peruiæ ſunt, portam aperit abſolutionis, contritionis, orationis, charitatis omnia poteſt, quæ aliæ claues, vnde Hieronymus, *Sanguis Chriſti clauis Paradiſi eſt dicentis ad latronem, hodie mecum eris in Paradiſo*, hanc ſacratiſſimam clauem, conferre homini non dubitauit Deus, vt ſibi cœlos aperiret, forſitan iuſtitia illum diuina quæſiiſſet ad mortem, & forſan reperiſſet, niſi hæc diuina clauis tutiſſimum illi dediſſet refugium, non timeat, in extremo iudicii die furentem iuſtitiam, qui hanc clauē digne ſuſceperit, poterit enim ea ſibi Paradiſum aperire, in quo, ceu tutiſſimo loco, iuſtitiam nō formidabit. Ex quibus patet, maius beneficium fuiſſe, clauem hanc cœlos reſerantem conceſſiſſe homini, quam carnem, cruor enim firmitatem quandam, præter hæc animæ confert, vt eam in bono reddat perpetuo ſtabilem

Bern. ſerm. 88. in cant.

Aug. ſerm. 226.

Chryſ. ho. 2. de Elia.

Hier. epiſt. 129. ad Deodat.

Digitized by Google

ſtabilem, vnde Numeri 23. ſecundum Origenis lectionem dicitur, de eo, qui digne communicat, *non dormiet donec comedat prædam, & ſanguinem vulneratorum bibat*, quaſi diceret vulneratus eſt Seruator, & ex vulnere copioſum ſanguinis imbrem effudit, vt eo ſatura fidelium corda, eas vires ſumerent, quibus nullo peccati ſomno ſopirentur, ſed aduerſus omnes eius illecebras conſtantes ſtarent, & nulla oblata occaſione ruerent in caſum, quod prima orationis meæ parte, conabor oſtendere, poſt monſtraturus hoc ſacratiſſimũ perſeuerãtiæ ferculũ, commoto paſſionũ noſtrarum ſalo, afferre tranquillitatem. Num. c. 23.

PARS PRIOR.

Chriſtus Dominus Euchariſtici ferculi virtutem volens exprimere de communicante ait, *in me manet, & ego in illo*. verbum maneo duo ſignificat, primum morari alicubi cũ quiete, ſiue quieſcere, ita Virgilius *manet imperterritus ille*. Chriſtus Virg. Æn. ergo vult innuere communicantem ſecure, atque ſuauiter in lib 10. Euchariſtia conquieſcere; volunt quidem peccatores in ſuis vitiis captare quietem, ſed fieri minime poteſt, vnde pulchre Ambroſius, eos comparat cochleis, quæ ſunt extra operimentum, *velut cochleæ, quæ niſi intra teſtæ operimentum ſint, ſpirare non* Ambr. lib. de Cain & *poſſunt, nec aerem liberum capere aut ſuſtinere*, omnes homines li- Abel c. 10. maces ſunt, quibus ab initio ſummus conditor ſuas teſtas induxit: Limax fuit Adam, ſed in gratiæ teſta conditus, in qua, quamdiu manſit ſuauiſſime, atq; ſecuriſſime conquieuit, ſed vbi peccato admiſſo diuino mandato contraiuit, ex hac ſacratiſſima teſta miſer egreſſus, quo tẽpore mille preſſus calamitatibus infœlicem vitam tranauit: eodem plane modo peccatores ait Ambroſius, cũ peccati agitati illecebris ſuam cochleam, hoc eſt, gratiam deſerunt, miſeri diuagantur, nec vlla poſſunt ſuaui quiete perfrui, ſed mille agitati fluctibus, in vitiorum abyſſos rapiuntur. Cui infœlicitati Chriſtus afferre volens medelam, in vltima cœna panem accepit, ac ſub eius

Digitized by Google

plane fieri, dixerim in communione, in qua Chriſtus, quidquid in communicante acidum eſt, quidquid ad peccatū inclinans abſorbet, vt viuat ille vita Angelica, nec vllum ruat amplius in caſum, ſed promiſſis ſtet quantum poteſt, adeo vt Chriſtus ipſi dicere videatur, *tu modo promiſſis maneas, ſeruataque ſerues, Troia fidem,* hoc eſt quandoquidem ſeruaui te â corruptione peccati, & quidquid acidum habueras abſorpſi, vt humana vita immutata diuinam duceres, id fac, quod promiſiſti.

Innocentius III. grande aliquid de ſacramento altaris enuntiat cum ait, *Myſterium crucis, eripit nos à poteſtate peccati, myſterium Euchariſtiæ eripit nos à voluntate peccandi,* & profecto vtrumque magnum eſt, quis enim non miretur ablatam per crucem peccati facultatem, ſed quis non ſtupeat, demptam eius committendi voluntatem per Euchariſtiam? Petit Algerum vir pius, vt captiuum aliquem aſſerat in libertatem, ſoluit pretium, ac miſerum ſecum pertentat abducere. Sed ille, loci amœnitate forſitan captus, aut ſeruiendi conſuetudine delectatus, vel certe quauis alia titillatus illecebra abire renuit, non curat libertatem. Quo ergo ſe vertet liberator, in quam partem ſe premet? vnicum profecto remedium eſt, ſi cui ſeruitutem ademerat, tollat & voluntatem, ablata enim illa ſequetur proculdubio ſuum liberatorem, nec volet amplius iugum ferre. Chriſtus igitur, in cruce exiſtens Seruatoris formam induit, in eaque noſtræ libertatis pretium ſoluit æterno patri, ſed, heu, multi affecti terrenis, & vana mundialium voluptatum illecebra capti, liberi eſſe renuunt, malunt voluntariam captiuitatem, ſed liberator ſanctiſſimus Euchariſtiam inſtituit, vt id præſtaret, quod crux non fecerat, hanc videlicet voluntatem, quæ corda noſtra ad terrena deflectit tollit, *myſterium Euchariſtiæ eripit nos à voluntate peccandi*, ait Innocentius, quid diuinius? parum profuiſſet de peccati poteſtate erui, niſi & etiam voluntas noſtra à ſeruitute volunta-

Innocent. 3. de myſterio miſſæ lib 4. c. 44.

Digitized by Google

ria aſſereretur in libertatem, propterea perſeuerantiæ ferculum datum eſt homini, quod ſemel in hanc libertatem aſſertum, perpetuo in eadem ſtabilitate confirmaret, pulchre Bernardus *hoc ſacramentum, & ſenſum minuit in minimis, & conſenſum tollit in grauioribus.* Quid amplius poſſet mala voluntas appetere, quam quod variis conflictata tentamentis antidotum reperiret, quod & eorum minueret ſenſum, & conſenſum præpediret? hoc ſane præſtat iſte cibus, vnde Algerus optime dicit, *quando ſacramentum paſſionis illius, cum ore ad redemptionem ſumitur.* Ecce ſumitur hoſtia ad redemptionem, quod non parum difficile intellectu mihi videtur, id vel maxime, quod redemptio præſupponat captiuitatem, hoc autem epulum viuorum ſit, non mortuorum, hoc eſt, eorum, qui peccati iugum ſuis ceruicibus, debita confeſſione excuſſerint, quo nulla relinquitur captiuitas, à qua redimi poſſe dicantur? ſed facilis eſt reſponſio, eodem enim modo, quo virgo Deipara, ab originalis peccati labe fuit redempta, quia videlicet ab eo præſeruata, quod omnino incurrere debuiſſet, ita & auguſtiſſimum ſacramentum præſeruat nos à peccatis in quæ potuiſſemus incidere, voluntatem videlicet noſtram ſtabiliendo, in bono, ne illis præbeat aſſenſum, CHRISTVS ait apud Eſaiam, *torcular calcaui ſolus.* Calcauit proculdubio pro toto humano genere redemptionem, ſed calcauit, vt ſeruus, Hieremias autem videns illum calcantem in torculari, pro intemerata ſua parente, dixit calcaſſe vt Dominum, *torcular calcauit Dominus virgini filiæ Sion,* vbi velim notes illud *Dominus.* Videbis nobilem vindemiæ tempore, cum omnes torcularia tenent occupatos, plateam perambulantem, iociſque fallentem tempus, cum interim labore famulorum ſudant torcularia muſto: hic vere calcat vt Dominus quia miniſterio famulorum, ſed alter, cui res familiaris, eaſdem non præbet expenſas, nudus vas ingreditur, ac pedibus hinc inde motis vuas premit, non ſine graui labore,

Bern. ſerm. in cœna Domini.

Alger. li. 1. de corp. & ſang. Domini. c. 10.

Eſai. ca. 63.

Thren. c. 3.

Digitized by Google

labore;hic vere calcat,vt ſeruus. Chriſtus Dominus redemptionis muſtum, toti volens humano generi calcare, crucis torcular nudus ingreditur formamque ſerui accipiens, adeo toto corpore laborauit, vt ex pretioſa humanitatis ſuæ vua, vinum redemptionis expreſſerit, *torcular calcaui ſolus*, ſed ab æterno, cum ſpatiaretur in cœlis, ac beatam, cum patre, & filio cõſuetudinem ageret, virgineæ redemptionem calcauit matri, eam à peccato, nõ in quod eſſet lapſura redimẽs, ſed quod potuiſſet incurrere, præſeruans virtute ſui ſanguinis, crucis in ara effundẽdi, *torcular calcauit Dominus virgini filiæ Sion*. Ita plane in Euchariſtia Chriſtus redemptionem calcat tanquam Dominus, quia animam à multis peccandi occaſionibus, quibus poſſet conſentire præſeruat, ac taliter ſtabilit in bono, vt diutiſſime virtute huius redemptionis Euchariſticę, in gratiæ ſtatu perſeueret, hæc ni fallor mens fuit Algeri, cum dixit, *quando ſacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur*; Redemptionem intellige non eleuatiuam, ſed præſeruatiuam modo explicato: vt gutta aquæ poſſet in æternum conſeruari, in ſolum deberet infundi oceanum, ita anima, quæ ſine peccato diutiſſime viuere deſiderat, mergatur audacter in omnis gratiæ profundum, hoc eſt Euchariſticum ferculum digne ſumat. Quod elegantiſſime Chriſtus Dominus innuit apud Ioannem, cum dixit, *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, quorum verborum germanus hic eſt ſenſus, ſicut CHRISTI humanitas Deo vnita, vitam DEI participat, ſic qui eius carnem manducat, ei taliter vnitur, vt vitam Chriſti induat veteri prætermiſſa, ea autem vita CHRISTI eſt, quæ omnem in peccatum caſum horreat, eadem quoque eſſe debebit vita communicantis, qua ita ſtabiliatur in bono, vt recidiuo lapſu, non corruat amplius in culpam, ſed pertranſito ſemel peccati ſtatu, eum amplius non aſſumat. Ioan. c. 6.

Digitized by Google

Sedebat Elias ſub Iunipero, quietemque captabat, cum ecce affert dormienti panem Angelus, quo ille ſumpto, iterum obdormit, ſed ecce quietem interturbans cœleſtis nuntius, *Heus Elias ſurge, grandis enim tibi reſtat via*, inclamat, quorſum hoc? quid magis proficuum viatori, quam pomeridiana quies? profectò eius eſt naturæ cibus iſte, vt priſtino ſomno poſt eius ſuſceptionem indulgere mortale ſit. Homines vult, ſed viatores qui relicta ſemel priſtina vita, ad eam poſtmodum non reuertantur. Ita Paſchaſius cum ait, *Idcirco & noſtra ad accipiendum parata ſint corda, vt tali epulo refecti in fortitudine tranſeamus ad altiora, nemo igitur dignè accipit, niſi qui tranſit.* ô quoties te peccati ſomno ſepultum Angeli immiſſis inſpirationibus, excitarunt, panemq; hunc obtulêre ſacratiſſimum, quo tua viſcera ſaginares, fuiſti aliquandò ſequutus inſpirationum ductum, & tota pœnitentiæ lauacro anima, ad hoc epulum acceſſiſti, ſed immemor puritatis, quam in eo perpetuam promiſiſti, rediens ad vomitũ ſtatim te ad priorem ſoporem conuertiſti, non ſic? ſed ea firmitate tibi ſtandum eſt, vt hoc calamitoſo ſomno non amplius opprimaris. Ita pertranſeundæ omnes voluptatum illecebræ, vt ad eas, non conuertas amplius obtutus, niſi ad riſum, niſi ad deſpectum. Vide exemplum apud Marcum. Vbi Chriſtus poſt exhibitum diſcipulis Euchariſticum epulum, dixit *vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum*, quaſi diceret, infœlix proditor, quã meditatus eſt proditionem etiam poſt ſumptum epulum non deponet, inchoatum peccati ſomnum in eius animo, cibus corporis mei non interturbabit, ſceleratum cor in cuius meditullio radices adeo altas peccatum egit, quas gratię ferculum, quod propino, nulla ſit ratione auulſurum, ita Victor Antiochenus. *Iudas tametſi diuinorum particeps effectus, ſui ſemper ſimilis manſit, hoc eſt tremendæ illius menſæ refectus cibo, nihil prorſus mutatus, aut emendatus eſt*, Eundem, quem ante ſomnum poſt communionem dormiuit, quo ergo rueret, niſi ad laqueum? tranſeuntes amat

Lib. 3. Reg. cap. 19.

Paſch. lib. de corp. & ſang. Domini c. 10.

Mar. c. 14.

Vict. Ant. in cap. 14. Marci.

amat Deus à ſtatu peccati ad vitam gratiæ, qui tranſit relinquit à tergo locum, quem deſerit,& pergit ad anteriorem, cum tranſis à culpæ ſtatu,ne amplius oculos tuos ad illum deflecte,ſed à tergo hæreat, quem reliquiſti, non perfectè tranſis,ſi iterum ad illum, vel leuiter deflectas caput, ideo laudatur ſponſa in Canticis, *ſicut Turris Dauid collum tuum.* Collum habeas,firmum,& immotum,in modum turris,quod ad titillantes voluptatum illecebras caput non facilè retorqueat, ſed ſemper ad ſuperna teneat conuerſum, quod ſi aliud videatur,procura tantum, vt ſacratiſſimum perſeuerantiæ ferculum, per illud communicando tranſeat, ſic firmabitur, ſic ſolidabitur tanquam turris;ſæpè mihi venit in dubium,quorſum Deus Ægyptiorum primogenita præmatura dederit internecioni, Hebrçorum autem domos reliquerit illæſas, cum diuus Paſchaſius omnem ſoluit dubitationem, *in ſeculi actibus remorantes, non dignè comedunt Paſcha, videlicet carnes agni,& ideo ſatis timendum talibus, ne cum Aegyptiis nocte perimantur,dum ſopore peccati premuntur.* Hæc ille,quaſi diceret, Iſraelitæ præcincti, & ad tranſeundum parati paſchalem agnum comedebant, Ægyptii verò iacebant, vt heri & nudius tertius in ſtratis,nec de tranſitu vlla ratione cogitabant. Quo factum eſt,vt miſeri perierint in ſempiternum, ita planè accidit his,qui nunquam de tranſitu, à ſtatu peccati, ad ſtatum gratiæ cogitantes priſtino ſuorum criminum ſomno indulgent,cauẽdum enim eſt,ne cum minus cogitauerint,mors irruens miſeros exturbet in barathrum, non vult panis Euchariſticus de fide,nec ſomnolentos,vigiles vult, & ad tranſitum paratiſſimos, quos ſancta ſoliditas ita confirmarit in bono,vt ab eo nulla poſſint amplius ratione diuelli.

Paſch. lib. de corp. & ſang. Domini c.21.

Vt quid enim peccati feces os illud horreret, quod Chriſtus ſuo corpore pauit? qui ſaccharum comedit benè olens ſolam etiam eructat ſuaueolentiam: Ita planè, qui cœleſte ſaccharum beatiſſimos ſpiritus ſumma deliniens voluptate ſum-

pſit in altari, nihil niſi gratiam, niſi Chriſtum redoleat neceſſe eſt, vnde pulchre Cyprianus, *Cum ſaturati fuerint, vide quid agant, intellige, quæ loquantur, quam ſancti odoris ſit, quidquid illa eructat plenitudo, verbum bonum mores compoſitos affectus pudicos, ſenſus pacificos illa interior ſynceritas vbique diffundit*, multi ſunt, quemadmodum araneæ, quæ ex ſuaueolenti flore venenum fætens, ex quo apes mel ſuauiſſimum componunt, innumeros reperies, qui ſacratiſſimum florem verbi Dei, in ſacra menſa lambent, ſed aliqui apes argumentoſæ virtutum omnium mel eius adminiculo cõponent, alii vero ceu fœtidiſſimæ araneæ, innumerorum criminum, ſeſe polluent veneno, non curã minorem habentes diuini illius floris, quem ſuſceperunt, quam ſi panis eſſet buccella ab omnibus deſpecta; non tamen ita faciendum eſt, ſed vbi ſemel diuini huius floris odorem ſenſiſti, extremum peccato valedicas neceſſe eſt, eo enim non paſcitur in ſalutem, qui non perſeuerauerit in bono, vſque ad finẽ.

Cypr. ſer. de cœna Domini.

PARS ALTERA.

Qui graui aliqua laborauit infirmitate, & ſi videatur ſoſpes, ac lecto ſurgens aliquam præ ſe ferat alacritatem, quaſdam tamen ſemper habet morbi reliquias, vt debilitatem, vertiginem, & quid ſimile. Vbi animus diutiſſime peccati lethalis morbo infirmus iacuit, & ſumpto pœnitentiæ pharmaco recuperauit ſoſpitatem, inueterati tamen morbi ſemper aliquas habet reliquias, vt conſuetudinem malam, quæ illum in virtutis itinere peragendo, debiliſſimum efficit, CHRISTVS ergo haſce volens peccati reliquias tollere, Euchariſtiæ pharmacum inſtituit, vt qui illud ſumeret, prauæ conſuetudinis inclinationes facile ſuperaret, & ex ea ortam in virtute exercenda debilitatem tolleret, quo firmus, ac ſtabilis redderetur in bono, ita me docuit Ioannes cum ait, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen*

Ioan. epiſt. 1. cap. 3.

men ipſius in ipſo manet, & non poteſt peccare, qui ex Deo natus eſt, Euchariſtia Dei ſemen eſt, quod ſemel fidelium pectoribus immiſſum, ea viuificat, eamque confert virtutem, vt licet poſſint, non velint tamen amplius peccare, optime Theophylactus in rem præſentem, *& quia prior carnis noſtræ natura corrupta eſt à peccato, vitaque deſtituta, nobis dedit CHRISTVS ſuam impeccabilem, & omnis peccati expertem, viuacem, & vitæ plenam, ſimilem in nobis carnem, vt eam aſſumentes in eam permiſceamur, & viuamus citra peccatum, quantum licet*, non poteſt, ſemen triticeum, niſi ſpicas triticeas germinare, quid mirum, ſi Euchariſticum ſemen noſtris pectoribus inſertum, ſolos nouerit producere virtutum fructus? Illud conde tuo ſinu, quiſquis volueris conſtans in virtute permanere. Theoph. in c. 5. 2. Cor.

Mirum eſt, quod de manna ſcriptura refert, quamdiu enim populus Iudaicus eo paſtus eſt, non ſolum alia re, non indiguit ad nutrimentum, ſed nec creuere capilli, nec vngues, nec veſtimenta attrita ſunt, ſed quaſi iam in beata æternitate conſtituti, materialibus hiſce adminiculis non indigebant, vnde optime Tertullianus, *Populus in eremo cibatus quadraginta annis, ad inſtar æternitatis redactus, nec humanis paſſionibus contaminatus*, in his omnibus manna vere fuit panis Euchariſtici cibus, qui non ſolum hominem vegetat ad immortalitatem, quod iam ſuperioribus oſtendi, ſed etiam mirabili quodam modo bruteſcentes eiuſdem paſſiones reuocat ad tranquillitatem. Tertull. libello aduerſus Iudæ. c. 3.

Nemo neſcit continuam inter carnem, & ſpiritum pugnam intercedere, caro titillatione libidinis, ceu potiori tormento animam aggreditur, vt illam trahat ad conſenſum, fera ſane bellua, quæ multos abſumpſit, fluctus turgidi, qui multos ſuis vndis abſorpſerunt, tormentum hoc caro explodit in animam, vt illam perdat, quæ certe ſi

cecide-

Digitized by Google

tuta, quæ formam habet crucis, concordat cum rotis, ita plane ait Georgius Venetus cordis noſtri horologium, ſuam quoque virgulam habeat neceſſe eſt, accidit diſcordia in rotis, non pulſant horæ ad æqualitatem, pondera paſſu debito non labuntur? virgulam aſpice, quidquid mali eſt, reformabit. Paſſiones cordis tui, quæ horologii rotæ ſunt, inæquales forſitan excitant motus? forſitan ſuis te acuminibus pungunt, vt feraris ad prohibita, virgulam reſpice, oculos erige ad crucem Seruatoris, *conſideratio enim crucis Chriſti, omnes animi motus, ad horologii harmoniam cogit.* Ita Georgius, quod ſi crux, & paſſio, ſolum extrinſece ſe habens per meditationem tantum poſſit, vt omnia hominis interiora reuocet ad harmoniam, quid nõ putas corpus, & Chriſti ſanguinem facturũ, cum digne in Euchariſtia ſuſcipitur? Profecto ea vi, ea facultate, omnes prauos animi motus temperabit, vt ad horologii harmoniam videãtur reuocati, vt hac graui peccati occaſione ſublata, facilior quoque in bono perſeuerantia reddatur. Geor. Venetus.

FERCVLVM MORIENTIVM.

Diſcurſus Decimusſextus.

EA fuit Marianæ gratiæ plenitudo, vt non ſolum profecerit hominibus, ſed & etiam Angelis, ad cuius intellectum reuocandum eſt in memoriam, quod habetur in Geneſi, vbi dicitur Elieſer famulo Abraham, ad fontem in herba ſedenti venuſtiſſimam Rebeccam adfuiſſe, quæ rogata potum, illum copioſiſſime, non ſolum hominibus, ſed & iumentis præbuit. Bernardus in hac Rebecca virginem Deiparam contemplatur, quam tanta cœleſtis gratiæ copia repleuit, vt de ea, non ſolum homines, ſed & Angeli aliquid hauſerint, quid putas

fuiſſe iumenta, quibus Rebecca potum tribuit, niſi homines? Bernard. ita Bernardus, *ſed nunquid non, & iumentis potum tribues? bibit angelus, quod virum non cognoſcis, bibant iumenta, quod de humilitate ſingulariter glorieris?* Ecce iumenta quæ de mariana plenitudine bibunt, non habet tantam virtutem arbor, ad ſex poma ferenda, quantam ſol. Ipſe enim vniuerſalis cauſa eſt, quæ toti vniuerſo ſuam virtutem influit, illa autem cauſa eſt peculiaris, propterea ſoli, plus virtutis, atque virium natura conceſſit, quam cauſis particularibus, DEVS gratiam infudit ſanctis, quaſi peculiaribus perſonis, at vero, quia marianus ſol, debebat eſſe cauſa vniuerſalis toti mundo ſuas gratias influens, tanta debuit cœleſtium chariſmatum copia irrorari, vt redundaret, ipſiſque iumentis, id eſt peccatoribus præberet potum, vnde Bernardus ſoli, & lunæ eius oculos confert, cum dicit, *inſtar ſolis omnia proſpicit, omnia circumſpicit, ſuper bonos, item & malos, radios ſuæ bonitatis effundit*, vt de eius plenitudine, non ſolum iuſti biberent, ſed & ipſa pecora, peccatores ipſi ſatiarentur, nec mirum? quemadmodum enim Rebecca non ſolum iumentis potum conceſſit, verumetiam ipſi Elieſer famulo Abraham, ita etiam Rebecca virginea non ſola voluit iumenta paſcere, ſed & aliquid ſpiritibus Angelicis de ſua gratiarum plenitudine conferre, vnde Laur. Iuſt. ſerm. de Annũnt. Laurentius *gratiæ plenitudinem, quæ in Maria erat, præſenſit cæleſtis nuntius, cognouit, manifeſtauit dicens, Aue gratia plena*, nota *præſenſit*, ſe aliquis fonti vicinum eſſe ſentiret, ſi eius aqua madefieret, ita Angelus virgineo fonti approximans, ſe de gratiarum eius plenitudine ſenſit irrigari, modum explicat Bernardus, quo id contigerit, cum inquit, *quærit Angelus puellam, quam parauit Dominus filio Domini ſui, bibit ipſe de hydria tua ô virgo, cognata ſibi virtute delectatus*, Angeli virgines ſunt, atque ideo ſumme virginitate delectantur, quam cum præſenſiſſet in virgine, mira fuit iucunditate perfuſus, hancque ex Mariana plenitudine hauſit delectationem. Quæ cum

cum ita ſint, melius me facturum non arbitror, quam ſi iumẽti formam indutus, ad hunc quoq; virgineum fontem ſupplex acceſſero, & vel ſtyllam vnam gratiæ, meę ſitis remedium poſtulauero: hanc ne deneget hydria tua ô virgo, nunquid non & iumentis potum tribues, immo vero illum ſeſe humiliantibus vt ſpero, non denegabis.

Filius Dei, cum iam iam inſtantes paſſionis ſuæ præuideret aculeos, aliquid ſibi conſolationis voluit concedere, quapropter Auguſtiſſimum ſacramentum in vltima cœna inſtituit, in afflicti animi ſui ſolamen, & noſtrum remedium: Id mihi innuiſſe, videtur Dauid, cum ſic Seruatorem alloquitur, *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſal. 109. quaſi diceret, aduerte ô Seruator mundi, quod ſi ſemel crucis ſubieris patibulum, in eo tibi manendum erit in æternum, vt tanquam ſummus ſacerdos, corporis & ſanguinis tui ſacrificio, diuini parentis iracundiam places, quamdiu eam peccata hominum prouocabunt, cum vero vſque ad mundi obitum peccata nunquam ſint finem habitura, propterea ad illud vſque tempus tibi in ara crucis immorandum, vt ſatisfacias patri, eiuſque furorem mitiges tot ſceleribus irritatum, hoc eſt, quod dicit Dauid, *Tu es ſacerdos in æternum.* Amor, quo flagrabat in nos, vehemenſque nobis ferendi auxilii deſiderium, ingentem in eius animo appetitum pendendi in cruce vſque ad conſummationem ſeculi excitabant: Huic tamen amori obedientia patris ſeſe oppoſuit, nec voluit illum trium horarum ſpatium in cruce prætergredi, relicto hoc modo amore ſuo fine defraudato, qui eius æternum, ſi fieri potuiſſet ſuſpendium ambiuiſſet, quapropter mirum in modum angebatur, quid faceret, quo ſe verteret ignorabat, nihil occurrebat animo, quod aliquam poſſet illi parere iucunditatem, quia tamen, vt notauit Chryſoſtomus *Amor eſt magnus Doctor*, ingenioſum amor ipſe ad ſui ſolatium reperit inuentum, fecit ergo, vt CHRISTVS immediate ante Chryſ. ho. 33. ſuper prim. ad Corint.

 obitum

tualia ſunt ſicut & nos, ergo pro nobis, nō pro hominibus hoc ſacramentum eſt inſtitutum. Vt igitur ſcirent omnes, eos tanto bono Deo iudice priuari, dixit *hoc eſt corpus meum*, quia cum ſint corporis expertes, Chriſti corpus ſub corporeis accidentibus velatum nequaquam poſſunt accipere, hanc mihi rationem ſuggeſſit Chryſoſtomus cum dixit, *Si enim incorporeus eſſes, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam anima corpori inſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet*, Si fuiſſes Angelus ſacramentum tibi pure ſpiritale conceſſiſſet, quia tamē corporeus homo es, ſub viſibilibus ſpeciebus corpus ſuum tibi præbet, vt in eo melioris quam Angeli conditionis efficiare, *hoc eſt corpus meum.* Altera ratio fuit, vt amori ſuo ſatisfaceret, in eoque eius deſiderium expleret, volebat amor Chriſtū largiri homini quidquid poſſet, diuinitatem iam in incarnatione conceſſerat, quæ naturæ noſtræ in perſona verbi fuerat copulata, à primo ſuæ conceptionis inſtanti, iam fuerat largitus animam, quia vt ait Philoſophus, *amor eſt magis vbi amat, quam vbi animat*, plus anima Chriſti videbatur eſſe in hominibus, quam in ipſo Chriſto (loquor de eſſe affectiuo) plus enim de noſtro remedio cogitabat, quam de ſuo ſolatio. Doctrinam quoque ſuæ prædicationis tempore fuerat impertitus, ſolus reſtabat concedendus ſanguis & corpus, videns ergo amor filium Dei ſuæ paſſioni proximum, necdum horum duorum feciſſe homini donationem, non leui premebatur anguſtia, cum ecce Chriſtus ait, quid triſtaris, ô mi amor? iucunditatem indue, *hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei.* Ecce ſub ſpeciebus panis & vini, quod mihi reſiduum eſt homini trado, vt excuſſa triſtitia, ſolam præ te feras alacritatem. Ita Doctor grauis: *Ecce vobis trado cōrpus & ſanguinem meum, ſub ſpeciebus panis & vini, vt meo amori ſatisfiat, qui hoc vltimum vobis conferendum beneficium à me poſtulabat.* quod alia ratione demonſtro.

Chryſ. homo. 60. in Mat.

Ariſto.

Auendan. tract. de Euchar.

Nicodemus filii Dei non intelligens ſententiam, ſemel rogauit, *Nunquid poteſt homo in ventrem matris iterato introire?* Ioan. c. 3.

videbatur ei impoſſibile, de nouo renaſci hominem: hoc ſolũ filius Dei prodigium efficere potuit, modum accipe. Cum naturam humanam in caſtiſſimis matris viſceribus aſſumpſit, adeo laute fuit exceptus, ita bene habitus à virginea parente, vt multum ſemper appetierit ad eius vterum reuerti, nuſquam ſuaui adeo quiete in hominibus, aut ipſis Angelis fuerat recreatus, ſicuti in hoc lectulo virgineo, vt ait Petrus Damianus, *in qua ſola ſe poſt tumultus Angelorum & hominum, reclinaret, & requiem inueniret*, cum igitur in eius viſceribus adeo ſuauiter quieuiſſet, magno tenebatur deſiderio, ad ea rurſus reuertendi. Sed quid remedii? qua ratione hoc grande poterit patrare prodigium? Idem Damianus modum reperit, cum inquit, *Mirabile quidem fuit Chriſtum concipi in vtero carnis, ſed non eſt inferius, ſi deferatur in ergaſtulo pectoris.* Quaſi diceret, verus modus, quo filius Dei reuerti poſſit ad matris aluum, eſt, ſi ſub Euchariſticis ſpeciebus condatur, quotieſcunque enim illum, ſub iis virginea mater reciperet, toties etiam reuerteretur in eius viſcera, in iiſque optata quiete potiretur: Anonymus apud Metaphraſtem, affirmat eam quotidiana communione refici ſolitam, quod in primitiua Eccleſia moris fuit, vt hoc modo filium ſuum recrearet, quem ſciebat eo intuitu ſacramentum inſtituiſſe, *ad diuina myſteria quotidie accedebat, & filii corpus, quod prius in vtero geſtauerat, ſæpe viſceribus inferebat.* ait ille, Ambroſius Damaſcenus, & Doctor Angelicus affirmant filium Dei, ita acceptum habuiſſe modum vnionis, quo diuinitas in eius perſona, noſtræ fuit humanitati copulata, vt voluerit tranſſubſtantiationem panis, in corpus Chriſti, in Euchariſtia eiuſmodi fieri. Quidquid redolebat incarnationem, quidquid in virgineis matris viſceribus diuinus ſpiritus fuerat operatus, adeo ſuauem odorem illi efflabat, adeo ſpirabat ſanctimoniam, vt quo eo odore toties frueretur, quoties ſacerdos conſecraret, vo-

Petr. Dam. ſerm. de Annunt.

Metaphraſtes.

Ambr. li. 4. de ſacr. c. 4. Damaſc. S. Thom. opuſ. de ſacra. alt. c. 13

ret, vo-

ret, voluerit ſpiritum ſanctum eundem modum tenere, in Euchar. inſtitutione, quem in incarnatione ſeruauerat, ita Diuus Thomas, *quomodo fiet hoc, ait virgo, quoniam virum non cognoſco? Reſpondit autem Angelus ſpiritus ſanctus, Superueniet in te, & ipſe faciet: & tu quæris, quomodo panis fiat corpus Chriſti, & ego dico tibi, Spiritus ſanctus ſuperuenit, & virtus altiſſimi obumbrat, & quod ibi conficitur ſub panis ſpeciebus eſt corpus Chriſti.* Vides omnia redolentia incarnationem? Ex quibus patet, præter cætera, quæ filius Dei, in Auguſtiſſimi ſacramenti inſtitutione intendit, iteratum etiam in matris vterum prætendiſſe. Et profecto, quemadmodum ſuam quoque ipſius conſolationem intendit, noſtrum etiam noluiſſe remedium dubium non eſt, id vel maxime, vt vires neceſſariaque auxilia hora mortis conferret, quibus fœliciter extremam vitæ periodum tranaremus, quod conabor oſtendere primo loco, poſt monſtraturus quam periculoſum ſit, tali articulo hoc viatico carere.

PARS PRIOR.

Id in more poſitum eſt, apud terræ Monarchas, viuendi actos deſiderio, ſuæ natiuitatis diem tripudiis, ſolemnibuſque epulis celebrare, quo tempore populus longam, beatamque vitam regi precatur, viuat Rex, viuat Rex. Filius Dei, è contra moriendi actus deſiderio, nec feriam ſextã, qua extremum in cruce acturus erat ſpiritũ potens expectare illã præuenit, myſticam feria quinta mortem ſubiens in Euchariſtia, vt optime adnotauit Nyſſenus, eoq; tempore epulum celebrauit in ſuæ paſſionis memoriam, noctem hanc ſuæ natiuitati deputans, *in qua nocte tradebatur*, menſam inſtruit, effundit vinum, diſcipulos inuitat, ad Auguſtiſſimum conuiuium, *deſiderio deſideraui, hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*, verum ô Domine, quo iſthæc tua tendit intentio, quid hoc inaudi-

calicem mortem reddidiſſe viuificam, & quæ mors ante eſſe ſoleret, in ſuauem tranſitum, vitæque quietæ, & immortalis principium commutaſſe, *quis mortem temporalem metuat, cui æterna vita promittitur? quis labores carnis timeat, cum ſe in perpetua requie nouerit collocandum?* ſed vnde illud nouerit? ſanè ex Euchariſtico calice, in quo vita, & immortalitas eſt diſtillata, vt qui biberit ex eo, non timeat mortem. Caſſiod. ſupra illud Beati immaculati.

Solemniſſimum eſt in magnificis epulis ad ſoſpitatem principum pocula vacuare, quod & etiam frequens fuit apud antiquos. Aſſuerus vt aliquod opiparo epulo, quod toti populo Suſan, ſolemni nuptiarum ſuarum die apparauerat, adderet incrementum, neminem voluit ad potum cogi, *non erat, qui nolẽtes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex conſtituerat*: quidam Doctor grauis rationem huius affert, & dicit, id mandato regio factitatum, vt populus bibens ad libitum, libentius etiam regiæ præbiberet ſoſpitati, idem etiam longo poſt tempore, à Cæſare factitatum, ideo ſolum vt ait Dio Caſſius, *vt omnes pro ſalute eius in conuiuiis biberent*. Ioſeph filius Iacobi oppoſitum præſtitit, quærens enim, œconomus poculum, quo vti ſolebat ille ad potum, dixit *ipſe eſt, in quo Dominus meus augurari ſolet*, cum augurationem audis, non habeat mentem cogitatio, Ioſephum auguriis, aut ſuperſtitionibus fuiſſe deditum, ſed illud augurari, idem eſt, atque alteri optare fælicitatem, notat Atheneus eam ſemper viguiſſe conſuetudinem in conuiuiis, vt qui biberent alteri fœlicitatem precarentur, *mos fuit augurandi in calicibus mero plenis*. Ioſeph igitur, etſi princeps eſſet, ad cuius ſoſpitatem debuiſſent alii bibere, peculiari tamen vtebatur poculo, in quo eorum fœlicitati propinabat. Sed dicet aliquis, quorſum hæc? ideo ſanè, vt oſtendam filium Dei, Ioſephum imitatum, longè diuerſum à ſeculi principibus viam iniiſſe, vbi enim hi, ſua conuiuia parant, vt perennem eis fœlicitatem, vt ſalutem inter bibendum precentur conui- Eſth. cap. 1. Dio Caſſius. Gen. c. 44. Atheneus.

Mm uæ; ſed

uæ; ſed Chriſtus longè aliter ſe habuit, nam quemadmodum Ioſeph Euchariſticum Epulum, diſcipulis inſtruxit, poculum manu ſumpſit, *accepit calicem, in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas*, ergo ne Seruator, mundi velles præbibere ſoſpitati? omninò reſpondet Ioannes, *Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo*, Chriſtus ergo calice ſumpto hominum ſaluti præbibit, vt quiſquis reſponderet, hoc eſt, corpus eius, & ſanguinem ſumeret, vitam etiam, atque immortalitatem biberet, nec formidaret mortem, id mihi videtur innuiſſe Remigius cum ait, *& accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, in quo demonſtrat quantum de noſtra ſalute gratuletur.* Vides ergo Chriſtum calicem tenere manibus, vt ſalutem gratuletur homini, eiuſque præbibat ſoſpitati? vt qui idem fecerit, hoc eſt dignè panem, & vinum in altari ſumpſerit, in quibus vita atque immortalitas ſunt diſtillatæ, vt ait Rupertus, mortem non timeat, ſed eam tanquam perennis vitæ principium complectatur.

Ioan. cap. 6.

Remigius in cat. S. Thom. in c. 26. Matt.

Quod & aliter demonſtro, cum ſanctiſſimus vates Elias curru igneo deberet in cœlum euehi, ſocium habebat Eliſeum diſcipulum, non parum triſtem de futura magiſtri ſeparatione, cui volens Elias aliquid exhibere ſolatii, ipſo momento quo in cœlum euectus, pallium conceſſit, quod ille amantiſſimè accepit, *& leuauit pallium Eliæ quod ceciderat ei.* Sanctus Drogo Epiſcopus Hoſtienſis, quiddam diuinum in hoc facto meditatur, dicitq; Eliam typum geſſiſſe Seruatoris, qui triumphali euectus curru, ipſo aſcenſionis die, cœlos penetrauit, aderant diſcipuli, in iiſque tota Eccleſiæ congregatio mœſta, & afflicta propter abſentiam magiſtri, vt ſolamen afferret, antequam ſubiret cœlum pallium reliquit, hoc eſt corpus verè diuinitatis eius pallium ſiue integumentum, quod ſub Euchariſticis ſpeciebus dereliquit, *Ecce ſublatus es*, ait Drogo, *amplius te tuus non videbit Eliſeus, remanſit ei tamen pallium tuum in memoriam tui, vt præſentia abſentiæ tuæ dolorem eius ſemper & augendo leniat, & lenien-*

Lib. 4. Reg. cap. 2.

S. Drogo li. de Sacram. Dominicæ paſſion.

Digitized by Google

leniendo augeat. Sed huius rationem aliam inſtituto meo magis accommodam reperio in ipſo textu, ait enim Eliſeum poſt raptum magiſtri cum ad Iordanis ripam perueniſſet, nec modum ſciret illum traiiciendi, Eliæ pallium accepiſſe, eoq; percuſſiſſe aquas, quæ deficientes in hiatum, ac ſeſe diuidentes ſecurum iter præbuere, *percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt, huc atque illuc, & tranſiit Eliſeus*. O incredibilem Eliani pallii virtutem: facilè tamen indumento Chriſti, nobis in altaris Sacramento relicto ceſſuram, quid enim de nobis fieret ipſa mortis hora, qua vitæ præſentis tranandus eſt Iordanis, niſi ſacratiſſimum hoc pallium opem ferret? illud eſt, quod fluctus ſeparat, vndas diuidit, atque omnem hoſtium exercitum vertit in fugam, vt animæ noſtræ liberum ad gloriam iter habentes, periculoſis fluctibus, quodã in hoc pluſquam Gaditano freto ſeſe voluentibus non abſorbeatur, pulchrè Auguſtinus, *quid eſt mori? relictio corporis, depoſitio ſarcinæ grauis: ſed ſi alia ſarcina portetur, qua homo, non præcipitetur in Gehennam*. Vbi velim notes illa verba, *ſed ſi alia ſarcina portetur*, corpus nimium grauis ſarcina eſt, ad traiiciendum vitæ præſentis flumen, propterea illud exuimus, vt leuiores effecti non abſorbeamur in profundum; ſed aduerte ſarcinam aliam eſſe neceſſariam, vt ait Auguſtinus, *ſed ſi alia ſarcina portetur, qua homo non præcipitetur in Gehennam*, quæ alia non eſt, quam Euchariſticum pallium: vis periculoſum mortis fretum, in quo tot animæ naufragium patiuntur fæliciter tranſuadare? huius te ſacratiſſimi pallii ſarcina graua, viaticum ſume ante mortem, illud enim, tanquam Eliſeo fluctus diuidet, atque tibi liberum ad beatam immortalitatem præbebit tranſitum.

Auguſt. in tract. ſuper Ioan.

Quis modo non videat Auguſtiſſimum Sacramentum inſtitutum ideo, ne mortẽ timeremus, ſed ad eã fæliciter tranãdam inſeruiret, quod Dauid elegantiſſimè docuit, cũ dixit, *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, accipe myſterium? ſi puer in Rheni ſedens ripa, illum traiicere pararet, attentaret

Pſal. 18.

Mm 2 impoſſi-

Digitized by Google

impoſſibile, vix enim ſeſe illi committeret, quin ſtatim fluctuum impetu raperetur in præceps, quid ergo remedii! certè non aliud, quam ſi gigas aliquis, ſicut Anthæus, vel Athlas illum pallii ſui angulo inuolueret, ac humeris ſuperpoſitum efferret in ripam, tum profectò ſecuriſſimè, æquè ac facilimè traiiceret fluuiū. Quid aliud ſunt mortales omnes quā pueri, cum periculoſum mortis fretum eſt tranſuadandum? quam pauidi, quam ſemianimes, ſi ſoli ſe eius commiſerint profundo, mergantur neceſſe eſt, & niſi gigas aliquis propitiam manum porrexerit, oportet intereant. Sed macte animo ait Dauid, *exultauit vt gigas ad currendam viam:* quaſi diceret ecce appropinquantem video, gigantem non ad traiiciendum ſolum, ſed & ad currendam viam præcinctum, quis eſſet iſte gigas, niſi Seruator, ita Auguſtinus, *exultauit ſicut fortiſſimus, & cæteros homines incomparabili virtute præcedens, non ad habitandam viam, ſed ad currendam viam*, filius Dei moribundo aſtat homini, vt ferat opem, ad periculoſum mortis fretum fœliciter traiiciendum, ſed quomodo, id dubio procul eſt in viatico in Auguſtiſſimo Sacramento, in quo diuinus hic Gigas, moribundo homini corporis ſui palliū porrigit, illumq; inuoluit, ac ſuperponit humeris, vt fœliciter hunc paſſum trāſeat, ita S. Drogo, breuiter ſed eleganter, *pallium tuum eſt caro tua, ſub hoc pallio abſcōdita eſt maxima fortitudo tua ô fortiſſime Samſon*, quaſi diceret, in hoc apparet qualem fortitudinem ſub humanitatis pallio abſcondas, cum morientem hominem per viatici ſumptionem illo inuoluis, humeris ſuperponis, & ita fœliciter ad tranandum mortis fretum adiuuas, vt iam feſtino paſſu currat ad immortalitatem, *exultauit vt gigas ad currendam viam.*

Augu. enar. 1. in Pſal. 18.

S. Drogo li. de Sacram. Dominicæ paſſion.

Alteram eiuſdem Theſis probationem, ſub huius ſententiæ cortice latentem reperio, *hic eſt calix noui teſtamenti.* Altaris Sacramentum nouum eſt teſtamentum, quod olim Deus per Prophetam pollicitus eſt, *ſtatuam eis fundamentum alterum.*

Baruc. ca. 2.

teſta-

teſtamentum vetus fuit lex, quam Deus populo conceſſit, ſed parum habuit valoris, quia necdum ſigillis munitum, necdum filii Dei ſanguine fuerat obſignatum, hanc ob rem, irritum factum eſt, ac nullum, vt ait Apoſtolus, *reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex*, in eius vero locum ſubſtitutum eſt Nouum, hic eſt calix noui teſtamenti, in teſtamento qui bonis debet ſuccedere hæres inſtituitur, vt defuncto teſtatore, iudicem ipſe cum teſtamento adeat, eiusque virtute, in hæreditatis poſſeſſionem admittatur. Seruator mundi iam iam moriturus teſtamentum confecit, quod nihil eſt aliud, quam Auguſtiſſimum Sacramentum quo cœli hæredes conſtituit eos, qui ſe dignè ſuſceperint, vnde Paſchaſius, *hoc teſtamentum nunquam immutatur, quia æternum eſt, quia non veteraſcit, nunquam irritum erit, hoc eſt teſtamentum hæreditatis noſtræ, per quod nobis diuina, & cæleſtia traduntur*; habes ergo teſtamentum, quo nos Ieſus cœli hæredes inſtituit, cum morimur iudicem adimus, illum vt nos in hæreditatis huius poſſeſſionem admittat rogaturi, ſed ferendum eſt nobiſcum hoc teſtamentum, id eſt ſumendum eſt ante mortem viaticum, alias dæmon illud irritum prætendens, oppoſitionis actionem aduerſum nos moueret, eiusque impediret executionem: quorſum putas tot Sanctos Patres, ante teſtamenti huius inſtitutionem vita functos ad lymbos deſcendiſſe, nec in cœleſtem hæreditatem admiſſos? id profecto fuit quod non ferrent hoc teſtamentum, quod iudex videns ſententiam tulit, vt in loco neutro morarentur, donec de teſtamento conſtaret, quod vix confectum eſt, cum omnes vna cum teſtatore ad perennem cœleſtis hæreditatis poſſeſſionem ſunt admiſſi, ideo dicit Apoſtolus *in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus*, ſed qui eius effectum ſortiri voluerit, id procuret neceſſe eſt, vt ante mortem hoc teſtamentum ſumat, hoc eſt viaticum ſuſcipiat, quod

Heb. cap. 5.

Paſcha. de corp. & ſang. Domini ca. 15.

Hæbr. ca. 7.

Digitized by Google

iudici poſſit oſtendere, eoque ſe aduerſus dæmonis cauillationes munire.

Nyſſen homil. 10. in Cant.

Sponſus in Cant. ita ſocios inuitat, *comedite amici & bibite & inebriamini chariſſimi.* Sub quibus verbis grandia latent myſteria: Nyſſ. per illud *comedite & bibite*, idem intelligit q; Seruator in vltima cœna dixit Apoſtolis *accipite & comedite*: Auguſtiſſimum videlicet Sacramentum, per aliam vero partem *& inebriamini chariſſimi*. Bernardus & Ambroſius beatam gloriæ ebrietatem intelligunt: *in hac ergo domo epulaberis anima cibo potque mentis, vt poſtea non eſurias neque ſitias vnquam: qui enim manducat, manducat vſque ad ſatietatem, & qui bibit vſque ad ebrietatem bibit.* Ita Ambroſius, iam quæro quorſus ſponſus ſocios ad beatiſſimum gloriæ epulum in quo cœleſti inebriabuntur nectare inuitant, prius ad Euchariſticum ferculum vocet? Rupertus Abbas acutiſſimè reſpondet, cum ait id eo fieri intuitu, vt eo ordine homini conferatur immortalitas, quem in conferenda morte ſerpens ſeruauit: *vt ſicut iam dixi, quo ordine mors introiuit, eodem foras mittatur de animabus & corporibus noſtris*: ſed quo ordine effera mors in mundum habuit introitum, id fuit, cum malum cibum porrexit homini in quo vitam latere ſeductor promiſit, quem tamen fallaciter ſeduxit, mortem enim reperit quam ille cibus inuexit in mundũ; adinueniendus ergo fuit alter cibus qui verè vitam contineret, vt eum dum comederet homo, fugaretur mors, & immortalitas introïret: ſed quando putas mortem à quolibet noſtrum abigit? dubio procul cum morimur, cum enim nati primam lucis auram adſpeximus, tum mors in nobis habuit introitum, cum diem vltimum claudimus, tunc fugit illa, & accurrit vita immortalis, ſed ſi prius Euchariſtico cibo moribundi reficiamur; qui enim eo paſci neglexerit, fugiet quidem mors hora obitus, ſed tamen in reſurrectione, æterna oppleta calamitate reditura: ſeruis ergo ordinem vt vitam in te inuehas immortalem, quem

Bern. Serm. in Natiu. Virg. qui eſt de aquæduct.

Ambr. lib. de Cain & Abel cap. 5.

Rup. lib. 4. in Cant.

Digitized by Google

quem ſerpens in inducenda morte ſeruauit, vt ſicut ille cibo mortis vſus eſt, tu ſacratiſſimo viatico, vero morientium ferculo dignè veſcare, *comedite amici, & bibite*: quo fit vt beatæ vitæ poculo ſit æternum inebriandus, *& inebriamini chariſſimi*, ſed præſtat audire Rupertum: *Primo quippe foras mittitur mors animæ, dum comeditis & bibitis Sacramentum mortis vel paſſionis meæ, quia ſicut quodam loco dixi, qui manducat me, ipſe viuet propter me; poſt hoc foras mittitur mors corporis, ſcilicet quando omnes reſurgetis*: nihil pulchrius: iam facilè collegeris ex dictis Seruatorem mundi Auguſtiſſimum Sacramentum inſtituiſſe ante mortem ad ſui ipſius conſolationem: & noſtrum etiam remedium vt morientibus loco nauli ſeruiret, quem non in cymba Charontis eſſemus ſoluturi, ſed in cœlorum portu, ſine quo ad beatam immortalitatem non pateat ingreſſus. Rupertus vbi ſupra.

PARS ALTERA.

Iam cogitandum omnibus relinquo, quo in periculo verſentur illi, qui hoc ſacratiſſimo viatico non reficiuntur, hocque pharmacum contra mortis venenum non ſumunt, pulchrè in hanc rem Paſchaſius, *facit corpus & ſanguis, quod ipſum feciſſe Chriſtum in cruce legimus, dum vni eorum, qui erant cum eo, ex patibulo confitenti, paradiſi præſtitit regnum, alteri verò blaſphemanti iudicium determinauit.* Et profectò, vt benè ait doctus Salmeron, ille iuſtè perit, qui ſcelerati latronis ſequutus exemplum, præſentem habens in Euchariſtia Chriſtum, eum hora mortis detrectat ſuſcipere, quia non ferens ſecum hoc patris æterni teſtamentum, ab hæreditatis paternæ poſſeſſione ſecludatur neceſſe eſt, dæmone ſeſe opponente, ac dicente, nullum ad eam habere ius, vt qui teſtamentum non poſſit promere. Dauid elegans quiddam ad hoc- Paſchaſius Epiſt. ad Frudeg.

Pſal. 8. ad hoc inſtitutum profert, *omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis*, libenter ſcirem quid intelligat Propheta per hanc omnem eſcam? Gregorius Nyſſenus, pulchrè reſpondet, cum exaggerans illud Geneſeos in quo dicitur, Deum conceſſiſſe homini omne lignum ait intelligendam eſſe plenitudinem omnis boni, quod etiam in Euchariſtico ferculo animaduertit, quod reuera omnis eſca eſt, quia omnis boni copia fœcundiſſimè ſcatet, loquatur iam Nyſſenus, *vt ibi omne lignum vocat plenitudinem omnis boni, ita & hic verum illum, & omnipotentem cibum appellat omnem eſcam, cuius fuga, eam quæ ad mortem duxit, imbecillitatem conciliet*, Dauid ergo iuxta patris huius ſententiam, cibum Euchariſticum intelligit, cum dicit *omnem eſcam abominata eſt anima eorum*, hoc eſt, ſacram communionem ſuſcipere renuerunt, ſed quid accidit? *& appropinquauerunt ad portas mortis*, ad ipſas æterni interitus fores peruenerunt, nec mirum, qui enim hora mortis, hoc immortalitatis ferculum guſtare velint, nihil aliud præter æternæ vitæ viduitatem, ac perennem mortem debent exſpectare. Chryſoſtomus eo refert miſerandum Adami caſum, habebat protoplaſtus ante oculos vitæ arborem, de qua præceptum non acceperat, ſicuti de arbore ſcientiæ, miram non ſolum præferebat venuſtatem, ſed & odorem adeo ſuauem efflabat, vt nauſeabundo cuique daturus fuiſſet appetitum, poterat ſumptione frequenti, radicale humidum in æternum conſeruare, iam aderat media dies, quæ hora eſt prandii, & tamen miſer ille non ſcio, quo fato, de eo guſtando ne vel minimum cogitauit, vel ſi cogitauit, renuit facere, quod caſus, & mortis cauſa extitit. Ita Chryſoſtomus, *huius ligni eſum cum recuſaret, in contrarium incidit*, ſtudeat quiſque, cum in extremo fuerit articulo conſtitutus, ſacratiſſimum vitæ ferculum in Euchariſtia ſuſcipere, vrgeat familiam, inſtet, petat ſæpius viaticum

Nyſſenus tract. 1. in Pſal. cap. 8.

Chryſoſt. in Pſal. 1.

ne ſi

Digitized by Google

ne ſi eo ieiunus vita fungatur, eandem cum protoplaſto incurrat calamitatem.

Libro ſecundo Regum adeo laudatur pulcherrimi Abſalonis cæſaries, vt non ſolum elegantiſſima cæterarum prædicetur, ſed etiam Iudaicis mulieribus capitis præbuiſſet ornamentum, quam cum protractior eſſet, ſemel in anno tondebat, capitis hoc modo grauedinem declinans, *ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries.* Sanctus Drogo rationem diſquirens cur Abſalon, æternum fuerit iucunda Dei viſione orbatus, eam eſſe aſſerit, quod cæſariei pondus ferre malens, in ea tondenda eſſet negligentior, *propterea lucis beatæ viſionem perdidit Abſalon, quia grauabat illum cæſaries, & non niſi ſemel in anno tondebatur*, ait ille, quid? ergo ne capillorum abradendorum negligentia perdiderit hunc principem? ergo ne ſempiterna damnatione ſepultus Abſalon, quod capillorum nimis affectus ponderi, eos in anno ſemel tonderet? quid de te dicam, qui vt ad Euchariſticum Epulum accedas, vix peccatorum tuorum cæſariem ſemel in anno tondes, rade, rade infælices illas comas, quæ tibi conſcientiam grauant, idque frequenter, vt ſacro Epulo appropinques, alias eandem tibi impendere ruinam, quam Abſaloni certo ſcias, id age, id procura diligenter, ſed cum præſertim, in tranſitu ad beatum gloriæ ferculum verſabere, tunc radenda tibi cæſaries, tum peccatorum comæ tundendæ, ac ſacro viatico reficiendus animus, vt ad cœleſtes nuptias admittare, vult Deus vt eundem ſerues ordinem, ad immortalitatis introitum, quem ad mortis ſuſceptionem tenuiſti, hanc in te malus cibus inuexit, illi vero te ſacratiſſimum Euchariſtiæ ferculum reſtituit, illud guſta, quia in eo iam inchoatam fœlicitatem guſtabis, vt optimè Rupertus, *Iam inquam hoc ipſum eſt prægustare factum ex aqua vinum, & ebrietatis initium, veniet*

Lib. 2. Reg. cap. 14.

S. Drogo lib. de Sacr. Dominicæ paſſion.

Rup. lib. 4. in Cant.

Digitized by Google

autem ſatietas, perſicietur ebrietas poſt hoc, iuxta illud in Pſalmo, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Ad maiorem DEI Optimi Maximi, eiuſque intemeratæ Parentis gloriam.

Omnia ſicut & meipſum Sanctæ Matris Eccleſiæ iudicio ſubmitto.

FINIS.

EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-2-2

Google